ENCHIRIDION

DE FIDE SPE ET CARITATE

S. AURELII AUGUSTINI

EPISCOPI HIPPON.

A IOANNE BAPTISTA FAURE

THEOLOGO SOCIETATIS IESU

NOTIS ET ASSERTIONIBUS THEOLOGICIS

ILLUSTRATUM

EDITIO NUNC PRIMUM ABSOLUTA

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHAEO FIBRENIANO
MDCCCXXXXVII

Prostat Romae apud Marinum Typographum

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

DEC -3 1931

1942

ENCHIRIDION

DE FIDE SPE ET CARITATE

A SANCTO AUGUST. PONTIF. HIPPON. LUCUBRATUM

A IOANNE BAPT. FAURE SOD. S. I.

COMMENTARIIS EXPLANATUM

CONSTANTINO PATRIZI PATRI CARDINALI

VICE SACRA ANTISTITI RELIGIONUM URBIS

CLEROQUE URBIS UNIVERSO

FAURIANARUM DISCIPLINARUM SECTATORI

CAROLUS PASSAGLIA SOD. S. I.

EX ANIMO DEDICAT

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/enchiridiondefid00augu

DE IOANNE BAPTISTA FAURE

TESTIMONIA

IOANNES . BAPTISTA . FAURES

Romanus. In. Ampliss. Ordin. Viterb. Cooptatus. In. Societate Iesu. Quamdiu. Ea. Stetit. Sodalis. Professus. Sacerd. Annos LII. Praefectus. Sodalium. Marialium. Collegii. Rom. Doctor Decurialis. Sacris. Disciplinis. Tradendis Ab. Ipsa. Adolescentia. Osor. Desidiae. Domitor. Cupiditatum Summa. Deum. Religione. Coluit. Magnamque. Dei. Matrem Auguste . Veneratus . Est . Humanos . Casus . Forti . Animo Semper . Tulit . Convicia . Insectationes . Propositi . Tenax Contempsit. In. Studiosae. Iuventutis. Moribus. Conformandis In. Infima. Etiam. Plebe. Instituenda. Regenda. Diuturnam Operam. Et. Utilem. Posuit. Idem. Excellenti. Ingenio. Florens Studiis. Litterisque. Deditus. Atque. Omni. Doctrina. Ornatiss. Multa. Ad. Eruditionem. Litterasque. Fovendas. Plurima. Pro Eccl. Tuenda. Scripsit. Egreg. Dictavit. Edidit. Theologus (*) Aetatis. Suae. Praestantissimus. Habitus. Est.

(*) Viri huius optimi summam in theologicis doctrinam grata adhuc recordatione persequimur quicumque docentem audivimus et disputantem mirati sumus: de quo illud vere praedicamus, uni maxime omnes theologiae fontes patuisse.

Stephanus Antonius Morcelli Inscript. Part. I. Cap. V. §. II. CCII. Viterbii in Curia.

BQ
5699
F8

A ☧ Ω

Cineribus . Et . Memoriae
IOANNIS . BAPTISTAE . FAURAE
Domo . Roma
Presbyteri . Doctoris . Theologi
Doctori . Sacrarum . Litterarum
Scriptori . Operum . Plurimorum
Viri . Frugi . Integerrimi . Pientissimi
Cuius . Eruditio . Magnis . In . Contentionibus
Virtus . Adversis . In . Rebus . Enituit
Vix . Ann . LXXVI . M . VI .
In Soc . Ies . Quoadusque . Ea . Mansit
Annos . XXXXV .
Decessit . VII . Kal . Maias . An . M . DCC . LXXVIIII
Pridem . De . Re . Publica . Viterbiensi
Ob . Vetustae . Originis . Dignitatem
Binis . Voluminibus (*) . Vindicatam
Optime . Meritus
Huic . Ordo . Viterbiensis . Honorem . Decurionatus
Imaginem . In . Curia . Funus . Publicum
Laudationem
Locum . Sepulturae . Decrevit

(*) *Binis voluminibus*: edita haec Viterbii anno M. DCC. LXXIV. quibus auctor argumenta eorum elevavit, qui Regis Desiderii Decretum illud celeberrimum inter commentitias res numerandum censuerant: quod opus plerique omnes summis laudibus extulerunt, ceterum haerent adhuc quidam, et de scriptura dubitant: apparent enim in marmore litterae Beneventanae, quas multo post Desiderii aetatem inductas in consuetudinem esse, manifestum est, quibus Viterbienses facile, opinor, hoc dabunt, sero decretum marmori incisum esse, quum iam papyrus, quam a Desiderio acceperant, vetustatem ferre non posset.

Id. ib. Cap. III. §. I. LXXXXV. (Viterbii).

Faure Ioannes Baptista Romae natus 25. oct. 1702., Societati Iesu accessit in provincia romana 30. Martii ann. 1728., vota quatuor solemnia nuncupavit 15. Aug. 1738. Insignis philosophus et theologus, quem et ipsi theologi romani suspiciebant cum veneratione, et ipsi Romani Pontifices arduis in causis consulebant. Vitam fere omnem transegit in Collegio Romano, traditis summa opinione doctrinae, acutissimi ingenii et acerrimi iudicii philosophia, theologia scholastica, polemica, ac biblica. Illico a Societatis extinctione traditur in arcem S. Angeli; Pius VI. autem eum a carcere liberum reddidit. Romae aliquantulum constitit, sed paulo post Viterbium sibi elegit domicilium: ibi obiit multis magnisque exhibitis pietatis exemplis 25. April. 1779.

Raymundus Diosdado Caballero in Supplement. Biblioth. Script. Soc. Iesu. — Idem vero in subiecto operum Faurei Syllabo addit:

S. Augustini Hipponensis Episcopi Enchiridion de Fide, Spe, et Caritate notis et assertionibus theologicis illustratum. Romae. 1755. in 4. . . . . Nostri Faurei notae profundae et eruditae oppido sunt, et quae illum ostendunt in omnibus D. Augustini operibus versatissimum esse non sine damno iansenianorum, quos acriter perstringit . . . . . Certum habeo Faureum mss. reliquisse secundam partem Enchiridii, sed me latet, quis illam occultet non sine detrimento eruditorum.

Pars illa Operis, quam occultatam dolebat Caballerus, ea est, quae initio facto ab adnotationibus in caput LVI. nunc primum in lucem prodit.

Ioannes Baptista Faurius Soc. Iesu vir acris ingenii multaeque eruditionis, theologiae scientia praestantissimus ac vere summus, ab anno Chr. 1758. ad annum 1767. in Collegio Romano hos tractatus dictavit, ubi multa reperies exquisitae ac non vulgaris doctrinae, quae vel ex longa veterum theologorum lectione hausit, excoluit, ac sua fecit, vel ipse excogitavit solerter diuque meditata ac perpolita auditoribus tradidit.

Ioseph Bianchini romanus sacerdos doctrina et virtute spectatissimus in praefatiuncula ad mss. Faurei opera.

NIHIL OBSTAT

IACOBUS MAZIO SOC. IESU

Professor Iuris Canon. in Coll. Rom.
Censor deputatus

IMPRIMATUR

FR. D. BUTTAONI O. P. S. P. APOST. MAGISTER

IMPRIMATUR

IOSEPH CANALI PATRIAR. CONSTANT. VICESG.

INDEX ET SUMMA

THEOLOGICARUM ADNOTATIONUM ET ASSERTIONUM

IN ENCHIRIDION S. AUGUSTINI

In caput I. et II.

I. Quod Augustinus disputans contra Iulianum de operibus infidelium usurpet *opus bonum* pro *opere bono meritorio*, responsio est usitata in schola Societatis cum eximio Suarez.

II. Eam *cavillationem esse ineptissimam doctrinae s. Augustini, ab eius mente remotissimam, indignamque, quae a viris doctis proferatur*, scripsit Iansenius lib. IV. de Statu nat. lapsae cap. II.

III. At eam esse consentaneam stylo s. Augustini plurimis exemplis demonstratur, partim ex his Enchiridii capitibus, partim ex aliis libris s. Doctoris . . . *pag.* 1

In caput IV.

I. Quod *ratio pro religione contendens a sensibus corporis inchoetur*, docet hoc capite Augustinus. At si verum esset *idealistarum* systema (quod Georgii Berchely sectatores defendunt, d. Wolfius saltem innoxium profitetur, d. de la Mothe le Vayer docet minus prae aliis contrarium fidei), nulla esset huiusmodi ratio a corporis sensibus inchoata, sive ad Dei existentiam, sive ad eius perfectiones statuendas.

II. Ex idealismo sensibilium consequitur, quod *nulla sit ratio ab intelligentia mentis inventa*, ut in hoc cap. IV. Enchir. loquitur

Augustinus, idest ex idealismo sensibilium consequitur idealismus intelligibilium.
III. Hinc eversio psychologiae, ontologiae, ipsiusque ethices, contra ac Wolfius opinetur . . . 12

In idem caput IV.

I. Ex idealismo sensibilium consequitur eversio religionis ac fidei. Hinc d. De la Mothe sententia falsitatis revincitur.
II. Notae enim verae religionis a sensuum praecipue perceptione pendent. Quare si apparentiae sensuum universali et clarae subesse potest, imo subest falsum, nullum est iudicium credibilitatis fidei his notis innixum, ideoque prudenti fidei nullus locus. . . 15

In caput VII. et VIII.

I. Plura de distinctione fidei, spei, et caritatis contra Baium, Iansenium, et Quesnellum, a quorum pravis interpretationibus vindicatur Augustinus. Hexaplorum pro Quesnello mala fides in verbis Enchiridii citandis.
II. Amor in Deum, qui concupiscentiae dicitur, et quem dari atque honestum esse catholici consentiunt, disputatur, utrum sub spei vocabulo comprehendatur, quemadmodum plures graves theologi cum Scoto loquuntur, an sub caritate, quod aliis theologis placuit cum s. Bonaventura et s. Thoma.
III. Posteriorem hunc loquendi modum usurpavit in suis libris Augustinus.
IV. Id animadvertisse ac probasse maxime refert ad recte interpretandum s. Doctorem contra baianos, et iansenianos; cum auctor quilibet interpretandus sit secundum familiarem sibi loquendi modum.
V. Concupiscentia Dei, ut beatificantis, appellari a nobis non solet amor, ac dilectio Dei *propter se:* is tamen loquendi modus familiaris fuit s. Augustino, s. Thomae, s. Bonaventurae: quod ad horum scriptorum mentem rite tenendam observandum est.
VI. Celebris comparatio amoris Dei gratis, et propter se cum amore coniugali usurpata saepe a s. Augustino, deinde a s. Bernardo, id quod proposuimus, evincit. Plura de magna honestate ac perfectione amoris concupiscentiae in Deum ex Augustino.
VII. Hinc multum lucis explicandis testimoniis s. Augustini consentanee ad ipsius mentem 19

In caput IX.

I. In doctrina s. Augustini de Deo Creatore duo displicuere inofficiosis nonnullis criticis: alterum de simultanea rerum creatione uno momento sex mysticis diebus: quam sententiam a malis censoribus abunde vindicant ex nostris Maurus, ex exteris card. Norisius in *Vindiciis*: alterum de Deo agente effectus creatos, *sine distinctione actionis suae*, ut habet lib. XI. Conf. c. XXXI., sive per actionem aeternam, quae idem sit ac Dei dicere et velle.
II. Haec opinio s. Doctoris, quoniam in Vindiciis augustinianis card. Norisius de ea silet, breviter vindicatur.
III. Plures ex hac Augustini sententia utilitates in rem theologicam: nonnulla etiam contra socinianos, et arminianos.
IV. Sapiens Augustini monitum de opinandi modestia in iis, in quibus neque fides, neque certa ratio nos docet. 29

In caput X. etc.

I. D. Le Clerc satis impudenter redarguit veluti ineptam ratiocinationem Augustini in his capitibus contra manichaeos.
II. Explicatur ratiocinatio Augusti-

ni, et quantum roboris in ea situm sit 34

In caput XV.

I. Voluntas ab Augustino usurpatur pro actu volendi, et saepissime pro actu deliberato volendi, ex quo completa moralia opera consequuntur.
II. Hanc voluntatem pro ipsius diversitate bonam aut malam arbori comparat Augustinus sive bonae sive malae; ipsam vero rationalem creaturam, sive animam sive potentiam volitivam non arbori, sed terrae comparat, ex qua arbores bonae et malae. Haec omnia tum ex his Enchiridii capitibus, tum ex aliis libris Augustini comprobantur: mirifice enim deserviunt ad s. Doctorem rite intelligendum.
III. Voluntatem et delectationem promiscue usurpari ab Augustino. Ex quo, et aliis praemissis evincitur de delectatione deliberata intelligendum Augustini dictum in exposit. Ep. ad Gal. cap. VI. *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.*
IV. Id confirmatur ex contextu eorum, quae praecedunt et subsequuntur in ea expos. Ep. ad Galatas.
V. Quae disseruimus de voluntate secundum Augustinum, praecipue deserviunt rite intelligendae disputationi s. Augustini de operibus infidelium, eamque disputationem probant nihil Baio et Iansenio favere 35

In caput XVII. et XVIII.

I. Doctrinae Augustini de mendacio adversantur le Clerc, Grotius, Puffendorfius.
II. Ab eorum obiectis s. Doctor vindicatur 41

In caput XX.

I. Quae contra scepticos Augustinus disputat, nos iterum committunt cum idealistis.
II. Non religionem modo, psychologiam, et ontologiam ab iis subverti, sed etiam civilis reipublicae disciplinam cum ethica. Id praecipue ostenditur hoc loco.
III. Obiecta nonnulla D. Bayle dissolvuntur.
IV. Nequeunt se tueri idealistae, quod apparentiam sensuum universalem, et claram negent, quemadmodum et faciunt copernicani: imo potius ex paritate, quae inter utrosque intercedit, utrosque explodendos.
V. Plura in hanc rem disseruntur contra vulgaria praeiudicia.
VI. Qui mirantur idealistas, et copernicanos aeque invisos sapientibus theologis esse, ii non satis attendunt, quam arcto nexu dogmaticae assertiones earumque principia colligata sint. Pluribus haec veritas illustratur . . . 43

In caput XXI.

I. Expenditur distinctio peccatorum, quae hoc loco proponitur, seu permittitur ab Augustino, *eorum quae ad illam viam pertinent, qua imus ad Deum*, et eorum quae ad eam viam non pertinent.
II. Hinc aliqua colliguntur, ut loquendi modus ab Augustino usurpatus de infidelium operibus clarior fiat. 54

In caput XXII.

I. Quod Augustinus in mendacii definitione ponat *voluntatem fallendi*, minus bene a Grotio intellectum est.
II. Missis aliorum interpretationibus exponitur Augustini sensus, qui videtur propior veritati . . 55

In caput XXIV.

I. Doctrinam s. Augustini de reprobatione propter originale aeque celebrem ac difficilem testatur card. Norisius in Vind. aug.

II. Eam non tam difficilem *esse*, quam *fieri* censemus ab iis, qui plus s. Doctori tribuunt, quam postulent eius verba; quibus satisfieri putamus, si cum Bellarmino dicatur docere baptizatorum reprobationem ex originali mediate ac remote, sive reprobationem propter actualia, ad quae stimulat concupiscentia relicta ex peccato originali. Id docetur hoc Enchiridii capite.

III. Quo sensu baptizati reprobi dicantur ab Augustino non discreti a massa perditionis. 57

In caput XXV. etc.

I. *Originali peccato nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius* scripsit Augustinus. At quoniam D. Le Clerc ex recentibus socinianorum fautoribus plurimum hac obscuritate abutitur contra catholicos, et post Augustinum, ope scholasticae theologiae, multum lucis affusum est huic rei, tentamus eiusdem facilem aliquam explicationem.

II. Hanc claritatem ex methodo pendere censemus, qua primum expediantur quae pertinent ad quaestionem de re, tum quae ad quaestionem de nomine. Utrumque praestare aggredimur . . 60

In eadem capita.

I. Exponitur sententia Iansenii, quod *magnitudo peccati Adae physice causaverit in Adamo morbum concupiscentiae traducendum in posteros, non secus, ac caecitas, podagra,* etc. *Hanc autem concupiscentiam esse causam proximam reatus culpae, nisi superveniat iustificatio: nullam in his legem Dei positivam esse.*

II. Hanc opinionem adversari putamus s. Augustino, et ex eo celebrem illam legem, seu pactum satis comprobari.

III. Post labores scholasticorum in explicanda natura originalis peccati, censemus ope eius legis, ac pacti exponi facile posse, quomodo animae rationales non traducantur, sed creantur; et sic creatae inficiantur originali, neque hoc tribui possit auctori Deo. Huius quaestionis difficultatem usque ad mortem sensit Augustinus . . 62

In caput XXX.

I. Quod hoc cap. ait Aug. *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum,* magnam abutendi occasionem dedit Luthero, Calvino, Iansenio. D. Le Clerc, licet cum socinianis magnus arbitrii assertor, ex hac quasi Augustini authentica declaratione, censet s. Doctorem improprie loqui de arbitrio, quoties illud tuetur contra pelagianos.

II. Exponitur sensus s. Doctoris tum ex Enchiridii contextu, tum ex aliis libris s. Doctoris. . . . 65

In idem caput.

I. Caput hoc XXX. Enchiridii nonnisi contorte exponitur a baianis ad probandum, quod liberum arbitrium sine gratia nonnisi ad peccandum valeat.

II. Censemus etiam caput hoc Enchiridii, aliaque similia nihil facere ad eam disputationem, qua inter catholicos contenditur de viribus naturae ad bene moraliter operandum. 68

In idem caput.

Quae de recte facti *laetitia, sive libentia* habet hoc capite Augustinus nihil faciunt ad errorem de libertate a sola coactione. . . 69

In caput XXXI. et XXXII.

I. De sensu Augustini exponente verba Pauli: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* diligenter disquiritur.
II. Totum pendet ab intelligentia earum vocum *velle et operari*, seu *velle et currere* apud Augustinum.
III. Ad haec definienda inspiciendus est contextus Augustini in his capitibus, et consuetudo loquendi in reliquis libris potius, quam sequendae vulgatae interpretationes.
IV. Haec si teneantur, Augustini expositio nihil favet erroribus Iansenii de gratia: imo neque aliquid facit ad controversiam inter catholicos de gratia efficaci, sit nec ne ab intrinseco indifferens, aut potius efficax 70

In caput XXXVI. et XXXVII.

I. Comparatione, quam in hoc capite instituit Augustinus inter gratiam et Incarnationem abutuntur Quesnellus et Hexapla ad propositiones XXI. et XXII. ex damnatis in Bulla *Unigenitus:* quae propugnant gratiam auxiliantem potentem, supremam, invincibilem, sicut operatio Dei Incarnantis.
II. Verum Augustini comparatio est inter unionem hypostaticam, et iustificationem hominis a peccato, quoniam neutra est ex meritis.
III. Hinc explicatur tum Enchiridion in his capitibus, tum alii Augustini libri, in quibus eadem comparatio instituitur. . . . 77

In caput XXXVIII.

I. Doctrinam Augustini hoc capite Christum de Spiritu Sancto non ut de Patre natum, egregie exponit s. Thomas, et rationem huius rei, qua infideles refellere possimus, ab Augustino praetermissam, in medium profert.
II. Quantum lucis intelligendis patribus affulserit ex theologia scholastica, huius exempli occasione indicatur.
III. Calumniae, et convicia Iansenii Lutherum imitantis referuntur; ea enim referre refutasse est. 80

In caput XLI. ad XLVII.

I. Praecipuum argumentum, ex quo evincatur Augustinum docuisse universalitatem mortis Christi pro omnibus est, quia ex hac universalitate colligit universalitatem originalis.
II. Unicam Arnaldi evasionem, quod Augustinus argumentetur ex morte pro solis baptizatis, refellit ipsemet Augustinus.
III. Testimonia Augustini, quibus adstruere videtur mortem Christi pro solis electis, conciliant theologi scholastici distinctione mortis Christi quoad sufficientiam pro omnibus, quoad efficaciam pro solis electis; sed hanc contemnunt ianseniani, quod immediate non ostendatur tradita fuisse ab Augustino.
IV. Hinc demonstrandum suscipimus hanc distinctionem traditam fuisse sub triplici verborum forma, quae distinctioni scholasticae respondeat; idque fit in iis plerumque locis, ex quibus obiectiones suas ianseniani derivant.
V. Ad intelligendam Augustini mentem plurimum facit s. Prosper, qui eam propositionem, *Christum ex Augustino non esse mortuum pro omnibus*, recenset inter *ineptissimas blasphemias, et prodigiosa mendacia.* S. Prosperi doctrina a prava Iansenii interpretatione vindicatur. 83

In caput XLVIII. ad LI.

I. Interpretaturus Augustinus Pauli verba: *Per unius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitae*, neminem, inquit cap.

hoc XLVIII., nisi in Christo renatum a damnatione liberari.

II. At quoniam haec de solis baptizatis vera sunt, videtur mors Christi pro omnibus ex Augustino ad solos baptizatos coarctari: quod aliis in locis docere videtur, idque explicare exemplis *ianuae*, per quam omnes intrent, *magistri, qui omnes docet etc.*

III. Proponitur testimoniorum Augustini explicatio, quae non modo iansenistarum argumentationi respondeat, sed veritatem catholicam positive contra ipsos demonstret ex iisdem obiectis Augustini testimoniis: quod autem *nova et peculiaris* explicatio ista sit, eum solummodo censorem turbabit, qui aureum Vincentii Lirinensis Commonitorium non legerit 95

In caput LII.

I. Voluntatem generalem salvandi omnes, primo quidem Augustinus episcopus docuit, etiam ab inchoata pugna cum pelagianis. Id ostenditur ex chronologia librorum eius.

II. Alias tres expositiones de voluntate minus generali deinde superaddidit, sed uti simul tenendas cum prima.

III. Locus Pelagii ex Commentario in Paulum obiectus a Iansenio est, sed contra criticas regulas.

IV. Divinum munus, Dei donum, quo intrinsecus agit Deus ut velimus, quo Deus agit cum anima ut credat, quo ipsum velle credere Deus operatur in homine, phrases sunt, quae aetate hac nostra ingerunt nobis ideam gratiae efficacis, sed augustiniano stylo comprehendunt tum efficacem, tum sufficientem . . . 100

In caput LIII.

I. Baptizatos reprobari immediate propter lethalia actualia, quae sunt ex concupiscentia, una scilicet ex residuis poenis originalis etiam remissi, certum ponimus cum Bellarmino.

II. Deum propter originale nolle baptizatos totaliter eripere a perditione negando illis gratiam finalem efficacem, ac sufficientem docet Iansenius.

III. Hoc idem esse contendimus, ac propter originale illos velle damnare, proindeque nolle illis originale in baptismo dimittere, ideoque minus cohaerenter Iansenius haec docens agnoscit cum Tridentino efficaciam baptismi.

IV. Multum ab hac sententia distant plures catholici, qui propter originale dicunt negari baptizatis gratiam efficacem finalem.

V. Augustinum remotissimum esse ab hac postrema sententia censemus, quamtumvis diligenter excutiantur eius libri, et opuscula, in quibus fertur ista docere. Periculum huius rei facimus in expendenda epistola ad Optatum. 114

In caput LVI.

I. Doctrinam catholicam de Incarnatione reprehendunt de Beausobre, Spinoza, et Bayle, ac si ea non foret nisi falsarum idearum congeries, vel ad quaestionem de vocibus revocaretur, vel eo recideret ut essentia divina existimanda esset corporea.

II. Ad hanc doctrinam uti par est explanandam duplex praefiniri notio debet, *unionis* ac *personae*.

III. Quibus vocabulis hanc *unionem* designaverint patres latini ac graeci.

IV. Dupliciter patres unionem explicant, ac in primis declarando quid non sit, docentque eam non esse unionem moralem; deinde affirmando quid sit, quod solemni comparatione unionis animae cum corpore exequuntur.

V. Quid patribus sit *persona*, *suppositum*, *subsistentia*.

VI. Ex praemissa doctrina infertur 1. humanitatem Christi utpote

singularitatem intellectivam, non tamen incommunicatam, ex se atque in se non esse personam secus ac Nestorius contenderet.
2. Humanitatem communicatam Verbo fuisse, non vicissim: de Verbo dici, quod humanitatem assumpserit non contra: atque adeo personae rationem non humanitati sed Verbo competere.
3. Qua de re lis Cyrillum inter ac Nestorium extitit.
4. Imperitia aeque ac temeritas Petri Bayle ad vocum controversiam haec reiicientis ostenditur.
5. Ex unione proposita Verbum inter et humanitatem proficiscitur idiomatum communicatio. Communis ratio eam explicandi praeeunte s. Thoma. Quae uberius explanatur duabus assertis propositionibus. Prima est: Christus *constitutive* dicit non modo Verbum divinum, sed naturam creatam et huius unionem ad personam Verbi. Altera est: Cum de Christo loquentes dicimus *Verbum*, possumus aut debemus subintelligere *Verbum Homo*; et cum dicimus *Homo*, possumus aut debemus subintelligere *Homo Verbum*.
6. Exinde facile intelligitur B. Virginem appellandam esse Dei genitricem ac matrem Dei. Petri Bayle cavillatio exploditur.
7. Ex hisce non sequitur, unam esse in Christo naturam, qui fuit eutychianorum error.
8. Unica Christi persona non est dicenda composita ex divina et humana natura.
9. Ex dictis ratio redditur locutionum, quas a ss. patribus usurpatas legimus 123

In idem caput LVI.

I. In hoc capite *Dei* appellationem Augustinus pluries tribuit Spiritui Sancto.
II. Vindicatur Bellarminus a calumniae crimine, quod vitio vertat Erasmo affirmanti, veteres patres sibi cavisse ab appellatione *Dei* Spiritui Sancto tribuenda 129

In idem caput LVI.

I. Quae heic Augustinus sentit de amplitudine Ecclesiae si cum iis iungantur quae cap. LXI. habet de eiusdem visibilitate, abunde sufficiunt ad expugnandas Quesnelli propositiones, quae eo pertinent ut Ecclesia ex solis Angelis et electis constare censeatur.
II. Expediendis quesnellianorum tricis opportunae ex Augustino distinctiones proponuntur. . . 130

In caput LVIII.

I. Augustinus quatuor ordinibus hierarchiam angelicam circumscribit.
II. Novem ordines post vulgatum Dionysium Areopagitam statuit M. Gregorius.
III. Quae de ordinum numero et proprietatibus feruntur, partim cuipiam traditioni partim coniecturis adscribenda sunt; quae postrema nonnisi probabilium numero continentur 131

In caput LIX.

I. Plures difficilesque quaestiones de Angelis utiles ac necessariae visae sunt Augustino.
II. Quae de his a patribus tradita sunt, theologorum studio haud exiguis accessionibus locupletata sunt.
III. Hinc colligitur, consilio minime bono nonnullos in re theologica adhuc novis auctores fuisse, ut contemptis theologorum libris se ad patres legendos illotis prope manibus conferrent.
IV. Haec quae invidiosius dicta videri poterant, iudicio Xixti V. Pontificis aliorumque gravissimorum virorum confirmantur . 132

In caput LXI. ad LXIII.

I. Theologorum distinctionem superius (ad caput XLVII.) indicatam mortis Christi *quoad sufficientiam* pro omnibus , *quoad efficaciam* pro solis electis, rursus insinuat Augustinus.
II. Ecclesiam, quae degit in terris, bonis malisque, agnis atque hoedis constare auctor idem est.
III. Pro utrisque Christum se tradidisse docet et ea quidem voluntate quam pro Angelis non habuit. 134

In caput LXIV ad LXVI.

I. Tradita hisce capitibus ab Augustino de Poenitentiae sacramento adversus calvinianum Dallaeum adhiberi valide possunt.
II. Venialium peccatorum remissionem citra clavium usum obtineri posse statuit.
III. Mortalium contra criminum veniam sine Ecclesiae auctoritate et iudicio haberi posse inficiatur.
IV. Imo et illud significat, peccata *quoad numerum et speciem* sacerdoti esse aperienda.
V. Haec adversus Dupinium quoque faciunt, qui in suo tractatu de unione cum Anglicanis ineunda eo devenit, ut auricularem confessionem inter liberae disciplinae capita haberet 136

In eadem capita.

I. His capitibus refutatur Arnaldus, qui peccata occulta publicae olim subiecta poenitentiae fuisse docuit.
II. Itemque qui cum Morino saltem de nonnullis gravioribus iisque occultis peccatis idem tradunt.
III. Scandalum, propter quod Ecclesiae satisfieri oportuisse ait Augustinus, non est cum Natali Alexandro intelligendum de scandalo quod vel complex criminis vel domestici aut vicini tantum passi sint.
IV. Augustini testimonio ostenditur falli cum Natalem Alexandrum, qui disciplinam publice confitendi peccata occulta ad VII. usque saeculum extendit, tum Arnaldum, qui eamdem inter Basilii et Augustini aetatem conclusit. 137

In eadem capita.

I. Auctores sunt Natalis Alexander, Morinus, et Petavius, Augustini quoque testimonio confirmari , nullum omnino poenitentiae locum iis fuisse factum, qui peracta semel pubblica poenitentia in eadem vel gravia alia crimina relaberentur.
II. Verum Augustini testimonium huic sententiae adversatur . . 137

In caput LXVII. et LXVIII.

I. Sempiternas fore reproborum poenas docet Augustinus; nec tamen e catholicorum censu reiicit, si qui dissentirent.
II. Canon augustinianus de obscuris bibliorum locis clariorum ope explanandis si ad ipsius scripta transferatur (transferri autem debet), sublestas iansenianorum technas facile diluet.
III. Augustinus secus ac aliquot recentioribus placeat ab confingendis hypothesibus, quae in discrimen infirmos animo adducerent, sedulo abhorruit . . . 139

In caput LXIX.

I. Petrus Martyr auctor fuit, doctrinam de Purgatorio nuspiam a patribus traditam tamquam fidei articulum.
II. Cui affirmationi cum praesens Augustini caput favere specie tenus videatur, ex aliis Augustini scriptis, uti par est, exponitur.
III. Summa autem expositionis huc redit, ut dogmatica quaestio de existentia Purgatorii a theologica controversia de poenarum genere separetur.

IV. Natalis Alexandri notatur falsa opinio de graecorum schismaticorum fide circa Purgatorii existentiam : erroris Natalis Alex. origo aperitur 140

In caput LXX.

I. Plures errores contra aeternitatem poenarum memorat refellitque Augustinus;
II. Eorum in primis qui salutem et ipsi diabolo tandem pollicentur : quos tamen ab Origene secernit;
III. Eorum deinde qui existimarunt Deum misericordem in die iudicii malos et infideles homines donaturum esse precibus sanctorum;
IV. Eos subiicit, qui salutem saltem baptizatis omnibus promittebant;
V. Tum eos, qui non baptizatis omnibus sed dumtaxat catholicis, licet deinde in haeresim aut idolatriam prolapsis, hoc beneficium spondebant;
VI. Eos deinceps qui fructum divinae misericordiae ad solos in catholica Ecclesia perseverantes, dignis licet moribus destitutos, coercebant;
VII. Illos demum, qui in Ecclesia catholica viventes magna crimina, quibus se obstringerent, cum magnis eleemosynis vel cum iniuriarum condonatione sociassent.
VIII. Hos errores licet Augustinus exagitet, numquam tamen veluti haereses damnat.
IX. Id mirum iis non erit, qui animum Augustini alienum a censuris perspectum habent . . . 142

In idem caput LXX.

I. Occasio erroris proscripti ab Alexandro VIII., quod satisfactio praemitti absolutioni debeat.
II. Duplex cum Bellarmino distinguenda satisfactio: altera latior pro universo poenitentiae opere, eaque congrua; altera angustior pro parte sacramentali, eaque condigna.
III. A saeculo XII. cum aliis nominibus indicari consueverit satisfactio pro culpa, nempe actus quibus Deo reconciliantur peccatores, satisfactionis nomen tantummodo poenae expiationis reservari consuevit.
IV. Hinc colliges, pessima methodo scriptores nonnullos ad postremam hanc satisfactionis speciem ea transtulisse, quae patres et cum iis Augustinus de satisfactione congrua reconciliationi praevia scripserunt. 144

In caput LXXI. et LXXII.

Declaratur, quid plus semel penes veteres scriptores sibi velit *satisfactio*, tum quid *satisfactio congrua*. 146

In idem caput LXXII.

I. Inter bona, quae in invitos conferri scribit Augustinus, Maurini collocant etiam leges et edicta adversus donatistas.
II. Augustinus olim non ita cum donatistis agendum existimavit : praevaluit tamen aliorum episcoporum sententia; quod ad eos dedocendos facit, qui damnatam ab Alexandro VIII. propositionem de Augustini doctrina tuenda etiam adversus Ecclesiae decreta defenderunt.
III. Augustinus non alio in censu suos libros haberi voluit quam ipse caeteros ecclesiasticos libros haberet. 147

In caput LXXIII et LXXIV.

I. Praecepto dilectionis inimicorum satisfactum Augustinus putavit, si quis roganti veniam non negaret : diligere vero inimicos atque bene de iis mereri perfectorum esse sensit.
II. Verior haberi debet s. Thomae sententia.

III. Pronum hinc est concludere, multum utilitatis a recentiorum Doctorum studiis et haustum fuisse et hauriri posse. Xixti V., Gregorii M., et ipsius Augustini mens de perenni sacrae facultatis profectu. 148

In caput LXXV ad LXXVII.

Quod Augustinus in his capitibus eleemosynas datas a pharisaeis nec fidem habentibus nec regenitis non in se immundas reprehendat, sed solum neget mundos eos fuisse qui illas impertirent, novam praebet rationem, qua de eiusdem doctrina circa infidelium opera iudicium, ut par est, feratur. 150

In caput LXXVIII. ad LXXX.

Ad Augustini scripta rite intelligenda instar canonis poni debet, particulis adversativis saepe subintelligendas esse dictiones *solum, tantum;* quod exemplis illustratur 152

In idem caput LXXVIII.

I. Dissidium Augustinum inter et Chrysostomum quoad usum coniugii a quavis labe peccati exemptum.
II. Recentiorum doctrina, qua id suppletur, quod in utriusque sententia desideratur.
III. Modestia in censuris adhibendis praescribitur. 152

In caput LXXIX.

Nonnulla ad rem moralem et hermeneuticam spectantia proponuntur 154

In caput LXXX.

I. Docuit Iansenius oblationem intentionemque Christi effectu suo carere non posse.
II. Detegitur Iansenii fraus, et Augustino praeeunte oblatio Christi quoad efficaciam et sufficientiam secernitur 155

In caput LXXXI.

I. Augustinus dum causas peccatorum enumerat *ignorantiam* et *infirmitatem*, de causis peccati *formalibus* non autem *efficientibus* est intelligendus.
II. Ignorantiam autem *vincibilem* nominat: invincibilem enim peccatum non appellat nisi per synecdochen, quia effectus est originalis peccati.
III. Ex his ratio praesto est similes Augustini textus explicandi, atque illum nominatim *de Pecc. mer. et remiss.* l. II. c. XVII.: *Nolunt homines facere quod iustum est sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat.* De ignorantia scilicet vincibili sermo est, et de delectatione deliberata; hasque ut peccati causas non quidem efficientes sed formales ponit.
IV. Gratia Dei, qua peccata actu vitentur, destitui homines propria culpa scribit Augustinus, culpa nimirum superbiae, qua ad Deum se recipere negligunt. Hinc conficitur, nemini eam deesse gratiam quae ad orandum requiritur.
V. Quo pacto Augustinus ignorantiam et concupiscentiam efficientes peccati causas alibi statuat . 155

In idem caput LXXXI.

I. Cum docet Augustinus, pugnandum homini esse contra malum ignorantiae et infirmitatis, aliquod auxilium gratiae ad id praesto illi esse pro certo habet.
II. At iterum docet, eum nihilominus vinci, nisi Dei gratia eidem succurrat. Duplex itaque adiutorii genus a s. Doctore asseritur, quorum alterum inchoatum ac remotum, alterum proximum et completum est.
III. Augustini textus, quo Iansenius

abutitur, vindicatur atque ostenditur, culpabilem esse captivitatem sub peccato ideo, quia homo *aliquantula* idest inchoata gratia non utitur.

IV. Vocibus *gratiae*, *adiutorii*, et huiusmodi apud Augustinum venit plerumque gratia completa et proxime par ad legem servandam.

V. Haec autem gratia illa est, quam docet dari petentibus, clamantibus, conantibus, laborantibus.

VI. Unde non alio sensu ab Augustino homo gratia destitutus dicitur, nisi quia gratia proxima caret. Neque alio sensu nos peccando labi, si gratia destituamur, affirmat.

VII. Locus Augustini illustratur, quo falsa Arnaldi refellitur opinio de lapsu Petri, velut ac omni penitus gratiae ope privatus esset. 158

In idem caput LXXXI.

I. Sententia Augustini de duplici delectatione caelesti atque terrena hisce propositionibus concludi posse videtur:

II. Homo liber ad bonum ac malum habet cum boni tum mali cognitionem immediatam vel mediatam, itemque boni aut mali delectationem aliquam. Utraque autem sive cognitio sive delectatio, qua ad agendum allicitur, indeliberata est.

III. Ad indeliberatam delectationem sive caelestem sive terrenam subsequitur bona vel mala deliberata voluntas, quam externa etiam opera bona sive mala excipiunt.

IV. Bona voluntas deliberata ab Augustino vocatur *amor*, *dulcedo*, *suavitas*, *voluptas*, *delectatio*: cum haec nomina non uni delectationi indeliberatae conveniant. Vicissim mala deliberata voluntas audit *amor*, *dulcedo*, *suavitas*, *voluptas*, *delectatio*, et saepius *cupiditas*.

V. Quamquam Augustinus indeliberatas delectationes numquam dicat *victrices* aut *victas*, nihilominus tamquam inaequales illas interdum describit: non ea tamen significatione quae iansenianis utcumque faveat. Nam docet, indeliberatam coelestem delectationem esse gradibus superiorem, quin tamen sit victrix prae terrena: et vicissim aliquando gradibus superiorem esse indeliberatam delectationem terrenam, nec tamen victricem esse aut regnantem.

VI. Quod alterutra delectatio vincat oppositam, non inde repeti debet, quod illam gradibus superet.

VII. Ex Augustini sententia tunc delectatio caelestis censetur vincere malam terrestrem, cum illa obtinet effectum suum, consensum nimirum deliberatum bonum. 161

In cap. LXXXII et LXXXIII.

I. Scribit Arnaldus, poenitentiam *secundum morem Ecclesiae*, ab Augustino memoratam esse poenitentiam publicam, quae lethalibus peccatis omnibus etsi occultis infligeretur.

II. Arnaldi doctrinam ad aliquot graviora eaque occulta crimina coercent Morinus et Nat. Alexander.

III. Refelluntur suffragio Augustini, qui pro omnibus peccatis nullam aliam *secundum morem Ecclesiae* administratam poenitentiam fuisse tradit, nisi sacramentalem.

IV. Quibus de causis et in quibus adiunctis ex Ecclesiae more poenitentia publica indiceretur . . 171

In caput LXXXIII et seqq. ad XCI.

De abortivorum resurrectione Augustini sententia; quam licet ipsemet exploratam haberet, aliis tamen imperatam noluit . . . 175

In caput XCII et XCIII.

I. Opinionum varietas de poenis parvulorum, qui obstricti originali culpa decedunt.
II. Innocentii III, ss. Thomae ac Bonaventurae sententia proponitur, et ut quae a saeculo XII. ad saeculum usque XVI. communis extiterit, praefertur. 176

In caput XCIV ad XCVI.

I. Expeditur critica controversia de genuina Augustini quadam lectione.
II. Quaecumque praehabeatur lectio, id ratum manet, Augustini auctoritate comprobari non posse electionem ad gloriam ante praevisa merita, quae gratia comparentur. 179

In eadem capita.

I. Frequenter Augustinus etiam in operibus adversus pelagianos concedit voluntatem Dei non fieri.
II. At idem s. Doctor adversus eosdem pelagianos voluntatem Dei invictam depraedicat.
III. Apte haec ad invicem conciliabis, si dixeris, voluntatem Dei non semper impleri quatenus *eam ex parte tantum cognoscimus*: impleri vero semper si prout tota atque integra est, consideretur.
IV. Quare in Augustini systemate confundi haec duo non debent: *Omnis voluntas Dei efficax est*— *Omnis voluntas Dei invicta et invincibilis est* 180

In caput XCVII.

I. Saeculo V. quaerentibus cur adulti homines non omnes salvarentur, responderi consueverat, quod *ipsi nollent*.
II. Ab hac communi responsione non discrepat Augustinus nisi verbo tenus, nisi tamen ea sensu pelagiano vel semipelagiano accipiatur 183

In caput XCVIII.

Ad explicandam omnipotentem Dei voluntatem, quae hominum animos pro nutu convertit, minime necesse est ad peculiarem aliquam de gratiae efficacia sententiam confugere 184

In idem caput XCVIII.

I. De Esau et Iacobo Pauli et Augustini doctrina.
II. Licet Augustinus Pauli doctrinam aliquantisper extendat, nihil tamen affirmat, e quo praedestinatio ad gloriam ante praevisionem meritorum colligatur. . 185

In idem caput.

I. Norisii sententia de reprobatione propter originale peccatum licet remissum iterum expenditur.
II. Singularis Augustini opinio de Esau, cuius peccatum originale remissum non fuerit.
III. Penes Augustinum non eodem recidunt, *liberari a reatu peccati originalis seu vinculo damnationis Adae*, et *liberari ac discerni a massa perditionis et conspersionis Adae*. 187

In caput XCIX.

I. Homini pro naturae conditione ac multo magis post originalem praevaricationem indebitum est supernaturale auxilium tum sufficiens tum efficax.
II. Sufficiens vero catenus debitum censeri potest, quatenus necessarium est ad assequendum finem a Deo homini propositum, et ad custodiendas leges eidem iniunctas.
III. Non ergo iniustitiae accusari potest Deus, cum gratiam victricem denegat ei, cui confert quod satis est; gratia enim efficax quoad adultos et gratia regenerationis quoad parvulos est *misericordia indebita*.

IV. Neque tamen dicendum est, a Deo peculiare hoc beneficium propter peccatum originale iam remissum cuipiam denegari. . . 190

In idem caput IC.

Quo sensu ex Augustini caeterorumque Patrum doctrina affirmari tuto possit ac vero etiam debeat, Deum teneri ad optimum.. 191

In caput C. ad CII.

Nova ratio explicandi, quo pacto Dei voluntas semper impleatur, licet homo voluntatem Dei non semper faciat; scilicet impletur semper Dei voluntas prout est *Omnipotens*, licet non semper impleatur prout est *legifera*. . . 193

In caput CIII. et CIV.

I. Distinctio inter voluntatem Dei *omnipotentem* ac *legiferam* redit ad usitatam in scholis partitionem inter voluntatem antecedentem et consequentem, absolutam atque hypotheticam, efficacem atque inefficacem.
II. Voluntas salvandi prout Omnipotens est, ex Augustino solos respicit praedestinatos, atque ad ea solum auxilia refertur, quibus quis actu consentit.
III. Cum Pauli textum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, Augustinus explicat de voluntate Dei omnipotente, ea semper interserit, quae salvificam Dei voluntatem latius patere demonstrant . . . 195

In caput CV. ad CVIII.

I. Cum multiplex sit servitus, multiplex quoque admitti libertas debet servituti opposita.
II. Libertati a necessitate non adversatur invincibilis in beatitatem propensio.
III. Refelluntur quae Iansenius assignat discrimina inter gratiam ac merita hominis sive stantis sive lapsi.
IV. Quod liberum arbitrium *sine Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valeat*, accipi ita cum iansenianis nequit, ac si liberum arbitrium quavis interdum gratia destitueretur, sed huc demum redit, liberum arbitrium a gratia dissentire, qua praeparatur. . . 201

In caput CIX.

Apud Augustinum nomine *abditi receptaculi*, quo animae ad diem usque iudicii retinentur, veniunt etiam paradisus atque infernus. . 206

In caput CX.

I. Favet Augustinus eorum sententiae, qui putant suffragia magis minusve iustis defunctis prodesse pro maiori minorive eorundem in via charitate.
II. Quod scribit Augustinus, damnatorum poenas per suffragia tolerabiliores reddi, neque de animabus in purgatorio detentis intelligi debet, neque ad inferni poenas, ac si illas levari ipsemet senserit, transferri 206

In caput CXI. ad CXIII.

I. Licet non condemnet, haud tamen Augustinus illorum probat sententiam, qui damnatorum poenas per suffragia tolerabiliores fieri arbitrabantur.
II. Pro opposita sententia stetit Chrysostomus.
III. Aberrant a Chrysostomi mente, qui eiusdem verba ita accipiunt ac si hoc unum doceret, sacrificium offerri pro catechumenis non posse.
IV. Sententia eiusdem est, catechumenorum animabus eleemosynas prodesse.
V. Petavii de utroque doctrinae capite censura. 208

In caput CXIV. ad CXVII.

I. In tripartita fidei, spei, et caritatis divisione Augustinus *caritatis* nomine complectitur bona opera universa, quae evangelium praecipit, quaeque a fide et spe secernuntur.

II. Solemnis illius effati, *Regnat enim carnalis cupiditas ubi non est Dei caritas,* alius apud Augustinum, alius apud Quesnellum est sensus. 211

In caput CXVIII. et CXIX.

I. Doctrinam de quatuor hominum statibus *ante legem, sub lege, sub gratia et in pace,* ab Augustino traditam, Iansenius et Quesnellus adulterant.

II. Iansenianae fallaciae duobus hisce principiis evertuntur. Primum: Quaecumque Augustinus de primo atque altero statu scripsisse acerbius videtur, ea intelligi debent de utroque statu, quadam ut loquuntur mentis praecisione, per se et secundum se considerato.

III. Secundum: Sicut gratia adiuvans simpliciter usurpata, ita et potestas bene agendi penes Augustinum denotare solent cum gratiam tum agendi potestatem proximam suisque numeris absolutam.

IV. Quibus praestitutis contra Iansenium negandum est in primis, hominem in priore statu quavis ad salutem sufficientia destitui;

V. Negandum est deinde, hominibus sub lege constitutis non praesto esse aliquam Dei misericordiam, qua ad uberiora auxilia praeparentur;

VI. Negandum est denique, hominem tunc primum ex sententia Augustini gratia afflari cum ad eum statum provehitur, qui status gratiae nuncupatur. . . . 213

In caput CXX.

I. Hoc Enchiridii capite Iansenius abutitur, ut Christi mortem ad eos solum coerceat, quibus eadem prodest.

II. Liquet enim cum ex obiectionibus adversus Augustini doctrinam institutis, tum ex responsionibus quibus illas s. Prosper depulit, communem fuisse saeculo V. doctrinam, quam post s. Thomam theologi unanimes profitentur, Christum quoad sufficientiam soluti pretii pro omnibus, quoad efficaciam vero pro solis electis mortem obiisse.

III. Accedit, ingens ex Augustini mente interesse discrimen inter *redemptos* et *praedestinatos;* atque adeo nihil, ex eius sententia manifestius est quam pro aliis etiam, ac pro electis, Christum mortuum esse 222

In caput CXXI. et CXXII.

I. Latissima penes Augustinum acceptio *caritatis*, atque adeo latissima significatio phraseon, *omnia referenda esse ad caritatem, nihil recte fieri quod ex caritate non fiat.*

II. Penes Augustinum tantundem valet, Deum amari gratis ac non amari propter temporariam mercedem. 226

In eadem capita.

I. Ne opera sint mala exigit Iansenius ut proficiscantur ex amore amicitiae erga Deum.

II. Eiusmodi error denuo refellitur, et caritatis nomine honestatem cuiusque virtutis generatim penes Augustinum venire confirmatur.. 230

In eadem capita.

I. Timor poenae, qui ad caritatem non refertur, ad intentionem carnalem pertinere Augustinus docet, sive cum malis temporalibus

cietur quae ab hominibus imminent, sive cum excitatur quidem gehennae poenis, sed destituitur amore iustitiae, immo mala voluntate implicatur.
II. Attritio ex timore gehennae profecta, et ad rite sacramentum poenitentiae suscipiendum sufficiens, ex aequo complectitur cum amorem iustitiae tum eam caritatem, quam ab Augustino descriptam ac flagitatam vidimus. . . . 231

A. M. D. G.

Dici non potest, dilectissime fili Laurenti, quantum tua eruditione delecter, quamque te cupiam esse sapientem: non ex eorum numero de quibus dicitur, *ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* sed ex eorum de quibus scriptum est: *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* Et quales vult Apostolus fieri quibus dicit: *Volo autem vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo.* (Sicut autem nemo a se ipso esse potest, ita etiam nemo a se ipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est, *Omnis sapientia a Deo est.*)

Cap. I. Sapientiae veras donum Laurentio exoptat.

I. *Cor.* I. 20.

Sap. VI. 26.

Rom. XVI. 19.

Eccli. I. 1.

II. Hominis autem sapientia pietas est. Habes hoc in libro sancti Iob: nam ibi legitur, quod ipsa sapientia dixerit homini, *Ecce pietas est sapientia:* si autem quaeras quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in graeco reperies Θεοσέβειαν, qui est Dei cultus. Dicitur enim graece pietas et aliter, idest εὐσέβεια, quo nomine significatur bonus cultus, quamvis et hoc praecipue referatur ad colendum Deum. Sed nihil est commodius illo nomine, quo evidenter Dei cultus expressus est, cum quid esset homini sapientia diceretur. Quaerisne aliquid dici brevius, qui petis a me *ut breviter magna dicantur?* An hoc ipsum tibi fortasse desideras breviter aperiri, atque in sermonem colligi brevem, quonam modo sit colendus Deus?

Cap. II. Sapientia hominis pietas.

Iob. XXVIII. 28.

(*Hominis autem sapientia pietas est etc.*) Convenimus catholici omnes contra Baium, *Non omnia opera infidelium esse peccata, neque philosophorum virtutes esse vitia*: Esto in expositione huius doctrinae alii alia sequantur, cum quibus dissidiis nihil nobis commune est(*a*). Praecipuus catholicorum labor est, ut

Nota in caput I. et II.

(*a*) Catholicis doctoribus pro sententiarum varietate ac discrimine duplex potissimum munus incumbit. Si enim de sententiis sermo sit certa auctoritate constitutis, sedulam ii navare operam debent, ut illas sancte custodiant, ac pro viribus tueantur. Sin autem in disceptationem sententiae veniant, de quibus nullum Ecclesia iudicium tulerit; theologorum quidem est illas deligere, ac aliis anteferre, quae graviori commendantur auctoritate, et cum fidei analogia plenius conspirant; at integrum iisdem nullatenus est, vel eos insectari acerbius qui secus opinantur, vel quae liberae adhuc inquisitioni obnoxia sunt cum iis quae unitatem consentionemque flagitant, praepostera confusione permiscere. C. P.

baianis et iansenianis Augustinum eripiant, in quem finem plures interpretationes excogitarunt, quarum probabilitatem examinare nostri non est instituti. In schola Societatis ne s. Augustinus videatur *negare omnia bona opera infidelium*, a quo errore ipsum maxime distare multis probat Card. Norisius in *Vindiciis Augustinianis* cap. III. §. 4. cum reliquis auctoribus, quos adducit, satis praecipua est responsio, quae cum eximio Suarez l. I. *de Gratia* cap. VII. n. 7. et 19. docet Augustinum negare in infidelibus *illud opus bonum . . . , per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci*; quae verba sunt ipsius Augustini l. IV. c. Iul. c. III. n. 33.

Responsionem istam vel potius cavillationem esse imperitissimam doctrinae Augustini, ab eius mente remotissimam, indignamque, quae a viris doctis proferatur, scribit Iansenius de Statu Naturae Lapsae lib. IV. cap. II. tom. II. Nos missis, quae apud alios legi possunt, quo facilius credatur suam huic responsioni probabilitatem constare, neque mereri Iansenii censuram, nec abhorrere a loquendi ratione apud s. Augustinum consueta, observamus familiarem esse morem s. Doctoris, ut genus pro specie nobilissima absolutissimaque usurpet, usitata quadam in scriptis eius antonomasia, quam ex platonicorum praecipue schola deprompsit. Hinc factum est ut *bonum opus* dicens, *bonum opus meritorium* disputando contra Iulianum significaverit.

Primum exemplum ex hoc loco sit, in quo *Sapientiam* idem esse dicit cum *Pietate*, θεοσέβεια (*a*), ac *Dei cultu*. Eodem pacto loquitur l. *de util. cred. c.* XII. n. 27. «Nemini dubium est, inquit, « omnes homines aut stultos aut sapien- « tes esse. Nunc autem sapientes voco non « cordatos et ingeniosos homines, sed eos, « quibus inest, quanta inesse homini po- « test, ipsius hominis Deique firmissime « percepta cognitio, atque huic cogni- « tioni vita, moresque congruentes: cae- « teros autem cuiusque modi artibus, « inertiisque affecti sint, quolibet victu « probandi sive improbandi stultorum in « numero deputaverim ». Eodem sensu vocem hanc sexcenties usurpat in libris suis. Certum est autem, quod haec non nisi quaedam sit species absolutissimae perfectissimaeque *sapientiae*, quodque vox haec longe universalius usurpetur, teste ipso Augustino l. XVIII. de Civ. cap. XXXVII. et XXXIX. ubi laudat septem Graeciae Sapientes: imo epistola CXLIX. al. LIX. c. II. n. 30. advertit hoc ipso universaliori sensu saepe in ipsis Scripturis usurpari.

Secundum est ex hoc ipso loco Enchiridii in voce *Pietas*, qua utitur pro cultu Dei, tum hic tum saepe alibi epist. CLV. al. LII. c. IV. n. 17., et serm. XCI. al. CCXXXIV. de Temp. c. III. n. 3. et aliis. At hunc esse sensum quendam specificum et antonomasticum; vulgatissimum autem esse *sensum* longe universaliorem *generis humani* supponit ipse Augustinus lib. de Util. cred. cap. XII.

(*a*) Quod alexandrini Θεοσέβειαν, *Dei cultum, religionem, pietatem, qua Deum prosequimur*, reddunt; in veritate hebraica est יראת אדני, *timor Domini*, qui hoc honestatur decore, ut sit, dicaturque חכמה *sapientia*, phrasi iis gemina, quae repetuntur Prov. I. 7. coll. IX. 10, XV. 33, XVI. 6, Ps. CXI. 10, Is. XI. 2. Ceterum hoc in capite XXVIII. summa cura, elegantique divinarum operum descriptione ostendit Iobus, ita ex illis Dei virtutem, sapientiamque splendescere, ut in omnium incurrant oculos, mentesque perstringant. Egregia ista sunt v. 27. *Tunc* (אז quum hanc rerum universitatem disponeret) *vidit* (ראה in suo opere extantem atque conspicuam vidit) *et enarravit illam* (וימפרה immo et declaravit, manifestamque nobis fecit sapientiam suam). Quo item pertinent verba Ps. XVIII. al. XIX. 1., et Rom. I. 19. 20. Hinc Macarius hom. XII. pag. 160. Ανευ γραφων οι ανθρωποι απο του φυσικου λογισμου ουκ οιδασιν οτι θεος εστιν; ου δυνανται εν τη ημερα εκεινη ειπειν, ουκ ηδειμεν οτι θεος ει. *An non homines sine scripturis, solis ratiocinationibus naturalibus adiuti, Deum esse sciunt? non possunt in die illa dicere, nesciebamus te Deum esse.* Et Chrysostomus homil. XXXVIII. in acta: Θεοτητος εστι γνωρισμα το δημιουργικον: *effecta rerum universitas* Deitatis nota est. C. P.

Tertium est ex lib. XIX. de Civ. cap. XXI. n.1. ubi sibi demonstrandum suscipit, *numquam Rempublicam fuisse Romanam*, in eo coetu non fuisse *populum*, neque *rem populi*, neque *ius*, neque (ibid. n. 2.) *utilitatem esse ullam viventium, qui vivunt impie*, quae omnia paradoxa essent; sed Augustinus his vocibus utitur in sensu non quidem generali et usitatissimo, sed admodum specialiter autonomastico.

Quartum est ex lib. XXI. de Civit. cap. XXVII. num. 3. ubi negat *eleemosynam* porrigi ab iis, qui non diligunt Christum, et num. 5. negat esse *veras divitias*, quas iniquitas putat esse divitias. Ita et in Ps. CI. serm. I. n. 1. Huc etiam refer, quod saepe Augustinus habet hominum bonorum iure esse bona omnia terrae, malos possidere aliena, etiam eos, qui domini sunt. Audi Aug. epist. CLIII. al. LIV. ad Macedonium c. VI. n. 26.: *Iam rem si prudenter intueamur, quod scriptum est* (Prov. XVII. post v. 6. apud LXX.) fidelis hominis totus Mundus divitiarum est, infidelis autem nec obolus, *nonne omnes, qui sibi videntur gaudere licite conquisitis, eisque uti nesciunt, aliena possidere convincimus! Hoc enim certe alienum non est, quod iure possidetur, hoc autem iure, quod iuste, et hoc iuste, quod bene. Omne igitur, quod male possidetur, alienum est, male autem possidet, qui male utitur. Cernis ergo, quam multi debeant reddere aliena etc. Sed inter haec toleratur iniquitas male habentium, et quaedam inter eos iura constituuntur, quae appellantur civilia, non quod hinc fiat, ut bene utentes sint, sed ut male utentes minus molesti sint, donec fideles pii, quorum iure sunt omnia etc.* Hunc sensum ex LXX saepissime habet Augustinus in libris suis: eumdem habet Hieronymus epist. LIII. al. CIII. ad Paulinum c. VI. n. 26., et lib. XIV. comm. in Ezech. c. XLV. v. 10. seqq., Cassianus collat. XXIV. cap. XXVI.

Quintum est ex enarr. Psal. XLIX. num. 30. ubi saepe repetit *eum solum laudare Deum*, qui laudat *non solum lingua, sed etiam vita*; qui sensus valde specificus est; notio autem generica, licet propriissima, laudis nihil dicit de moribus.

Sextum est l. II. de Ordine cap. V. num. 16.: «Philosophia.... inquit, nullum « aliud habet negotium, quae vera et ut « ita dicam germana philosophia est, « quam ut doceat, quod sit omnium re- « rum principium sine principio, quan- « tusque in eo maneat intellectus, quidve « inde in nostram salutem sine ulla de- « generatione manaverit ». Quam philosophiae notionem vides, quam angusta sit et circumscripta.

Septimum est ex epist. CI. al. CXXXI. n. 2. ubi negat oratoriam, poeticam, philosophiam esse *liberales disciplinas* in eis, qui cum *sint iniqui, atque impii liberaliter sibi videntur eruditi*: et post multa: « Absit omnino, ut istorum vanita- « tes, et insaniae mendaces, ventosae nu- « gae, ac superbus error recte liberales « literae nominentur, hominum scilicet « infelicium etc. »

Octavum est ex epist. CLV. al. LII. ubi num. 1.: « Nemo enim potest veraciter « *amicus* esse hominis, nisi fuerit ipsius « primitus veritatis ». Et c. II. num. 8.: « Exaggeratione terrenae felicitatis *bea-* « *tum* populum non dici, nisi a filiis alie- « nis, idest non pertinentibus ad regene- « rationem ».

Nonum est ex lib. XIII. Confess. cap. XXVII. n. 42. « Cum homines idiotae, « atque infideles... suscipiant corporaliter « reficiendos, aut in aliquo praesentis vitae « usu adiuvandos pueros tuos, cum id, « quare faciendum sit, et quo pertineat, « ignorent, nec illi istos *pascunt*, nec isti « ab illis *pascuntur*, quia nec illi haec « sancta, et recta voluntate operantur, « nec isti eorum datis, ubi fructum non- « dum vident, laetantur »: Hoc sensu adeo specifico, et limitato dicit, quod infideles non *pascunt* Christianos, quibus eleemosynas largiuntur, nec hi ab illis *pascuntur*.

Decimum est ex lib. XIX. de Civ. cap. XXVIII.: « Nec anima ibi (in inferno) « vivere dicenda est, quae a vita Dei alie- « nata erit, nec corpus, quod aeternis do- « loribus subiacebit »: Quis autem dubitat damnatos propriissime vivere, teste ipsomet Augustino lib. XXII. cap. XII. et aliis sequentibus.

Tandem, ne infinitus sim, consuetudo s. Augustini usurpandi voces in sensu

quodam emphatico et antonomastico (*a*) apparet lib. De Correp. et gr. cap. IX. num. 20. et seqq. : ubi de vocibus *Filii Dei*, *Discipuli Christi etc.*, quas negat vere convenire *non perseverantibus* : « Quia, ergo, inquit n. 22., non habue-« runt perseverantiam, sicut non *vere* « *Discipuli Christi*, ita nec vere *Filii* « *Dei* fuerunt, etiam quando esse vide-« bantur, et ita vocabantur. Non quia « (inquit num. 22.) iustitiam simula-« verunt (in quo Augustinus adversatur errori de iustitia inamissibili), sed « quia non permanserunt ». Quae ac similia saepissime repetit. Quare *Filios Dei*, quod est genericum, usurpat pro *Filiis Dei perseverantibus*, quod est specificum.

Nihil igitur mirandum est, quod Augustinus *bonum opus*, vocem scilicet ex se genericam, usurpet pro nobilissima specie, sive pro *bono opere meritorio* regni coelestis. Est enim id familiare eius stilo, qui *habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci* ut de Cypriano pronunciavit ipse August. ep. XCIII. al. XLVIII. c. X. num. 39. Quam loquendi consuetudinem lib. VIII. de Civ. cap. V. aliisque librorum eius testimoniis intelligi potest eum hausisse tum ex aliis tum praecipue ex platonicis, *quos caeteris non immerito fama, atque gloria praelatos videmus*, ait. lib. VIII. de Civ. cap. VI. Imo eam consuetudinem usurpasse pro quadam loquendi regula animadverti potest ex enarr. in Ps. XCVI. num. 19.

Iulianus itaque ut probaret bona opera fieri posse sine iuvante gratia Christi, in exemplum proferebat honestas infidelium operationes — Solent enim negare Dei dona esse virtutes, quibus recte vivitur, et eas naturae voluntatique humanae, non gratiae Dei tribuere, hoc argumento, quod eas nonnumquam habeant infideles, ita conantes evacuare, quod dicimus, neminem recte vivere, nisi ex fide per Iesum Christum l. IV. c. Iul. c. III. — Haec Iuliani argumentatio classicum illius pugnae fuit, quae de operibus bonis infidelium excitata fuit Iulianum inter, atque Augustinum (*b*). Qui

(*a*) Hoc ipsum iamdudum animadverterant duo scholae lumina, Bonaventura et Thomas, quorum ille de Augustino loquens, ait in II. dist. XXXIII. art. 3. q. I. ad I: « Et hoc *valde abundanter* exprimit, *plus* dicens, et *minus* volens intelligi ». Alter vero in quaestionibus disputatis de malo q. V. a. 2. ad I. scribit: « Dicendum, quod nomen tormenti, supplicii, gehennae, et cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum (et Augustini nominatim) invenitur, est *large* accipiendum pro poena, ut ponatur *species pro genere*. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam poenam deberi ». Imo ut ita loquerentur, inde etiam repeti causa debet, quod non platonicis modo, verum etiam Θεοπνευστοις Bibliorum scriptoribus solemne fuerit, nomina *propria* pro *communibus*, ac rerum *species* pro earumdem *generibus* usurpare, Is. LXIII. 16. I. Cor. III. 6. Ps. XLIV. 7., XLVI. 10. Zach. X. 4, Matth. VI. 11., XV. 2. Atque hinc non mediocris difficultas, uti par est, interpretandi Augustini effata atque sententias, et aequissima adeo Cardinalis Valerii antistitis Veronensis in Rethoric. Eccles. lib. III. cap. XLII. ad clericos admonitio: « B. Augustini scripta clerici caute admodum legant; ita enim acumine ingenii praestitit, et de rebus difficillimis tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio praediti viri eius libros legentes in errorem aliquando lapsi sint ». C. P.

(*b*) Clariss. Auctor ad Iansenium refellendum, qui *cavillationis imperitissimae atque ab Augustini mente remotissimae* nomine traduxit quaecumque Suarius ad praesentem Augustini locum (c. Iul. lib. IV. cap. III.) catholico sensu explicandum attulerat, satis habuit, uti patet, pluribus congestis exemplis ostendere, quam usitatum Augustino fuerit, *genus pro specie nobilissima usurpare*; cui loquendi rationi et illud sit adscribendum, quod s. Doctor *bonum opus* illud tantum appellet, *per quod homo potest ad aeternum Dei donum, regnumque perduci*.

Porro visum est perutile fore, si nonnulla in hunc rem adderentur. Hinc enim Augustinianus ille locus suis adeo non caret difficultatibus, ut ii etiam, qui in Augustini operibus versatissimi, et in eiusdem sententiis explanandis peritissimi habentur, hic tamen haerere atque etiam offendere videantur (Vid. Ioseph. Carolus Tricapinius De necessaria ad salutem gratia. p. II. sect. II. §. 5. a pag. 215, Du Chesne in op. Le Predestinatianisme lib. VI. c. III., Leibnitius in Praef. ad tentamina Theodic. §. 34. et in litteris ad Grimarestium apud Kortholt. tom. III. epist., pag. 326). Inde vero baiani et ianseniani, Calvinum imitati, qui ut gratiam voluntati necessitatem inferentem assereret, ad ravim usque capita XI. et XII. libri *de Correptione et gratia* opponere non

optima responsione usus est, si ea est usus, quam Augustino tribuunt nostri theolo-

destitit, ad damnatam illam doctrinam promovendam = *Omnia infidelium opera esse peccata, philosophorum autem virtutes esse vitia* = tertium hoc caput libri IV. contra Iulianum perpetuo inculcare consueverunt. Qua in re calvinistae aeque ac iansenistae cum baianis veterum haereticorum vestigiis institerunt. Haereticorum enim omnium mos semper fuit, ut post Vincentium Lirinensem monuit Facundus Hermianensis, obscurum aliquem locum veteris cuiuspiam doctoris, cuius se nomine et auctoritate tuerentur, reperire, illum semper in ore habere, atque ut ad illum prave intellectum luculentissima quaeque exigerentur, prope ineluctabili iure postulare.

Retundi itaque hoc iansenianorum telum posset advertendo in primis, utique infidelium opera ab Augustino generatim appellari *peccata*, ac saepius in eam rem a s. Doctore usurpari apostolicum illud effatum (Rom. XIV. 23.): *Omne, quod non est ex fide, peccatum est:* at *peccati* vocabulum alio plane sensu adhiberi, ac iansenistae ratum habeant. Et vero norunt eruditi, non unam huic voci inesse significationem. Atque ut ea, quae huc non spectant, missa faciamus, auctor est Thomas (I. II. q. XXI. a. 1.) *peccatum proprie consistere in actu, qui agitur propter finem aliquem, cum non habet debitum ordinem ad finem illum;* quamquam, ut ibidem et sequenti articulo tradit s. Doctor, actiones ab ordine in finem deficientes tunc solum reatum inducant, cum homo sciens et volens rectam agendi normam, quae est Dei voluntas ipsi manifestata, praetergreditur. Peccatum ergo dici potest quaelibet actio, quae ultimum finem non assequatur, quaeque propterea ab absoluta perfectione deficiat, licet defectus ordinis in finem, et carentia perfectionis in culpam non imputetur, nisi defectus huiusmodi ex prava agentis voluntate divinae legi obnitente dimanet.

Porro si verissima haec s. Thomae doctrina teneatur, facili quisque negotio intelliget, et infidelium opera, omnia ab Augustino dici potuisse *peccata*, et s. Doctoris sententiae nihil esse cum iansenianа impietate commune. Credimus quippe catholici omnes, hominem ex mera divina liberalitate ad eum finem esse destinatum, qui naturalem eius conditionem prorsus superexcedit: hunc vero finem obtinendum esse non per actus liberos quoscumque, qui ex meris naturae viribus ortum ducant, sed quos interior divina gratia dignitate supernaturali augeat, quos fides divina dirigat, et caritas divina informet. Qua perfectione quis non videt infidelium opera caruisse, etiamsi in agendo a recto rationis ordine non recederent? *Peccata* igitur eorum opera appellari potuerunt, quia absoluta perfectione destituebantur, quia ad finem homini divinitus propositum non tendebant: neque tamen consequens est, vitio aliquo intra fines moralis ordinis ea infecta fuisse.

Itaque ad rem conficiendam hoc unum reliquum est, ut ostendamus, haec non ad arbitrium a nobis excogitari, et Augustino reluctanti affingi, sed ea esse, quae et menti eiusdem sint consentanea, imo quae ab ipso Augustino Angelicus Doctor mutuatus fuerit. Id vero nos praestitisse nemo negabit, si duo haec ostenderimus: videlicet I. eadem illa infidelium opera, quae a s. Doctore appellantur *peccata*, ab ipso tamquam honesta et rectae rationi consentanea quoad ethicum ordinem commendari. II. hoc tantum in ipsis vitium reprehendi, quod ad vitam aeternam assequendam inutilia sint.

Et primo quidem quod universim infidelium opera s. Doctor peccatis accenseat, supervacaneum videtur evincere, cum id adversarii non concedant modo, sed enixe contendant. At cum plurimum praesenti causae prosit, ut id firmum sit et inconcussum, pauca haec prae oculis habeantur, quae scribit in libro de Gestis Pelagii Cap. XIV. n. 34. *Quantumlibet autem opera infidelium praedicentur, eiusdem Apostoli sententiam veram novimus et invictam: Omne quod non est ex fide peccatum est.* Et rursus tract. LXXXVI. in Ioan. n. 2: *Non est ut dicas, antequam crederem, iam bona operabar, ideo electus sum; quid est enim boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide peccatum est?* Manifesto igitur liquet, omnia prorsus infidelium opera eiusmodi esse ex Augustini sententia, quibus aequo iure verba Apostoli congruant: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

At peccatisne adnumerantur ea opera, quod a morali honestate deficerent? Testimonia habemus, quae Augustini mentem liquido patefaciant. Et in primis ea occurrunt, quae habet in libro de Spiritu et littera (capp. XXVII. XXVIII. n. 48.), ubi permittens verba Apostoli (Rom. II. 14.), *Cum enim gentes, quae legem non habent ....*, accipi de illis, qui christianam fidem nondum amplexi fuerant, inquit: *Si autem hi qui naturaliter quae legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter iusteque colentium, quaedam tamen facta vel legimus vel novimus vel audimus, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus.* At quae secundum iustitiae regulam merito recteque laudantur, ea ut honesta habeantur prorsus oportet.

Neque dicas, mox ab Augustino defectum innui illis operibus inhaerentem ex parte *finis*, ubi ait: *Quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quae iustitiae debitam laudem defensionemque mereantur.* Duplex enim finis humanis actibus ex mente Augustini proponi potest: alius quem fides, alius quem naturalis ratio praescribit. De priori intelligendus est quum (in Psalm. XXXI. enarr. II. n. 4.) inquit: *Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* De altero accipienda sunt,

gi cum Suarez, quaeque ad haec pauca reducitur — Nobis satis est quod bona

quae habet in libro IV. contra Iulianum (cap. III. n. 18.): *Non enim absurde virtus definita est ab eis qui dixerunt, Virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus:* quamquam illico subiiciat, quid perfectionis desit huic virtuti, si cum christiana comparetur, inquiens: *Verum dixerunt, sed quid consentaneum liberandae ac beatificandae naturae mortalium nescierunt ..... Hoc summum bonum praestari hominibus non potest, nisi per Christum.* Proinde si obiecta verba accipias de fine seu intentione, quam sola fides docet, id unum conficies, ethnicorum opera non promereri eas laudes, quae supernaturali iustitiae debentur: quod nemo negaverit. Si vero explices de fine, quem ratio naturalis per se assequi potest, reponemus, non affirmari ab Augustino, omnia prorsus infidelium opera hac labe fuisse corrupta; tum quia post nonnulla id expresse his verbis fatetur: *Sicut enim non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur:* ubi absurde *bona opera* diceres, quae pravo fine corrupta in ordine ethico reapse vitia forent poenis luenda; tum quia quae de finis defectu in iis operibus dixerat, corrigit quodammodo, subdens: *Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere:* a terreno autem affectu potius, quam a reliquis illis lineamentis repetenda essent opera, quae malum finem haberent; tum denique quia saepissime s. Doctor ad operis honestatem eum finem exigit, quem cum non ex fide, sed ex rationis dictamine discamus, hunc ex eius sententia et in infidelium quoque potestate fuit habere, et reipsa saltem interdum habuerunt.

Et quod spectat ad finem, qui naturalis rationis facultatem nec effugiat nec excedat, luculenta sunt quae habet Augustinus de fine, qui ad sumendum cibum movere debet. *Illos* (inquit serm. LI. cap. XIV. n. 24.) *ad mensam non ducit nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque isti cadunt in escam et potum. Illi autem, qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt ut comedant, sed ideo comedunt, ut vivant. Itaque istis prudentibus et temperantibus si offerretur, ut sine cibo et potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quo cadere non consueverunt, nec descendere cogerentur?* Et lib. XXII. contra Faustum cap. 44.: *Lex aeterna.... cibum et potum ad ordinem naturalem non nisi gratia conservandae salutis admittit.* Quibus affinia occurrunt lib. X. Confess. cap. XXXI. n. 44., lib. IV. contra Iulian. cap. XIV. n. 67., et lib. II. de Mor. Manich. cap. XIII. n. 28.

Huc faciunt quae de usu coniugii (lib. de Pecc. Orig. cap. XXXVIII. n. 43.) scribit: *Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulae, causa procreandorum fieri filiorum, per se ipsum prorsus, non in comparatione fornicationis bonus est.* Et lib. XXII. contra Faustum cap. LXI.: *Consulta quippe aeterna lex illa, quae ordinem naturalem conservari iubet, perturbari vetat, non nisi procreationis causa statuit hominis concubitum fieri, et hoc non nisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis.* Eadem repetit serm. LI. cap. XV. n. 25, et lib. de bono viduit. c. VIII. n. 11., ubi coniunctionem procreandorum filiorum causa initam docet non esse in homine *improbandum affectum.*

Adde quae s. Doctor vel de molestiis depellendis, vel de carorum morte deflenda sensit. Quoad primum enim sic habet in lib. IV. contr. Iulian. cap. XIV. n. 66: *Quando molesta vitantur, ut putores, amaritudines, aestus, frigora, et quaeque aspera et dura et gravia, commoditatis provisio, non libido est voluptatis. Ea vero, quae his contraria commode sumimus, si nihil eorum interest ad salutem vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione, cum praesto sunt, tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine.* Quibus gemina scripserat eodem capite n. 65. de usu sensuum, quem vel honesta utilitas vel inhonesta libido moderaretur.

Quoad alterum vero sic disserit in epist. CCLXIII. ad Sapidam n. 3.: *Non quidem succensendum est de caris mortuis dolori mortalium: sed diuturnus dolor non debet esse fidelium; si ergo contristata es, iam sit satis, nec sic contristeris, quemadmodum gentes, quae spem non habent: non enim contristari prohibuit Paulus Apostolus, cum hoc diceret, sed sic contristari quemadmodum gentes quae spem non habent.* Quod mox confirmat exemplo Marthae, Mariae, ipsiusque Christi Domini, qui Lazari mortem lamentatus est.

Habemus igitur ex Augustino I. rem esse prudentiae, temperantiae atque aeternae consonam legi potu cibisque uti sive indigentia refectionis sive tuendae valetudinis causa; II. rem esse prorsus bonam, honestam, atque aeterna lege comprobatam iungi connubio procreandorum filiorum gratia; III. rem esse non ex libidine sed ex honesto affectu permanantem arcessere sibi quae utilia videantur, atque illa repellere quae noxia molestave sint; IV. denuum rem esse, quam immerito improbes, propter caros mortuos deflere et conqueri. Atqui primo, finis hisce actionibus propositus non fidei sed unius rationis lumine cognoscebatur: secundo, docet Augustinus, has actiones non nisi propter eum finem turpes fieri, qui inhonestus sit atque ab ipsa improbatus ratione. Ad honestatem igitur actionum satis erat Augustino, si ad finem tenderent, cuius bonitas solo rationis lumine innotesceret, neque ulterius,

fidelium opera conducentia ad vitam aeternam ex solo arbitrio sine gratia Chri-

ne haberentur turpes, exigebat, ut eas fides ad nobiliorem finem proveheret.

Quod vero finem eiusmodi, qui et moralis ordinis honestate decoretur, et sibi relictae naturalis rationis vim non effugiat, infideles quoque sibi proponere in agendo potuerint, ac porro reipsa sibi quandoque proposuerint, res est in Augustini scriptis exploratissima. Luculenta sunt quae legimus in sermone CCCXLIX. (al. LI. de Temp.), ubi de caritate disserens, in tres classes ita ipsam primum distribuit (n. 1.). *Haec ergo prima est distributio mea, quod dixi, aliam humanam, aliam divinam esse caritatem: eamdemque humanam in duo distribui, quod alia sit licita, alia illicita. Prius ergo loquor de humana licita, quae non reprehenditur: deinde de humana illicita quae damnatur: tertio de divina, quae nos perducit ad regnum.* In quibus iam vides triplicem illam operum partitionem, quam adversus baianos et iansenistas propugnamus, ut alia non modo honesta sint, sed ad promerendam aeternam eandemque supernaturalem beatitudinem idonea, alia vitiosa sint atque illicita, alia vero quae cum licita dicantur ac nulli reprehensioni obnoxia, profecto, nisi desipere plane velimus, honesta pronunciare debemus. Sic porro Augustinus de re proposita disserit (n. 2.): *Ut ergo breviter insinuem, licita est humana charitas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix vel uxor aliena ..... Licitam ergo caritatem habete: humana est, sed, ut dixi, licita. Non solum autem ita licita est, ut concedatur: sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere coniuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, et gluten quodam modo caritatis. Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, idest, paganorum, Iudaeorum, haereticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines amicos .... ? Haec ergo humana est. Si ergo tali quisque crudelitate effertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, et non amet filios suos, et non amet coniugem suam; nec inter homines numerandus est».* Augustinus igitur etiam in impiis paganis, quibus fidei lux nulla praefulget, affirmat esse posse eam caritatem, cuius defectum reprehendendum dicit, et ad quam habendam fideles quoque ipse exhortatur. Neque solum eam licitam praedicat, sed cum divina caritate consociari posse mox subdit (n. 4.): *Tres* (inquit) *dilectiones commemoravi ....; de licita humana, de illicita humana, de illa excellenti atque divina. Interrogemus divinam caritatem, et ponamus ante illam duas humanas caritates, et dicamus ei: Ecce licita caritas humana, qua uxor diligitur et filiae, aliaeque necessitudines saeculares: ecce alia illicita, qua diligitur meretrix...., qua diligitur uxor aliena. Duae ante te sunt caritates; cum qua istarum vis manere? Qui eligit manere cum illa humana licita, cum illa humana illicita non manet. Nemo sibi dicat, ambas habeo. Si ambas habes admittendo ad te dilectionem meretricis, iniuriam facis tamquam matronae, quae ibi habitat, divinae caritati.* Consociari autem posse vel non posse cum divina caritate quid est aliud, quam vitio aliquo infici vel non infici? Pagani igitur ex Augustino induere possunt affectus, qui nullo ethico vitio labefactentur.

Id ipsum evincitur ex iis, quae in ep. CXLIV. al. CXXX. n. 2. pronunciat de Polemone, cuius quum ex ebrioso et luxurioso in sobrium atque temperantem enarrasset conversionem, quam voluit Deo creatori ac perfectori naturae esse omnino tribuendam, ne secus superbi et ingrati animi vitium incurratur, subdit: *Polemo ergo si ex luxurioso continens factus ita sciret cuius esset hoc donum, ut eum, abiectis superstitionibus gentium, pie coleret; non solum continens, sed etiam veraciter sapiens et salubriter religiosus existeret: quod ei non tantum ad praesentis vitae honestatem, verum et ad futurae immortalitatem valeret.* Continentiam igitur Polemonis Augustinus non modo habuit ut opus divinae gratiae, et ad honestatem praesentis vitae apprime accommodatam, sed ad vitae futurae immortalitatem existimavit valere potuisse, siquidem veri Dei cultum adiunctum habuisset. Id vero quomodo Augustinus affirmasset, si continentia illa in ipso morali ordine intrinseca quapiam labe corrumperetur?

Praeclara sunt itidem, quae lib. VI. Confess. cap. X. n. 16. s. Doctor habet de amico suo Alypio: *Et ter* (inquit) *iam assederat mirabili continentia caeteris, quum ille magis miraretur eos, qui aurum innocentiae praeponerent. Tentata est quoque eius indoles non solum illecebra cupiditatis, sed etiam stimulo timoris. Romae assidebat comiti largitionum Italicianarum. Erat eo tempore quidam potentissimus senator, cuius et beneficiis obstricti multi et terrori subditi erant. Voluit sibi licere nescio quid ex more potentiae suae, quod esset per leges illicitum; restitit Alypius: promissum est praemium; irrisit animo: praetentae minae; calcavit, mirantibus omnibus inusitatam animam, quae hominem tantum et innumerabilibus praestandi nocendique modis ingenti fama celebratum vel amicum non optaret vel non formidaret inimicum.* Et infra: *Hoc solo autem pene iam illectus erat studio litterario, ut pretiis praetorianis codices sibi conficiendos curaret: sed consulta iustitia deliberationem in melius vertit, utiliorem iudicans aequitatem qua prohibebatur, quam potestatem qua sinebatur.* Haec vero profertne Augustinus, ut Alypii gesta tamquam improba vituperet, an non potius ut ea magnopere commendanda censeat? Attende quaeso, quae ibidem subiicit: *Parvum est hoc; sed qui in parvo fidelis est, et in magno fidelis est.* Eam igitur laudem Alypio tribuendam existimavit, qua Christus fidelitatem commendavit in parvis. Sed

sti iuvante esse non possint. Haec opera veras virtutes dicimus. Nihil curamus

Alypius tunc temporis christianae fidei luce destituebatur, atque ut ibidem ait Augustinus, *mecum nutabat in consilio, quisnam esset tenendus vitae modus.* Non ergo ea fuit Augustino sententia, nullum esse opus eorum, qui fide carent, quod in morali ordine undequaque honestum haberi non possit.

Eodem spectant quae in eodem libro habet sive (cap. XII. n. 21.) de castitate Alypii, qui *prohibebat* (inquit) *me ab uxore ducenda, causans nullo modo nos posse securo otio simul in amore sapientiae vivere, sicut iam diu desideraremus, si id fecissem. Erat enim ipse in ea re etiam tunc castissimus, ita ut mirum esset; quia vel experientiam concubitus coeperat in ingressu adolescentiae suae, sed non haeserat; magisque doluerat ac spreverat, et deinde iam continentissime vivebat;* sive (cap. X. n. 17.) de sapientia Nebridii, *qui* (ut ait ipse) *relicta patria vicina Carthagini, atque ipsa Carthagine ubi frequentissimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo et non secutura matre, nullam aliam ob causam Mediolanum venerat, nisi ut mecum viveret in flagrantissimo studio veritatis atque sapientiae.*

Et ne in re manifesta plura, quam par est, congeramus, satis sit et ea perpendere, quae in epist. CXXXVIII. al. V. cap. III. n. 17. de priscis Romanorum moribus scribit: *Feramus eos, si corrigere non valemus, qui vitiis impunitis volunt stare rempublicam, quam primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quae illos etiam in aeternam civitatem posset salubri religione perducere; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitati constituendae, augendae, conservandaeque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romanorum, quantum valeant civiles etiam sine religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas.* Opponit s. Doctor, ut patet, civiles virtutes, quas Romanis concedit, virtutibus ex vera religione profectis, et in aeternam civitatem perducentibus, atque illis praeter religionem cultumque veri Dei nihil defuisse affirmat, ut perfectae aestimarentur. Iam vero si aliquo intrinseco vitio civiles illae virtutes fuissent commaculatae, non sola religio, sed intrinseca etiam bonitas addenda illis fuisset, ut ad aeternam vitam perducerent.

Satis igitur manifestum putamus primum illud, quod evincendum nobis proposuimus, videlicet: eadem illa infidelium opera, quae ab Augustino saepe saepius *peccata* dicuntur, ab ipso tamquam rectae rationi atque aeternae legi consentanea, ac proinde quoad ethicum ordinem honesta commendari. Alterum superest ostendendum: id tantum vitii in eiusmodi operibus reprehendi, quod ab excellentiori christiana perfectione dum deficiunt, ad vitam aeternam assequendam inutilia sint.

Quod quidem animadvertere licuit in iis quoque, quae iam ex Augustino descripsimus. Nihil enim deesse continentiae Polemonis asseruit, quam ut veri Dei cultu accedente ad futurae quoque vitae immortalitatem valeret: nihil civilibus Romanorum virtutibus, quam ut cum vera pietate erga Deum verum coniunctae illos etiam in aeternam civitatem possent salubri religione perducere: nihil caritati illi erga necessarios quam etsi *saeculariter* exhiberi dicat (n. 7.), licitam tamen profitetur, quam ut in *eis non nisi Christus diligatur.*

In eandem sententiam in libr. de Spir. et lit. cap. XXVIII. n. 48. scribit de hominibus a fide alienis: *Et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit: sed pietas quae in aliam vitam transfert beatam et aeternam, legem habet immaculatam convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur:* ubi naturae vi cum tribuat facultatem aliquid cognoscendi et faciendi quod *legitimum* atque adeo naturali honestati ac iustitiae plane respondeat, eidem negat solum virtutem illam hominem renovandi, quae divinioris est muneris.

Habentur autem ista luculentius in enarratione II. ad Psalmum XXXI. n. 4.: *Quid ergo? Debemus nulla opera praeponere fidei, idest ut ante fidem quisquam dicatur bene operatus? Ea enim ipsa opera, quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cum facit adspiciat, quo lacertos optimae gubernationis dirigat.* Negat Augustinus homini bona opera ante fidem. Quid porro in ipsis accusat? Num vitium aliquod, quo dehonestentur? minime vero: sed quod *inania sunt*, quod cum magnae vires sint, et cursus celerrimus, praeter viam currunt, nec ad portum quo tendendum est, pervenire possunt; portus autem, uti patet ex contextu, est regnum coelorum. Et rursus (ibid. n. 6.): « *Noli praesumere de operibus ante fidem. Noveris, quia peccatorem te fides invenit, et si te data fides fecit iustum, impium invenit quem faceret iustum..... Iactet etiam impius opera sua, et dicat, Do pauperibus, nihil alicui aufero, non uxorem alienam concupisco, non quemquam occido, nulli fraudem facio, depositum apud me nullo teste repraesento; haec omnia dicat: quaero utrum pius sit, an impius. Et quomodo sum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi, de quibus dictum est, et servierunt creaturae potius quam creatori, qui est benedictus in saecula. Quomodo es impius? Quid si de his omnibus bonis operibus aut illud speras quod sperandum est sed non ab illo a quo sperandum est: aut hoc speras, quod sperandum non est etiam ab illo a quo vita aeterna speranda est?..... Im-*

de operibus infidelium, quorum nullum est *bonum beatificum* (Vide librum IV.

pius ergo es, et nulla sunt ista opera tua. Moveas licet in bonis operibus lacertos, et videaris navim optime gubernare, in saxa festinas. Quod si quod sperandum est speras, idest vitam aeternam..... sed putas te ad vitam aeternam posse pervenire per militiam coeli, per solem et lunam, per potestatem aëris, et maris, et terrae, et siderum? Impius es. Crede in eum, qui iustificat impium, ut possint et bona opera tua esse opera bona ..... Corrige fidem, dirige fidem, dirige viam; et si habes bonos pedes, ambula iam securus, curre, viam tenes: quanto melius cucurreris, tanto facilius pervenies.

Profecto si quis alius, hic certe opportunissimus erat locus vitia aperiendi quae infidelis hominis opera inficiant, cum totus in eo sit Augustinus, ut evincat, nihil de operibus ante fidem esse praesumendum, nec nisi impium esse posse, qui rectam fidem non habet. Atqui impium utique appellat, quia sola fides potest ex impio iustum facere: impium vocat, quia creaturas colit, non creatorem: impium dicit quia vel sperat quod non est sperandum, vel ab eo sperat, a quo sperandum non est: at impium ex vitio, quod in ipsis operibus lateat, non dicit: imo vigilanti verbo utens opera illa *nulla* utique appellat, nuspiam vero impia. Quibus gemina habet initio tractatus X. in Ioannis epistolam: *Opera* (inquit) *tua praeterita, antequam crederes, vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens: si autem bona videbantur, antequam crederes, currebas quidem, sed praeter viam currendo, errabas potius quam perveniebas. Est ergo nobis et currendum, et in via currendum. Qui praeter viam currit, inaniter currit, imo ad laborem currit.* Ex quibus rursus constat, in istis infidelium operibus nullum vitium, labem nullam ab Augustino reprehendi, propter quam inhonesta dicenda sint: eo contra defectu ipsa laborare, quod inania sint, atque ad finem, quo in praesenti providentia properare debent homines, nullius sint frugis. Atqui eiusmodi opera ab Augustino appellantur *peccata*; *peccati* vero appellatio, uti vidimus, apprime quadrat in illos actus, qui cum pro supernaturali providentiae statu ordine ad finem debito careant, ab ipso fine deficiunt. Non ergo aliena affingitur, sed sua Augustino redditur sententia, quum universa opera infidelium ab ipso peccata nuncupari dicimus, non quia quaelibet actio infidelis ab ethicae bonitatis norma recedat, sed quia ad aeternam vitam, quae fidei operibus promissa est, assequendam nullo modo conducunt.

Atque haec quidem reponi recte posse censemus, quoties baianus vel ianseniamus proscriptae ab Ecclesia Catholica doctrinae = *omnia infidelium opera esse peccata, virtutes philosophorum esse vitia* = ex pluribus sententiis, quae in variis Augustini libris occurrunt, praesidium quaerat. Quod si controversia arctioribus limitibus constringatur, ac tota fere ad cap. III. libri IV. contra Iulianum revocetur; enimvero censemus paulo diversam viam ineundam esse, ac responsum quod locus ipse in disceptationem adductus sponte suggerit, reddendum esse. Cuiusmodi autem illud sit plenissime aperiet breve totius huius capitis, et disputationis in ipso agitatae examen.

Ut controversiae itaque, quae Augustinum inter et Iulianum ibi discutitur, cognoscatur indoles, paulo altius res est repetenda. Scripserat Augustinus ad Valerium comitem libros duos *de Nuptiis et concupiscentia*. In quorum priori (cap. III. n. 4.) negabat in impiis inveniri veri nominis coniugalem pudicitiam. Addit (ibid. cap. IV. n. 5.) hanc ab iis virtutem abesse, quamvis pudicitiae officia praestentur, ac concludit: *Vera igitur pudicitia... dicenda non est, nisi quae verae fidei mancipatur.*

Libros *de Nuptiis et concupiscentia* quatuor libris impugnavit Iulianus, in quibus et illud maxime reprehendit, quod de impiorum virtutibus Augustinus affirmaverat. At hominis audaciam retundendam censuit s. Doctor, atque hac de re disputat lib. IV. cap. 3., ubi quae pressius docuerat, latius uberiusque exponit, atque confirmat. Quae ut rite intelligantur, diligenter ea consideranda sunt, quae Iulianus adversus Augustinum propugnanda sibi assumpserat.

Iulianus itaque ex pelagianorum sententia ut (contr. Iulian. lib. IV. cap. III. n. 14.) *negaret dona Dei esse virtutes, quibus recte vivitur, et eas naturae voluntatique humanae non gratiae Dei tribueret*, hoc usus iam fuerat argumento (ibid.), *quod eas nonnumquam habeant infideles.* Hoc vero non contentus, iam *abundare illos virtutibus, et misericordes crebro, et modestos, et castos inveniri et sobrios* (ibid. n. 16.) tuebatur. Cum autem haberet prae oculis rationem, qua Augustinus (lib. I. de Nupt. et concup. capp. III. et IV.) negaverat veras esse posse impiorum virtutes, novam (n. 19.) induxit in haec verba doctrinam: *Cunctarum origo virtutum in rationabili animo sita est, et affectus omnes per quos aut fructuose aut steriliter boni sumus in subiecto sunt mentis nostrae, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cum sit in omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat: sed pro iudicio voluntatis, cuius nutui serviunt, aut ad aeterna aut ad temporalia diriguntur. Quod cum fit, non in eo quod sunt, sed in eo solo variant, quod merentur. Nec nominis igitur sui possunt nec generis sustinere dispendium, sed solius, quod appetiverunt, praemii aut amplitudine ditantur aut exilitate frustrantur.* Ex quibus Iuliani verbis, habita ratione tum augustinianae doctrinae, quam refellere intendit, tum maxime interpretationis, quam mox Augustinus subiicit, liquido apparet, censuisse ipsum I. naturam entitatemque virtutum

contra Iulianum n. 33. prope finem) pelagianis etiam fatentibus. Ex quibus sa-

independentem plane a fine esse, cuius gratia exercentur, ac proinde II. illas absolute officiis tantum esse dimetiendas, finem vero III. illud efficere, ut virtutes aut steriles sint aut fructuosae.

Huic Iuliani doctrinae sese opponit Augustinus, et quadruplici ex capite (n. 14. seqq.) argumentum refellit, quod ille primitus informaverat ex infidelium virtutibus, ut gratiae necessitatem e medio tolleret. Ex eo enim consequi ostendit, non modo naturae facultati bonorum operum initia vindicari, sed eidem attribui eorumdem perfectionem, consummationemque, atque idcirco gratuitatem divinae gratiae everti, nec non meritum crucis evacuari, cum hinc illam rependi meritis, aeternam autem vitam etiam solis naturae viribus quamquam difficilius comparari posse assereretur.

Hisce potius delibatis quam pro rei gravitate discussis, iugulum ipsum quaestionis (n. 19.) appetit Augustinus, atque Iuliani inauditam de virtutibus doctrinam ad trutinam vocat. Nam cum docuisset Iulianus, virtutum naturam solo officio dimetiri, atque, ut refert Augustinus, *hoc tantummodo intuendum quod agitur, nec causam quaerendam esse cur agatur;* huic autem fundamento suam distinctionem virtutes inter steriles atque praemii amplitudine ditatas superstruxisset; negat hoc discrimen Augustinus, et ostendens (n. 21.), *non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes*, una cum fundamento inaedificatam ipsi virtutum partitionem evertit. Observat exinde, eas a Iuliano *steriles virtutes* dictas fuisse, quae improbo aliquo fine commaculerentur: *Tu vero* (inquit n. 18.) *male accipis, quod ait Apostolus:* Nam qui in agone contendit, ab omnibus continens est (I. Cor. IX. 21.): *ut continentiam... etiam choraulas et huiuscemodi turpes infamesque personas habere contendas. Hi enim quando in agone decertant, ab omnibus continent, ut corruptibilem coronam accipiant; a cuius tamen vana cupiditate non continent. Haec enim cupiditas vana ac per hoc prava vincit in eis et frenat alias pravas cupiditates. propter quod dicti sunt continentes.* Et infra (n. 19.): *Haec ubi didiceris nescio: iam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus avarorum prudentia qua excogitant genera lucellorum; et avarorum iustitia qua gravium damnorum metu facilius sua nonnumquam contemnunt quam usurpant aliquid alienum, et avarorum temperantia qua luxuriae, quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum, soloque necessario victu tegumentoque contenti sunt; et avarorum fortitudo, qua ut ait Horatius.* Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes... *Ergo virtutes istae tali fine turpes atque deformes, et ideo nullo modo germanae veraeque virtutes, tibi tamen ita videntur et pulchrae*, ut nec nominis sui possint nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt praemii exilitate frustrentur... *Nec aliud erit quam vera iustitia Catilinae, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat; et fortitudo vera erit eius, quod frigus, famem, sitim ferre poterat: et vera patientia, quod patiens erat inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est. Quis haec sapiat, nisi desipiat?* Virtutes igitur steriles, quas Iulianus praedicabat, specie tenus virtutes erant, re vero ipsa vitia.

Qui vero fieri potuerit, ut Iulianus in re gravissima adeo turpiter deciperetur, duplicem causam Augustinus profert. Ac primo istud contigisse scribit, quod non satis rerum species ab ipsa rerum veritate distinxisset: *Sed videlicet* (ait n. 20.) *homo eruditus eorum vitiorum verisimilitudine falleris, quae finitima videntur et propinqua virtutibus, cum absint ab eis, quam longe absunt a virtutibus vitia.* Deinde quod Iulianus minus advertisset, *non hoc solum intuendum esse quod agitur, sed causam quoque quaerendam esse cur agatur*, seu quod idem valet, *non officiis solum, sed etiam finibus discernendas esse virtutes.* Hinc subdit Augustinus (n. 21.): *Quae tu non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare iustitiam etiam cum dominam reperis avaritiam .... Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quae omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent vel tenendam.*

Post quae refellendam sibi assumit Augustinus partitionem illam virtutum a Iuliano invectam, ut pro vario tantum earum fine vel praemii amplitudine ditarentur, vel exilitate frustrarentur. *Dici non potest* (inquit n. 22.), *quantum te ista fallat opinio, qua dixisti*, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuose aut steriliter boni sumus. *Fieri enim non potest, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quidquid steriliter sumus.* Et merito quidem. Id enim disputationis consequentia exigebat. Namque non alia admittebat bona opera Iulianus, nisi quae aut sterilia aut fructuosa essent. Atqui Augustinus in antecessum ex albo bonorum operum expunxerat Iuliani illa *opera steriliter bona*, utpote quae vera essent peccata, quia pravo fine dehonestata; ergo supererat, ut si quod opus bonum erat, admittendum, illud esse fructuosum concederetur. Accedit, de iis operibus sermonem habuisse Augustinum, ad quae perficienda necessariam esse gratiam et ipse affirmabat, et Iulianus inficiabatur. Ergo de operibus disserebat, quae praesidio gratiae fierent: atqui huiusmodi opera sive proxime sive remote fructuosa sunt, cum proxime vel remote ad vitam aeternam conducant. Postremo decretoria sunt haec Augustini verba (n. 33.), ut certissime cognoscatur, de qua tandem bonitate disputaret: *Scito, nos illud bonum hominum dicere... per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci.*

Hinc cum Iulianus ad gentilium defendendas virtutes etsi steriles usurpasset textum Aposto-

tisfieri iis potest, quae leguntur in Cardinali Norisio *Vindic. Aug.* cap. III. §. 4.

li ad Rom. II. 14: *Cum enim gentes quae legem non habent etc.*, Augustinus (n. 23-25) ex eodem Apostoli loco occasionem capit demonstrandi, vel deceptum fuisse Iulianum cum opera gentilium tantopere extulit, vel certe illum errasse, quum hinc veras virtutes inde vero steriles pronunciavit. Namque, ait, Paulus de iis loquitur gentibus, qui cogitationibus suis in die iudicii defendentur propter opera quae fecerunt. Atqui sterilia dici non possunt opera, quae in die iudicii defendant, *et ob hoc inveniant aeternam mercedem apud Deum.* Ergo si de operibus gentilium eo loci sermo est, ea non fuerunt sterilia sed fructuosa. Atqui ne essent fructuosa in gentilibus faciebat defectus fidei et ordinationis ad aeterna, quam ipsemet requirebat Iulianus. Ergo eo loci de operibus infidelium sermo non est. Decipiebatur ergo Iulianus sive cum ex Apostoli verbis ansam extollendi virtutes gentilium arripuit, sive cum illas bonas sed steriles appellavit.

Hisce ita praemissis de indole controversiae inter Augustinum et Iulianum, quaeri iam illud potest quod definiendum nobis proposuimus, quonam sensu Augustinus ita fidei necessitatem depraedicarit in hoc capite, ut negaret opus quodcumque esse bonum posse, imo non esse peccatum, nisi ex fide proficiscatur, quo sensu affirmaverit, nullas reperiri in infidelibus virtutes, imo eorumdem virtutes esse vitia.

Dicimus itaque, alio sensu ab Augustino fidem exigi, ut actus sint boni, et alio ne sint mali vel peccata. Ut enim boni sint virtutesque verae, necessitatem asserit fidei caritate informatae, ut pote quae principium illorum actuum esse debeat, qui ad aeternam vitam perducant. *Ea sola bona opera dicenda sunt* (inquit in Psalm. LXVII. n. 41.), *quae fiunt per dilectionem Dei; haec autem necesse est antecedat fides.* Et in hoc ipso capite n. 33.: *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quae datur per unum mediatorem Dei et hominum, non posse conferri: per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci.* Et n. 19.: *Hoc summum bonum praestari hominibus non potest, nisi per Christum ..., cuius morte mors vincitur, cuius vulneribus natura nostra sanatur. Ideo iustus ex fide Christi vivit.... Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quae in Christo est vêra promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt verae esse virtutes.*

Ne vero actus mali sint, heic Augustinus illud unice contendit, ne *contrarie* sese ad fidem habeant. Quod quidem compertum esse debet tum ex institutae disputationis scopo, tum ex ipsa serie contextus. Et sane id erat Augustino propositum, ut excluderet opera steriliter bona, quae Iulianus adstruxerat. Atqui actus steriliter boni a Iuliano asserti in eo maxime digni erant reprehensione, quod cum inhonesto fine corrumperentur, fidei erant contrarii; non igitur quod fidem non haberent praeeuntem, sed quod fidei opponerentur, eos reprehendit, ac mali ne sint, id constanter exigit ne saltem a norma dissideant, quam fides praemonstrat. Id vero contextus orationis citra controversiam ponit. Dum enim vitia intento digito ostendit, quibus opera bona ac virtutes a Iuliano iactatae corrumpebantur, non ad defectum fidei, sed ad alias labes fidei aeque ac rectae rationi oppositas recurrit. Etenim, ne huc revocemus quae retulimus de virtutibus quae dominae serviunt avaritiae aut quae ancillae sunt voluptatis, ut malam (n. 26.) Augustinus probet caritatem romanorum in patriam ob fidei defectum, istud unum inculcat, quod patriae exhibuerint *babylonicam dilectionem*, atque in ea exhibenda *daemonibus et vanae gloriae servierint*, et concludit: *Non erat, inquam, in eis vera iustitia: quia non actibus, sed finibus praestantur officia.* Neque secus disserit n. 27.; ne enim pudicitiam infidelium probet, causam esse dicit animum ipsorum infidelium, qui fornicantur a Deo, sive quia (n. 33.) *cum pudicitia coniugalis utitur coniugis carne, non in voluptate libidinis sed in voluntate propaginis eius intentio sit oportet, peccatum* est autem, *si vicerit et propter se ipsam non propter filios propagandos fieri aliquid extorserit et voluptas:* vel quia, ut habet in lib. I. de Nupt. et conc. cap. III. n. 4., *cum faciunt haec homines sine fide, quae videntur ad coniugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quaerentes .... sive in his rebus, quas vitiose concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive daemonibus servientes, non peccata coercentur:* sive quia, ut ibid. subdit cap. IV. n. 5., *etiamsi tanta sit observantia, ut secundum matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum causa concumbant,* hac tamen intentione generant, *ut infideles parentes de infideli prole glorientur:* ubi vides detortum finem opus ex officio bono corrumpentem. Quod pariter licet animadvertere, ubi (n. 30.) dicenti Iuliano, *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* Respondet Augustinus: *Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est: non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Actus ergo, qui ex officio opus virtutis misericordiae fuisset, peccatum est ex Augustino, quia infidelis de illo cum glorietur, non in Domino gloriatur, ac proinde ipsa inhonesta gloriatione opus ex officio honestum depravat. Luce vero splendidiora sunt, quae dein n. 31-32. occurrunt. In priori enim opera misericordiae ab infidelibus impensa idcirco peccati redarguit, quod acceptatione personarum inficiantur, ac proinde infideles *male* idest *infideliter* seu contra fidei praescriptum misereantur. In posteriori autem non alio pacto infidelium opera peccata esse demonstrat, nisi quia *bona male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stulta et noxia*

Cap. III. Deum coli fide, spe, et caritate.

III. Hic si respondero, fide spe caritate colendum Deum, profecto dicturus es, brevius hoc dictum esse quam velles; ac deinde petiturus ea tibi breviter explicari, quae ad singula tria ista pertineant, quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit. Quod cum fecero, ibi erunt omnia illa quae in epistola tua quaerendo posuisti: cuius exemplum si est penes te facile est ut ea revolvas et relegas; si autem non est, commemorante me recolas.

Cap. IV. Quaestiones Laurentii.

1. Quaestio.

2. Quaestio.

3. Quaestio.

4. Quaestio.

IV. Vis enim tibi, ut scribis *Librum a me fieri, quem Enchiridion, ut dicunt, habeas, et qui de tuis manibus non recedat: continens postulata, idest,* 1. *quid sequendum maxime: quid propter diversas principaliter haereses sit fugiendum;* 2. *in quantum ratio pro religione contendat, vel quid in ratione, cum fides sit sola, non conveniat;* 3. *quid primum, quid ultimum teneatur, quae totius definitionis summa sit;* 4. *quod certum propriumque fidei catholicae fundamentum.* Haec omnia quae requiris procul dubio scies, diligenter sciendo quid credi, quid sperari debeat, quid amari. 1. Haec enim maxime, immo vero sola in religione sequenda sunt. His qui contradicit, aut omnino a Christi nomine alienus est, aut haereticus. 2. Haec sunt defendenda ratione, vel a sensibus corporis inchoata, vel ab intelligentia mentis inventa. Quae autem nec corporeo sensu experti sumus, nec mente assequi valuimus aut valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus, a quibus ea quae divina vocari iam meruit Scriptura confecta est: qui ea sive per corpus, sive per animum, divinitus adiuti, vel videre, vel etiam praevidere potuerunt.

Responsiones Augustini.

Ad quaest. I.

Ad quaest. II.

Nota 1 in caput IV.

(*Ratione, vel a sensibus corporis inchoata etc.*) Atqui ratio (pro religione contendens (*a*)) a sensibus corporis inchoata nulla esset, si verum esset *idealista-*

faciunt voluntate: qualis voluntas, nullo christiano dubitante, arbor est mala, quae facere non potest nisi fructus malos, idest, sola peccata. De qua voluntate et paulo ante (n. 30.) dixerat: *In quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est, et bonos fructus facere non potest.* Hinc s. Thomas (II. II. q. XXIII. a. 7. ad 1.) ad hunc Augustini locum respiciens scribit: Talis actus (quo aliquid fit in ordine ad id, per quod aliquis caret caritate) semper est malus, sicut dicit Augustinus in IV. contra Iulianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operit, vel quicquid aliud huiusmodi faciat, ordinans ad finem suae infidelitatis.

Contextus igitur apertissime evincit, ad honestatem actionum eo sensu fidem exegisse Augustinum, quatenus ab iis, ne peccata evaderent, removendum illud omne contendebat, quod fidei esset contrarium, secus ac Iulianus scripserat, qui (quod spectat sin minus ad officium certe ad operis finem) ob eiusmodi cum fide contrarietatem non dispendium intrinsecae bonitatis, sed detrimentum unice praemii consequi arbitrabatur.

Haec autem ex iis confirmantur, quae superius disseruimus de fine, quem ex Augustini sententia sibi debet homo proponere, ut actio ab honestatis norma non abscedat. Cum enim finem postulet, qui rectae rationi sit consentaneus, nec exigat ulterius, ut a fide dirigatur, consequens est, noxiam atque impiam ab ipso censeri voluntatem non simpliciter quod a fide non dirigitur, sed quod ab honestatis lege declinans ipsi fidei adversatur.

Quare ut rem totam paucis complectamur, summa augustinianae disputationis contra Iulianum in controverso capite haec est: I. Defensionem illius sententiae assumit, quam lib. I. *de Nupt. et concup.* capp. III. IV. attulerat, *pudicitiam infidelium* quippe ob pravum finem excultam, non virtutem esse sed vitium; II. Hac de causa probitatem gentilium ac virtutes a Iuliano depraedicatas, absurdamque ab ipso excogitatam virtutum partitionem oppugnat; III. hanc vero in oppugnationem ita exsequitur, ut bona infidelium opera, quae a Iuliano *sterilia* dicebantur, evincat esse peccata ob perversum finem, quo corrumpebantur; reliquum vero, quidquid esset, verae virtutis neque rem neque nomen mereri, ut pote quod nec hominem vere iustum faceret, nec ad beatitatem assequendam conferret.

Conf. s. Thomas. II. II. q. X. a. 4., et Isaacus Habertus episcopus Vabrensis in Theologia Graecorum Patrum circa universam materiam gratiae lib. I. capp. XI-XII. C. P.

(*a*) De ratione, quae pro religione contendit, legi debent, quae adversus Celsum auctorem operis inscripti, Λογος αληθης, disputat Origenes lib. I. cap. II; tum quae Thomas habet p. I q. I. a. 8., ubi scite distinguit demonstra-

rum systema, qui nonnisi idealem corporum in animabus nostris existentiam concedunt, adeoque realem mundi, et corporum existentiam negant. Idealismum tuetur Georgius Berckely in tribus Dialogis *de Immaterialitate animae, Immediata providentia Numinis, et Perfectione cognitionis humanae, Londini* 1713. Malebranchius, Dialogo 5, demonstrationem existentiae realis corporum impossibilem iudicavit, quare ab idealismo non abhorrere visus est, teste Wolfio in psychologia rationali sect. I. cap. I. §. 38: « Hinc *egoistae*, qui nonnisi sui, « quatenus nempe anima sunt, existen- « tiam realem admittunt, ideoque entia « caetera, de quibus cogitant, non nisi « pro ideis suis habent, hypothesim idea- « listarum ad corporum existentiam re- « strictam, etiam ad animas extendunt, « et entia immaterialia quaecumque alia. « Fuit paucis abhinc annis, pergit Wol- « fius, assecla quidam Malebranchii, « qui egoismum professus asseclas et « ipse nactus est ». Iam vero in systemate *idealistarum* « Diei et noctis vi- « ces (utar verbis August. lib. de Util. « cred. cap. XVI.) et constantissimum « ordinem rerum coelestium, annorum « quadrifariam conversionem, decidentes « redeuntesque frondes arboribus, infi- « nitam vim seminum, pulchritudinem « lucis, colorum, sonorum, odorum sa- « porumque varietates » haec omnia, aliaque innumera, si bonitatem et perfectionem in se nullam habent, nullum argumentum praebere possunt ad Dei existentiam providentiamque statuendam. Recole Aug. lib. X. Confess. cap. VI. n. 9. « Interrogavi coelum, solem, lunam, « stellas... de Deo meo... dicite mihi de « illo aliquid, et exclamaverunt voce ma- « gna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea « intentio mea: et responsio eorum spe- « cies eorum:... Deum meum quaesive- « ram per corpus a terra usque ad coe- « lum, quousque potui mittere nuntios « radios oculorum meorum ». Haec scilicet omnia essent falsae suppositionis.

Dices ex Wolfio, qui non est quidem idealista, sed plura habet, quae plus aequo idealistis faveant; « idealistae con- « veniunt (inquit l. c. §. 42.) in eo, quod « dentur phaenomena rerum materia- « lium, quodque in iis singularis quae- « dam constantia observetur. Quaeritur « an fons illorum insit animae, an subiecto « alicui ab anima diverso?... idealista « eorum fontem in anima agnoscit... Pa- « tet igitur (ait sect. III. c. I. §. 550.), « idealistas propius accedere ad verita- « tem, quam materialistas, et ab eorum « hypothesi nihil periculi imminere psy- « chologiae rationali. Integram enim i- « dealista retinere potest ac debet, qua- « lem ante dedimus, (phaenomenorum « constantiam). In eo tantummodo a vero « aberrat, quod cognitionis nullum sit « obiectum reale. Quidquid vero sit, sive « tantummodo in anima detur idea corpo- « ris nostri (aliorumque corporum), sive « extra istam ideam existentiam realem « habeant, propositiones psychologicae « singulae semper erunt eaedem, et ne « minimum quidem in iisdem in gratiam « idealistarum erit immutandum. Appa- « ret vero, quae hic de theoria psycholo- « giae rationalis dicuntur, eadem quoque « de philosophia naturali, et omnibus cae- « teris philosophiae partibus tenenda ». Ex quibus quis inferat constantiam, ac pulchritudinem phaenomenorum naturalium, licet non realem, sed idealem argumento esse posse ad Dei existentiam eiusque providentiam colligendam.

Haec falsa sunt cum longe perfectior sit realis Mundus quam idealis, proindeque longe melius deserviat summo Numini cognoscendo. Verum ne longius evagemur, argumentationem nostram non confirmabimus modo, verum etiam latius protendemus contra hanc ipsam Wolfii doctrinam: demonstrabimus autem, quantum inde detrimenti in psychologiam, ontologiam, imo etiam ehticam proficiscatur.

Non modo nulla est *ratio a sensibus corporis inchoata*, sed neque *ab intelli-*

tiones inter ac argumenta verisimilia, et rursum inter probationem theseos ac obiectionum solutionem, de qua scribit: « Cum fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit, de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.» Etenim adnotante Caietano: « contra veritatem infallibilem nulla potest demonstrativa ratio esse ». C. P.

gentia mentis inventa, si verum sit idealistarum systema, imo si sit possibile in sensu composito Providentiae non detegentis nobis hanc fallaciam, neque concedentis naturale medium ad eam detegendam. Dixi: *in sensu composito etc.* Quod enim secundum se possibile sit, Deum causare in nobis sensationes sensibilium sine ipsis sensibilibus eorumque existentia, nemo dubitat. Ratio asserti est: si Deus sine detrimento Bonitatis, Sapientiae, Veracitatis, aliorumque suorum attributorum exhibere nobis potest per sensus *apparentiam universalem et claram* corporum sine reali corporum veritate, exhibere quoque nobis per potentias internas poterit apparentiam universalem et claram principiorum tum speculativorum tum moralium sine reali eorum principiorum veritate. Si vis excipere 1. hanc veritatem *Ego existo:* 2. hanc aliam *Ego mihi videor haec aut illa agere, aut pati:* 3. veritates disiunctivas, de quibus August. l. III. c. Ac. c. XIII. n. 29. : « Aut corpus est, quod « mihi videre videor, aut non est cor- « pus » : et similia; haec inquam, per me licet, excipias. Cum enim haec non sint principia sufficientia ad ratiocinandum neque in speculativis neque in moralibus, stat absurditas, quam argumentatio infert, et contra quam in medium proferre rationem disparitatis erit difficillimum (*a*).

Ex idealismo sensibilium consequi idealismum intelligibilium confirmari potest ex ipsis scepticis academicis, qui cohaerenter ratiocinantes non de sensibilibus dubitabant tantummodo, verum etiam de intelligibilibus. Hinc Academici apud August. l. III. c. Ac. c. XVI. n. 35: « Quidquid occurrit, vel ani- « mo vel sensibus, non pro vero esse « approbandum ». Hanc similitudinem intelligibilia inter ac sensibilia indicavit Augustinus lib. I. Soliloquiorum cap. VI.: « Promittit enim ratio, quae tecum « loquitur, ita se demonstraturam Deum « tuae menti, ut oculis sol demonstratur. « Nam mentis quasi sui sunt oculi, sen- « sus animae. Disciplinarum autem quae- « que certissima talia sunt, qualia illa « quae sole illustrantur, ut videri pos- « sint, veluti terra est atque terrena om- « nia. Deus autem est ipse qui illustrat. « Ego autem ratio ita sum in mentibus, « ut in oculis est adspectus ». Qui ergo agnoscat possibilem universalem fallaciam sensuum corporis, effugere nequit, quin idem agnoscere cogatur in sensibus animae seu internis potentiis; quandoquidem ea sibi mutuo respondent. Quod intelligo etiam de intelligibilibus moralibus de quibus eadem est ratio. Hinc Aug. in Ps. XCIX. num. 5: « Inesse homini... « quod Deum intelligat, quod ad mentem « proprie pertineat, quod sicut oculus « album et nigrum, ita aequitatem ini- « quitatemque discernat. Et infra: sicut « oculis ista corpora, sic ille (Deus) « mente conspicitur, corde adtenditur, « et videtur ».

Ad aequivocationes submovendas observa, me dixisse *apparentiam universalem et claram.*

Dixi *apparentiam*, quae positivum quid sonat nec mere negativum. Cum aiebat August. lib. X. Conf. cap. VI. n. 9: « Interrogavi mare et abyssos et rep- « tilia animarum vivarum, interrogavi « auras flabiles..., et direxi me ad me, « et dixi: tu quis es? Et respondi, ho- « mo: et ecce corpus, et anima in me « praesto sunt, unum exterius, et alte- « rum interius ». Haec vere Augustinus dixisset sibi positive apparere. Quod autem attinet ad minutas laevigatae rei prominentias, cavitates, porulos, de his falso dicas apparere, quod non sint. Hoc tantum verum est, ea non apparere, quod sint. Idem in aliis exemplis.

Dixi *apparentiam universalem.* Frustra enim obieceris, quae uni, non vero alteri, uno aliquo, non alio tempore apparent, quae per unam quidem sensationem apparent, per aliam aut alias, sive mediate sive immediate corriguntur. Habes in exemplum *falsum turrium mo-*

(*a*) Nihilominus inde *disparitas* aliqua peti posse videtur, quod alia sit ratio certitudinis, quam *metaphysicam* nominant, ac alia ratio certitudinis, quam *physicam* et *moralem* appellant. Verum ut susceptam in Wolfium disputatio vim retineat suam, roburque tueatur; opus haud est, ut ea paritas urgeatur acrius, et ad vivum, ut aiunt, resecetur. C. P.

tum navigantibus, falsamque infractionem remi apud Aug. lib. II. soliloquiorum cap. VI. n. 10. Adde apparentem parvitatem siderum, de qua aliisque per observationes astronomicas ac philosophicas admonemur. Non omittendum praeterea non hic agi de apparentia unius aut alterius obiecti: cuius evidentia, quae physica dicitur, *semper habet* (ut ait Suarez d. IX. Met. sec. II. n. 8.) *subintellectam conditionem, scilicet hoc ita esse, quantum est ex virtute naturae, nisi Deus aliter faciat.* Quare non repugnat, quod Deo vel causante vel permittente aliquando spectrum hominis aut arboris mihi illudat: negamus autem contingere ludificationem hanc posse in apparentia universali sensibilium: quae si vel causari vel permitti posset, ea absurda sequerentur, quorum nullum infertur ex peculiaribus ludificationibus, quas et posse contingere, et contingere iam satis edocti sumus. Quare nullus nobis relictus est iustae querelae locus.

Qua in re duo sunt animadvertenda I. quod contingat nos corrigere per sublimius quoddam metaphysicum principium, id saltem mediate atque indirecte per sensus corrigitur: sive quia nihil in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, sive (*a*) quia etsi dentur veritates formaliter ingenitae menti nostrae, nonnisi per sensus excoluntur et expoliuntur, novisque cognitionibus per sensus haustis aut excitantur aut ordinantur aut perficiuntur. Vide in hanc rem August. l. X. Conf. capp. X. et XI. Alterum animadvertendum est: quae contingit nos corrigere per doctrinam Fidei, mediate et indirecte corrigimus per sensus, per quos haurimus notas credibilitatis, qua de re infra.

Dixi *apparentiam universalem claram:* quaeque proinde rapiat assensum humani generis. Si enim subobscura erit atque ambigua, locus erit inquisitioni, atque interim pro rei merito moderandus aut cohibendus assensus: quod qui non facit, sibi suaeque imbecillitati tribuat errorem absolutae affirmationis aut negationis, non Deo. De quo mihi sanctum est illud eximii Suarez disp. IX. Metaph. sec. II. num. 7. : « Vera et sana doctrina theo« logorum docet non posse Deum indu« cere intellectum ad falsum, quia non « minus hoc eius bonitati repugnat, quam « mentiri ». Tertiae huius conditionis defectu nihil repugnaret, si Deus exhiberet universalem fallacem apparentiam sensibilium; nos tamen, quantum satis, admoneret de hoc suae voluntatis placito, aut ea suggereret, quae ad rationalem dubitationem impellerent.

Constat itaque quod si *ratio a sensibus inchoata* nulla est, quod contingit in idealistarum systemate, *nulla est*, etiam *ratio ab intelligentia mentis inventa.*

At quoniam Wolfius nimium commendat innocentiam idealismi, quemadmodum et D. la Mothe le Vayer *De la vertu des Païens* t. V. systema scepticum dixerat minus prae aliis contrarium Fidei, alia praetera in nota sequenti expendemus.

(*Eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus etc.)* Iam in systemate idealistarum neque illa credi possunt, quae Religio credenda proponit: neque enim credi possunt, nisi sint prudenter credibilia; neque possunt prudenter credibilia fieri, nisi *auctoritate saluberrima*, ut habet Aug. lib. de Util. cred. cap. XVI. n. 34. haec autem nullum robur habere potest, si ratio a sensibus inchoata infirma est. Nam haec *saluberrima auctoritas*, ut cap. XVI. n. 34. August. habet, *dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine:* in qua multitudine plures credibilitatis notas expendit ibidem c. XVII. n. 35. Augustinus, quae tamen omnes a sensibus pendent, ex. gr. « quod continentia usque « ad tenuissimum victum panis et aquae, « et non quotidiana solum sed etiam per « contextos plures dies perpetuata ieiunia, « quod castitas usque ad coniugii prolis« que contemptum, quod patientia usque « ad cruces flammasque neglectas, quod « liberalitas usque ad patrimonia distri« buta pauperibus, quod denique totius « huius mundi aspernatio usque ad desi-

(*a*) Erunt qui hanc improbent *partitionem*, utpote quae iis concludatur *terminis*, qui interiecti aliquid ac medii videatur admittere. Neque ego admodum repugnabo, praesertim cum disceptationis caput ac summa ab eiusmodi partitione non pendeat. C. P.

« derium mortis intenditur. Pauci haec « faciunt, pauciores bene prudenterque « faciunt; sed populi probant, populi « audiunt, populi favent, diligunt po- « stremo populi: populi suam imbecil- « litatem, quod ista non possunt, nec si- « ne provectu mentis in Deum, nec si- « ne quibusdam scintillis virtutis accu- « sant. Hoc factum est divina providen- « tia per prophetarum vaticinia, per « humanitatem doctrinamque Christi, « per apostolorum itinera, per marty- « rum contumelias, crucem, sanguinem, « mortes, per sanctorum praedicabilem « vitam atque in his universis digna rebus « tantis atque virtutibus pro temporum « opportunitate miracula». Rogo autem, num ista cognoscantur aliunde, quam per sensus? Minime profecto. Licet enim cum Augustino dicere lib. X. Confess. cap. VI. n. 9.: « Homo interior cogno- « vit haec per exterioris ministerium: « Ego interior cognovi haec, ego, ego per « sensus corporis mei ». Ista itaque universali sensuum deceptione in fumum abeunt argumenta illa prorsus omnia. Totum hoc *culmen auctoritatis*, ut Augustinus eo c. XVI. l. de Util. cred. loquitur, non nisi ideale esset, si corpora eorumque materiales operationes aut passiones non in rebus sed animis sunt, tantamque proinde erroris apparentiam permittere possit Deus « quem proinde nisi et « praeesse, et humanis mentibus opitula- « ri credimus, nec quaerere quidem ip- « sam veram Religionem debemus » ait August. lib. de Util. cred. cap. XIII. n. 29. Opitulari autem in hoc praecipue necesse est, ne universalem erroris apparentiam efficiat: quam qui a Deo effici posse docet, *id agit, ut divinarum Scripturarum auctoritatibus non credamus*, ut August. epist. XXVIII. al. VIII. c. III. n. 4. ait in re simili.

Quare censemus sibimetipsi repugnare doctrinam Malebranchii *Eclaircissement sur la recherche de la veritè:* « Qu'il « est tres difficile de prouver qu'il y a de « corps, et qu'il n'y a, que la Foi, qui « puisse nous convaincre, qu'il y a ef- « fectivement des corps ». Imo nisi ante Fidem certi simus, Deum non posse exhibere sensibus universalem et claram apparentiam obiectorum, quae fallax sit, non est locus Fidei inducendae, ut probavimus, cum non sit locus notis credibilitatis (*a*); semperque stabit *difficillima quaestio*, ut appellat Augustinus lib. de Util. cred. cap. XIII. n. 28.; *quonam modo stulti sapientem invenire poterimus?* et quidem, ut infra addit, *certissima cognitione, cui obtemperando tanto stultitiae malo liberemur:* idest quonam modo poterimus auctoritatem invenire, quae credibilem nobis faciat religionem ad amplectendum propositam? « Huic igitur tam immani difficultati, « quoniam de Religione quaerimus, Deus « solus mederi potest, quem nisi et esse, « et humanis mentibus opitulari credimus (universalem sensuum fallaciam « praecipue impediendo), ne quaerere « quidem ipsam veram Religionem de- « bemus »: Et infra cap. XVI. n. 34.: « Si enim Dei Providentia non praesi- « det rebus humanis, nihil est de Reli- « gione satagendum ».

Concludendum igitur cum Aug. lib. XIX. de Civ. cap. XVIII.: « Quod autem « attinet... de academicis, quibus incerta « sunt omnia, omnino Civitas Dei talem « dubitationem *tamquam dementiam* de- « testatur, habens de rebus, quas mente « et ratione comprehendit, etiamsi par-

(*a*) Qui ut revelationis necessitatem efferant, vim facultatemque rationis praeter modum deprimunt; non ab iis mihi admodum videntur absimiles, qui ut gratiae necessitatem amplificent, e medio tollunt liberum hominis arbitrium, quod ut Augustinus ait de Spirit. et lit. cap. XXXIII. *naturaliter attributum a creatore animae rationali, illa media vis est, quae vel intendi ad fidem, vel inclinare ad infidelitatem potest.* Sed quemadmodum libertate e medio sublata neque legi neque gratiae locus esse reliquus potest; ita si ratio facultate privetur, qua veritates aliquot consequi certo possit, et frustra hominibus proponetur revelatio, ac ab iisdem fides immerito postulabitur. Si qui ergo divinum munus, quod ratione continetur, deprimere pergant, ac vero etiam subvertere; hi sibi dicta existiment, quae adversus libertatis osores Augustinus scribit in libro de Qualitate animae cap. XXXVI: « Datum est animae liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo caeci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant ». C. P.

« vam propter corpus corruptibile, quod « aggravat animam (quoniam sicut dicit « Apostolus ex *parte scimus*), tamen « certissimam scientiam, creditque sensi- « bus in rei cuiusque evidentia, quibus « per corpus animus utitur (quod prae- « cipue verum est de universali eviden- « tia sensuum humani generis), quoniam « miserabilius fallitur, qui numquam « putat eis esse credendum: credit etiam « scripturis sanctis etc. (*a*).

(*a*) Qui certitudinem omnem a divina revelatione petendam censent, non veritati modo, sed ipsi quoque revelationi manifestissime adversantur; quod s. Thomas non obscure declarat, inquiens II. II. q. I. a. 4. ad 2: « Ea quae subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali; et sic non possunt esse simul visa et credita. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab eo, qui credit. Non *enim* crederet, nisi *videret* ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi ». Quibus Melchior Canus edoctus quatuor, quas subnectimus propositiones, e recepta vulgataque penes theologos sententia, sibi demonstrandas in II. de locis cap. VIII. assumpsit: I. iuxta communem legem aliqua exteriora et humana incitamenta necessaria esse, quibus ad Evangelii fidem inducamur: II. auctoritatem humanam et incitamenta omnia illa praedicta, sive alia quaecumque adhibita ab eo qui proponit fidem, non esse sufficientes causas ad credendum, ut credere tenemur; sed praeterea opus esse interiori causa efficiente, idest Dei speciali auxilio moventis ad credendum: III. rationem formalem nostrae fidei non esse Ecclesiae auctoritatem, hoc est, fidei ultimam resolutionem non fieri in Ecclesiae testimonium: IV. ultimam fidei nostrae resolutionem fieri in causam interiorem efficientem, hoc est, in Deum moventem ad credendum. Hinc theologus apprime eruditus et diligens Gregorius De Valentia, hac praestituta thesi: *ut aliquis acceptet fidem, praeter revelationem et propositionem Ecclesiae infallibilem, motivis aliis opus est:* subdit comm. in II. II. disput. I. q. I. puncto I. §. 7, eiusmodi assertionem *nonnisi per summam ignorantiam negari posse.* Ad quam depellendam ignorantiam egregie confert propositio XXI. inter damnatas ab Innocentio XI. anno MDCLXXIX: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidat ne non sit locutus Deus.* C. P.

V. Cum 3. autem initio fidei quae per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis et perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cuius plena visio est summa felicitas. Hoc est nimirum quod requiris, *quid primum, quid ultimum teneatur:* inchoari fide, perfici specie. Haec etiam totius definitionis est summa. Certum 4. vero propriumque fidei catholicae fundamentum, Christus est: *Fundamentum enim aliud*, ait Apostolus, *nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Neque hoc ideo negandum est proprium fundamentum esse fidei catholicae, quia putari potest aliquibus haereticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quae ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet haereticos, qui se christianos vocari volunt: reipsa vero non est apud eos. Quod ostendere nimis longum est: quoniam commemorandae sunt omnes haereses, sive quae fuerunt, sive quae sunt, sive quae potuerunt esse sub vocabulo christiano, et quam sit hoc verum per singulas quasque monstrandum. Quae disputatio tam multorum est voluminum, ut etiam infinita videatur.

Cap. V. Responsio ad quaest. III.

Ad quaest. IV.

I. Cor. III. II.

VI. Tu autem *Enchiridion* (*b*) a nobis postulas, id est, *quod manu possit adstringi, non quod armaria possit onerare.* Ut igitur ad illa tria redeamus per quae diximus colendum Deum, fidem, spem, caritatem, facile est ut dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit: sed quemadmodum adversus eorum, qui diversa sentiunt calumnias defendatur,

Cap. VI. Εγχειριδιον quod mole exiguum possit manu contineri.

(*b*) De operum inscriptionibus penes graecos ac latinos, et de hac ipsa του εγχειριδιου, non pauca, eaque festiva habent Plinius Nat. Hist. lib. I. nn. 18. seqq. et A. Gellius in praefatione Noctium Atticarum. C. P.

operosioris, uberiorisque doctrinae est; quae ut habeatur, non brevi Enchiridio manus debet impleri, sed grandi studio pectus accendi.

Cap. VII. Symbolum, et Oratio Dominica complectuntur fidem, spem et caritatem. Ioel. II. 32.

VII. Nam ecce tibi est Symbolum et Dominica oratio; quid brevius auditur aut legitur? quid facilius memoriae commendatur? Quia enim de peccato, gravi miseria premebatur genus humanum, et divina indigebat misericordia, gratiae Dei tempus Propheta praedicens ait, *Et erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, propter hoc oratio. Sed Apostolus cum ad ipsam gratiam commendandam hoc propheticum commemorasset testimonium continuo subiecit, *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere: Fides credit, spes et caritas orant. Sed sine fide esse non possunt: ac per hoc et fides orat. Propterea quippe dictum est; quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?

Rom. X. 14.

Cap. VIII. Generalis explicatio fidei, spei et caritatis, et earum nexus.

VIII. Quid autem sperari potest, quod non creditur? Porro aliquid etiam quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium poenas non credit impiorum? nec sperat tamen, et quisquis eas imminere sibi credit ac fugaci motu animi exhorret, rectius timere dicitur quam sperare. Quae duo quidam distinguens ait *Liceat sperare timenti*. Non autem ab alio poeta, quamvis meliore, proprie dictum est, *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem*. Denique nonnulli in arte grammatica verbi huius utuntur exemplo ad ostendendam impropriam dictionem, et aiunt, *sperare* dixit, pro *timere*. Est itaque fides et malarum rerum, et bonarum: quia et bona creduntur, et mala: et hoc fide bona, non mala. Est etiam fides et praeteritarum rerum, et praesentium, et futurarum. Credimus enim Christum mortuum; quod iam praeteriit: credimus sedere ad dexteram Patris; quod nunc est: credimus venturum ad iudicandum; quod futurum est. Item fides et suarum rerum est, et alienarum. Nam et se quisque credit aliquando esse coepisse, nec fuisse utique sempiternum; et alios, atque alia: nec solum de aliis hominibus multa, quae ad religionem pertinent, verum etiam de angelis credimus. Spes autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quae cum ita sint, propter has causas distinguenda erit fides ab spe, sicut vocabulo, ita et rationabili differentia. Nam quod attinet ad non videre, sive quae creduntur, sive quae sperantur, fidei speique commune est. In epistola quippe ad Hebraeos, qua teste usi sunt illustres catholicae Regulae defensores, fides esse dicta est *Convictio rerum, quae non videntur*. Quamvis quando se quisque non verbis, non testibus, non denique ullis argumentis, sed praesentium rerum evidentiae credidisse, hoc est, fidem accommodasse dicit, non ita videtur absurdus, ut recte reprehendatur in verbo, eique dicatur: Vidisti, ergo non credidisti: unde putari potest non esse consequens, ut non videatur res quaecumque creditur. Sed melius hanc appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quae non videntur. De spe quoque ait Apostolus *Spes quae videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur. Iam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero esse sine amore non potest. Denique, ut ait Apostolus Iacobus, *Et daemones credunt, et contremiscunt:* nec tamen sperant vel amant; sed potius quod speramus et amamus credendo venturum esse formidant. Propter quod Apostolus Paulus fi-

Lucanus lib. II. Pharsal. v. 15.

dem quae per dilectionem operatur, approbat atque commendat, quae utique sine spe non potest esse. Proinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.

(*Fides credit, spes et caritas orant etc.*) Distinctio fidei, spei et caritatis erroribus Baii, Iansenii, Quesnelli, refellendis admodum necessaria, aliqua habet de re, alia de nomine, sed quibus omnino opus est intelligendae doctrinae s. Augustini. Itaque nonnulla observanda.

Observatio I. (*a*). Quesnelli pr. LII. « Omnia alia salutis media continentur in « fide tamquam in suo germine et semi- « ne, sed *haec* non est absque amore et « fiducia ». *Haec* inquit Quesnellus, idest *fides germen et semen bonorum operum:* hanc negat esse absque amore et fiducia. *Hexapla*, sive liber sex columnarum editus a D. de Fovilloux pro Quesnello contra constitutionem *Unigenitus* pro secunda parte huius propositionis LII. recitat sententiam Augustini ex hoc cap. VIII. Enchir. ubi haec habentur: « Iam de « amore quid dicam, sine quo fides nihil « prodest ». At cum August. dicat: *sine quo fides nihil prodest:* Hexapla vertunt: *sine quo fides nihil est,* quae duo mirum quantum diversa sunt: *sans le quel on ne peut dire, qu'il y ait de foy veritable.* At Apostolus I. Cor. c. XIII. et docet fidem sine caritate nihil prodesse, et supponit esse aliquando sine caritate. August. toto libro de Fide et operibus negat fidem sufficere sine caritate, at supponit eam in multis esse sine caritate. Eumdem errorem Quesnelli docuerat Lutherus in Gen. c. XV., Calvinus in Antid. ad sess. VI. can. XI., Kemnitius in Exam. Concil. Trid., Brentius in Catechis., Melanchton in Apol. Conf. Aug.

Quod autem August. ait de fide daemonum, id intelligendum de fide naturali, non supernaturali, ut exponit ipse Augustin. l. IX. de Civ. Dei c. XXI., ubi de Christo: « Innotuit ergo daemonibus « non per id, quod est vita aeterna et lu- « men incommutabile, quod illuminat « pios....: sed per quaedam temporalia « suae virtutis effecta, et occultissimae « signa praesentiae.... » Vide s. Th. II. II. q. V. ar. 2.

Nota in caput VII et VIII.

Quod August. hoc cap. VIII. et alibi saepe argumentetur ex fide Daemonum inutili sine operibus ad fidem christianorum sine operibus inutilem, magnam efficaciam habet. Si enim fides daemonum, quae licet naturalis, est tamen assensus firmissimus rebus revelatis, nullum habet fructum spei et amoris etiam naturalis, imo stat cum desperatione et odio Dei omnisque honestatis; nihil mirandum est, quod fides christianorum, quamvis supernaturalis et ex Dei gratia, esse possit sine operibus spei et caritatis, ideoque et sine fructu vitae aeternae.

Observatio II. Datur in sperante, quod significamus per voces *confidere* et *expectare*, atque idem tum Augustinus tum alii comprehendunt nomine spei. Hinc s. Bonaventura in III. d. XXVI. ar. 2. « q. IV. Spei duplex est actus, quorum « unus est principium, et origo alterius. « Spes enim facit confidere, et faciendo « confidere facit expectare.... iuxta quod « dicit Abrahae: *Ego protector tuus sum,* « *et merces tua magna nimis;* quasi dicat: « Ego protector, in quo debes confidere « (de auxilio) et merces, quam debes « expectare. » Hos eosdem actus nominat s. Thomas de Spe II. II. q. XVII. et XVIII. Per actum *expectandi* explicat spem Augustinus hoc capite VIII. utens verbis Apostoli: per actum *confidendi,* sive *fiduciae* (quae etiam credulitatis affectus nominatur) ibidem iis verbis: *Cum*

(*a*) Quesnelli propositiones, quas auctor memorat, diligenter exponunt, aptisque refellunt argumentis Iacobus de la Fontaine (Clementis XI. constitutio *Unigenitus* theologice propugnata tom. II. Romae 1719), Card. Gregorius Selleri (Propositiones a Clemente XI. merito damnatae etc. tom. VIII. Romae 1728), Bernardus Desirant (s. Augustinus vindicatus contra CI. Quesnelli propositiones part. IV. et V. Romae 1722), Languet (Avertissement aux appellents §. 20.), Cardin. de Bissy (Traité theologique adressé au Clergé du Diocese de Meaux tom. II. Paris 1722), Pius Vanden Dyck (Clementina *Unigenitus* cap. VI. §. 8. 9. 10.), P. Paul de Lyon (anti-hexaples ou analyse de 101. propositions etc. tom. II. Lyon 1715). C. P.

ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur: et infra cap. CXVII.: *Speret quam sibi petenti donari possit, ut amet.* His duobus actibus ubique utitur Augustinus in libris suis, opusculis, enarrationibus, sermonibus, epistolis.

Observatio III. « Sed quia, ait s. Tho-« mas (in III. dist. XXVI. q. II. art. « 3. ad II. q.) spes non est nisi boni, « et primus motus appetitus in bonum « est desiderium ideo spes praesupponit « desiderium ». Qua doctrina se expedit s. Thomas ab argumento 3.: *Omnis affectio ex amore procedit*, ut ait August. (lib. XIV. de Civ. c. VI. VII. et VIII.) *sed spes est affectio quaedam, ergo est ex amore.* Respondet s. Thomas « Ad 3. di-« cendum quod ibi (ab Augustino) acci-« pitur amor large pro amore imperfecto, « quod est desiderium, quod est primus « motus appetitivae virtutis ». Idem docet s. Bonavent. ubi agit de spe in III. d. XXVI. ar. 2. qu. III. ad 2.: *Quod amor est principium omnium affectionum* (ideoque et spei ex August. lib. XIV. de Civ.), *verum est secundum statum imperfectum.* Eum affectum, qui praecedit spem, ipse s. Thom. (in III. dist. XVII. q. I. ar. 3. ad 1.) partitur in duos, et vocat *amorem* in quantum est finis, *desiderium* in quantum respicit ea quae sunt ad finem.

Hinc patet discrimen Augustini a Quesnello, qui prop. LVII. « Totum deest « peccatori, quando ei deest spes, et non « est spes in Deo, ubi non est amor Dei.» Hexapla ad hanc proposit. LVII. citant, ut diximus, pro Quesnello Augustini hoc cap. VIII.: « Iam de amore quid dicam, « sine quo fides nihil prodest? Spes enim « *sine amore* esse non potest... Proinde « nec amor sine spe est, nec *sine amore* « *spes*, neque utrumque sine fide ». Patet, inquam, discrimen: Quesnellus enim aperte loquitur de amore Dei praedominante et perfecto, uti constat ex universo eius systemate et serie reliquarum propositionum. Nam propositionem LVII. *non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*, habet Quesnellus ad cap. Matth. XXVII. 5.; at idem ad cap. Matth. XXV. 36. habet aliam, quae inter proscriptas est LVI.: *Deus non remunerat nisi caritatem, quoniam caritas sola Deum honorat.* Ad cap. Matth. XXIII. 26. docuerat: *Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est Caritas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria eius finis, tum purum est quod apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa iustitia:* quae est Quesnelli propositio XLVII. Ad caput Matth. V. 28. docuerat: *Cupiditas, aut caritas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*, quae ex damnatis est LXVI. Patet itaque ex solis *Reflexionibus moralibus Quesnelli* ad Evang. s. Matthaei, eum loqui de amore praedominante; et ad hunc sensum cogit nexus systematis, qui vel in solis citatis propositionibus apparet.

Quare ianseniani peiora hac in re docent, quam ipse Iansenius, qui ne opus morale peccaminosum sit, contentus est amore benevolentiae quidem atque amicitiae in Deum, sed imperfecto. Legendus tom. III. lib. V. de Gratia Chr. capitibus VII. VIII. et IX. Quibus tamen in locis longe distat Iansenius a catholicis pluribus theologis fautoribus initialis cuiusdam amoris benevolentiae in Deum, atque amicitiae. Cuius amoris necessitatem ita propugnant in nonnullis theologicis controversiis, puta *de Poenitentia sufficiente ad iustificationem etc.*, ut tamen si amor ille amicitiae etiam imperfectus desit, non continuo actus vitiosus sit, quae est expressa sententia Iansenii. Agnoscunt siquidem catholici actus aliarum virtutum distinctos ab amore benevolentiae in Deum.

Iam ad Augustinum redeamus. Eum in loco de Spe, quem expendimus, intelligere de amore aut caritate, quantum ad actum imperfectum, probo ex hoc ipso lib. Enchiridii infra c. CXVII., ubi iterum de spe et caritate: « Quamvis enim « sperare sine amore non possit, fieri ta-« men potest, ut id non amet, sine quo « ad id, quod sperat, non potest perve-« nire. Tamquam si speret vitam aeter-« nam, quam quis non amat? et non amet « iustitiam, sine qua nemo ad illam per-« venit ». Ecce tibi in Enchiridio Augustinus distinguit amorem simplicem et imperfectum vitae aeternae, quem dicit inseparabilem a spe, quod ipsum docuere sanctus Bonaventura, et s. Thom. verbis supra transcriptis, distinguit, inquam,

ab amore vitae aeternae perfecto et *diligente iustitiam* necessariam ad aeternae vitae consecutionem.

Quod itaque a theologis quaeritur sive in III. Sent. d. XXVI. et XXVII., sive in II. II. qu. XVII. Utrum spes sit posterior an prior caritate, ita est expediendum ex doctrina s. Augustini, ut sit spes prior caritate quantum ad actus eius perfectos, posterior quantum ad quosdam actus imperfectos: quod ipsum docent s. Bonav. et s. Thomas spectata universa eius doctrina, quam habet tum in summa tum in Commen. Sententiarum tum in Disputatis in quibus (quaest. de caritate) docet, quod spes non modo praesupponat aliquem caritatis actum, sed etiam quodam pacto eam formalissime aliqua ex parte involvat: « Spei obiectum (inquit) « licet sit ens increatum, in quantum est « bonum, tamen dependet ab obiecto ca- « ritatis. Est enim bonum obiectum spei, « in quantum est desiderabile et conse- « quibile. Nullus enim desiderat consequi « aliquod bonum, nisi propter hoc, quod « amat ipsum ». Aliquid simile ratiocinatus fuerat de fide: ex quibus concludit: *Unde manifestum est, quod in actibus omnium virtutum est formale id, quod est ex parte caritatis.*

Observatio IV. magni momenti est. Licet re ipsa detur amor concupiscentiae quo volumus Deum nobis, quia est summum bonum nostrum, utrum tamen hic amor comprehendatur nomine spei, quod placet Scoto in III. dist. XXVI., et XXVII. cum eximio Suarez de Spe Disp. I. sec. III. n. 4, quod idem placet s. Francisco Salesio lib. II. de Amore Dei cap. XVII.; an potius comprehendatur sub nomine caritatis, prout tertia est ex virtutibus theologicis, controversia est pertinens ad modum loquendi, qui plurimis placet: nam eum amorem concupiscentiae comprehendi sub caritate praeter Henricum, Richardum, Durandum, Paludanum, et alios apud Suarez loc. cit. docet s. Bonav. in III. dist. XXVI. art. 2. q. III. ad 3. « Cum du- « plex sit motus amoris caritatis, vide- « licet *amor amicitiae, et amor concu-* « *piscentiae*, caritas amore concupiscen- « tiae desiderat Deum super omnia, amo- « re vero amicitiae similiter diligit Deum « propter se et super omnia. Unde Deum « concupiscit plus quam aliud bonum. « Deo etiam bonum optat plusquam ha- « bens caritatem optet sibi ipsi. Amor au- « tem concupiscentiae adeo intensus esse « non potest, nisi praeambula expectatio- « ne (*spei*) ». Eamdem sententiam propugnat s. Bonaventura tota quaestione II. art. 1. in III. Sent. dist. XXVII. Quare s. Bonaventuram esse in hac sententia fatetur ipse Suarez, cui placet alius loquendi modus.

Dixi hoc pertinere ad quaestionem de voce, rem scilicet per se levem. At quoniam Baius, Iansenius, et Quesnellus post Lutherum et Calvinum errores suos de spe et caritate praecipue propugnant testimoniis s. Augustini, maximi momenti est scire, quem modum loquendi s. Doctor usurpaverit. Quare si s. Augustinus, ut iam probabimus, usus est eo loquendi more, qui deinde placuit s. Bonaventurae aliisque scholasticis, fallacissimum erit argumentum: « s. Augu- « stinus plurimis testimoniis commendat « utilitatem, aut etiam necessitatem cari- « tatis; ergo satis non est operari aut con- « verti ex amore concupiscentiae Dei ». Etenim Augustinus non modo saepe usurpat caritatem generalissimo quodam sensu pro amore recti, cupiditate boni, dilectione iustitiae etc.: sed etiam cum specialius agit de caritate Dei, amore Dei, dilectione Dei etc. amorem divinum, qui concupiscentiae dicitur, satis praecipue complectitur (*a*).

(*a*) Quae auctor brevissime complectitur, paullo enucleatius declaranda sunt. Itaque I. nomina *amor, dilectio, caritas* ἀγάπη, φιλία, אהבה, דוד, רתמה, non eamdem semper vim praeferunt, sed in scripturis iuxta, patrumque operibus πολυσημα sunt. Quod II. ut nominatim de Augustino demonstretur, animadverti debet, nomina *amoris, dilectionis, caritatis* ipsum usurpare, ut αδιακριτως significet 1. *caritatem* tertiam ex virtutibus theologicis; 2. *actualem gratiam*, eamque adultam, robustam, ac operum, quibus aeternum respondet praemium, effectricem; 3. *motionem quamlibet* gratiae rudis licet atque inchoatae; tandem 4. ordinis ac honestatis *amorem*. Augustini testimonia, quibus quadruplex descripta significatio comprobatur, diligenter referunt ac insigniter explanant Dionysius Peta-

Quamquam haec non respiciunt sententiam tum card. Pallavicini, tum aliorum de necessitate initialis amoris benevolentiae ad Poenitentiam salutarem. Hi enim catholici theologi non innituntur argumento ex generalibus illis Augustini de caritate locutionibus, uti toto fere lib. V. de Gr. Chr. aliisque in locis passim consuevit Iansenius, sed aliis fundamentis sive ex Scriptura, sive aliis Augustini testimoniis sub certis quibusdam considerationibus, sive ex Tridentino etc.: quorum aliorumque fundamentorum probabilitatem scholasticis discutiendam relinquimus. Eum autem, quem dixeram, esse Augustini sensum, innumeris Augustini testimoniis probari posset. Imo probabitur ex hoc ipso Enchiridio, ubi de caritate sub finem. Accipe interim pauca ex aliis locis.

In Enarr. Psal. LXXXVI. n. 1. ad illud *Fundamenta eius in montibus sanctis:* « Civitas quaedam in isto Psalmo can« tata, et commendata est... Suspirantes « desiderio cuiusdam ineffabilis quietis, « quae habitat in illa civitate, de qua « quiete dictum est hoc nobis esse pro« missum: quam oculus non vidit, nec « auris audivit... Videte quo modo erant « amatores huius civitatis ardentes illi « ipsi, per quos haec dicta sunt... quan« to per eos affectu ista cantata sunt. Af« fectum istum generabat in eis amor « civitatis, *amorem autem civitatis in« fuderat Spiritus Dei* ». Vide iam quo pacto Augustinus hoc probet. *Caritas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* Cui maiori propositioni ex s. Paulo desumptae sufficienda est haec minor, ut concludatur assumptum s. Augustini: *Atqui amor civitatis caelestis est caritas Dei*; ergo amor civitatis caelestis infusus est a Spiritu Dei, sive amorem Civitatis infunderat Spiritus Dei. Habes quo sensu Augustinus explicet textum Pauli, quo saepissime utitur in laudem *caritatis Dei*, et Iansenius abutitur ab operis frontispicio: eum Aug. interpretatur, ac si comprehendat amorem civitatis Ierusalem.

Libro de Discipl. Christ. cap. V. n. 5. exponit ea verba usurpari in Ecclesiis solita — *Sursum cor* — « Quid est enim sur« sum habere cor, nisi quod dictum est « prius *Diliges Dominum Deum tuum ex « toto corde tuo, ex tota anima tua, ex « tota mente tua?* » Iam vero, et ex vi vocis, et ex frequentissimo usu s. Augustini *sursum habere cor* est cor habere ad

vius de Lege et gratia lib. I. cap. VII., et lib. II. cap. II.; Scipio Maffeius Hist. theolog. lib. XV. §§. 1-3.; Bernardus De Rubeis tract. theologic. de caritate capp. LI-LIX.; et Vincentius Bolgenius in dissertatione, cui titulus est, *Dell' amor di Dio o della Carità*, Part. IV. cap. II. nn. 298-302. Iam vero hac significationum varietate comperta, expeditum est, non dissolvere modo, sed omnino profligare quae baiani, ianseniani, et quesnelliani congerunt, ut fidem concilient propositioni XVI. Ioannis Hus in synodo costansiensi sess. XV., damnatae, quaeque ita se habebat: « divisio immediata operum est, quod sint vel virtuosa vel vitiosa. Quia si homo est vitiosus et agat quicquam, tunc agit vitiose. Et si est virtuosus, et agit quicquam, tunc agit virtuose. Quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus virtuosi ». Immo expeditum item est, patrum doctrinam cum iis praeclare componere, quae summus Pontifex Pius VI in constitutione *Auctorem fidei*, his verbis §§. 23. 24. definivit: « Doctrina Synodi (pistoriensis) de duplici amore (dominantis cupiditatis, et caritatis dominantis) enuntians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere, quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur Filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati: *falsa, perniciosa, inducens in errorem e Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40.*

Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suaptaque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta* et reliquiae imaginis Dei (ex s. August. de Spirit. et litt. c. XXVIII.); perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur*, non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur* (ex s. August. serm. CCCXLIX.); *falsa, alias damnata.* C. P.

coelum: Quare serm. XIX. num. 5. alias 4. ex Sirmondianis — Ad illud — *Quid mihi est in Caelo* — « Agnovit quid de« beatur sursum cultoribus Dei, ubi iu« bemur habere cor, et respondemus ibi « nos habere, quod et utinam non men« tiamur, saltem ipsa hora, saltem ipso « momento, saltem ipso temporis pun« cto, quando respondemus.... Repre« hendens se ait: *Quid enim mihi est in* « *Coelo!* Quid est ibi mihi? Vita aeter« na, incorruptio, regnum cum Christo, « societas Angelorum, ubi nulla pertur« batio, nulla ignorantia, nullum peri« culum, nulla tentatio, vera, certa, « fixa securitas: Ecce quid *mihi est in* « *Coelo*: » Iam vero audisti, quod qui sursum habet cor, servat praeceptum— Diliges Dominum Deum tuum: ergo ex Augustino dilectio Dei ex toto corde etc. complectitur amorem supernae Ierusalem.

Epist. CLV. ad Macedonium al. LII. eum docet Augustinus, *quae sit vera pietas, idest verax Dei cultus, unde omnia recte vivendi duci oportet officia* consentanee ad duo praecepta dilectionis Dei et proximi, de quibus num. 14. et tamen fere tota est de Amore concupiscentiae in Deum tamquam obiectum beatificans nos nostrosque proximos: « Delector, inquit « n. 1... quod animum tuum *caritate* « *aeternitatis, et veritatis*, atque *ipsius* « *caritatis affectum divinae illi, caele*« *stique Reipublicae* cuius regnator est « Christus, et in qua sola semper beate« que vivendum est, si recte hic pieque « vivatur, agnosco *inhiantem*, video *pro*« *pinquantem, eiusque potiundae am*« *plector ardentem* ».

Observatio V. Haec epistola ad Macedonium hoc habet commune cum plurimis aliis Augustini testimoniis, quod amorem beatitudinis vocet *amorem* et *caritatem Dei.* Unum autem habet non ita commune, ut huius ipsius rationem Augustino dignissimam proferat, nempe quia Deus beatificans hominem conceptus quidam seu notio est explicans magnam perfectionem, virtutem, bonitatem, sive explicans et summum bonum perfectissime se communicans homini, et hominem perfectissime participantem de summo bono. Hinc num. 12.: «Una ibi « virtus erit, et idipsum erit virtus, prae« miumque virtutis, quod dicit in sanctis « eloquiis homo qui hoc amat: *Mihi au*« *tem adhaerere Deo bonum est.* Haec « ibi erit plena, et sempiterna sapientia, « eademque veraciter vita iam beata. « Perventio quippe est ad aeternum ac « summum bonum, cui adhaerere in ae« ternum (quod quidem formalissime fit per visionem, amorem, et fruitionem) est finis nostri boni (idest nostrorum bonorum operum, quae proinde ex hoc intentionis nostrae fine perficiuntur, non inquinantur). Dicatur haec (perventio scilicet et adhaesio summo bono) « Di« catur haec et prudentia, quia et pro« spectissime adhaerebit bono quod non « amittatur, et fortitudo, quia firmissi« me adhaerebit bono unde non avella« tur, et temperantia, quia castissime ad« haerebit bono ubi non corrumpatur, « et iustitia, quia rectissime adhaerebit « bono, cui subiiciatur ». Brevius idipsum dixerat num. 3. describens: *Vere beatam vitam, quo nullum malum admittatur, et ubi summum bonum nunquam amittatur:* « Hoc, inquit, piorum prae« mium est, cuius adipiscendi spe vitam « istam temporalem atque mortalem non « tam delectabiliter quam tolerabiliter « ducimus ». Considerat igitur Augustinus in beatitudine formali non modo quod sit *praemium virtutis*, sed quod sit *virtus, nullum malum* morale admittens etc.

Observatio VI. Dolendum est quod multi satis diminutam ac falsam ideam ingerant amoris concupiscentiae in Deum beatificantem, dum passim dicunt (quod Augustinus non solet), eum amorem moveri ex commodo proprio, utilitate propria et similibus. Quae ratio abstracta *commodi et utilitatis propriae* exaggerata a Iansenio l. V. de Gra. Chr. cap. IX. et X. univoce est communis motivo, quo ducuntur plurimi actus indifferentes aut etiam mali, cum vera ratio motiva huius amoris concupiscentiae plena sit omni honestate virtute perfectione sanctissime expetibili; atque ita eam nobis exhibeant s. Bonaventura et s. Thomas locis citatis.

Hanc, quam dixi, distinctionem mihi videor ex eodem s. Thoma hausisse in Quaest. disputatis etc. de Caritate art. 2.

ubi cum dixisset bonum civitatis amari posse et *male* a tyranno propter privatum bonum suum, neglecto et spreto aliorum bono, et *bene* ab optimo cive propter bonum toti civitati commune: *Sic igitur*, inquit, *amare bonum, quod a beatis participatur, ut habeatur vel possideatur, non facit hominem bene se habentem ad beatitudinem quia etiam mali illud bonum concupiscunt* (in bonum scilicet proprium et privatum nihil curantes de bono aliorum); *sed amare illud bonum secundum se* (exclusa scilicet ratione privati boni) *ut permaneat* (nempe in aeternum) *et diffundatur* (nempe a Deo tum in ipsum individuum hominem tum in alios proximos, prout lex caritatis postulat) *et ut nihil contra illud bonum agatur* (excludendo scilicet ex hoc fine omnem voluntatem peccandi), *hoc facit hominem bene se habentem ad illam societatem sanctorum. Et haec est caritas, quae Deum propter se diligit, et proximos, qui sunt capaces beatitudinis, sicut se ipsos, et quae repugnat omnibus impedimentis in se, et in aliis.* Vides quo pacto amor in Deum, qui concupiscentiae dicitur, si sit bene ordinatus, a s. Thoma caritas Dei appellatur?

Et iterum art. 4. ad II.: « Dicendum « quod cum amor respiciat bonum, secun- « dum diversitatem boni est diversitas « amoris. Est autem quoddam bonum « proprium hominis, in quantum est « singularis persona (nihil curando de « aliis, ut exposuerat art. 2. verbis su- « pra citatis). Et quantum ad dilectio- « nem respicientem hoc bonum unus- « quisque est sibi principale obiectum « dilectionis (quae proinde dilectio non « est caritas, imo neque ad spem theo- « logicam revocari potest). Est autem « quoddam bonum commune, quod perti- « net ad hunc vel illum, in quantum « est pars alicuius totius... Et hoc modo « caritas respicit, sicut principale obie- « ctum, bonum divinum, quod pertinet « ad unumquemque (ideoque etiam ad « se ipsum) secundum quod esse potest « particeps beatitudinis, unde ea sola ex « caritate diligimus, quae nobiscum in « beatitudine participare possunt, ut Au- « gust. dicit in lib. de Doct. christiana ».

Observatio VII. Quod sancta haec concupiscentia Dei, ut beatificantis, vocetur *amor Dei propter se*, modus loquendi est a nonnullis theologis non usitatus, sed s. Augustino, s. Bonaventurae, s. Thomae familiaris, et ad Baium, Iansenium, Quesnellum refellendos apprime necessarius, cum veterum testimonia obiiciunt. Quare ii quoque, qui eo loquendi more nostra hac aetate non utuntur, scire debent eum fuisse a veteribus usurpatum, ne in veterum lectione decipiantur. Explicandi enim illi, et intelligendi sunt secundum morem loquendi suorum temporum.

S. Th. in Disputatis de Caritate articulo 4.: « Formale in obiecto est id secun- « dum quod obiectum refertur ad poten- « tiam vel habitum. Materiale autem id, « in quo hoc fundatur. Ut si loquamur « de obiecto potentiae visivae obiectum « eius formale est coloratum vel aliquod « huiusmodi: in quantum enim aliquod « coloratum est, intantum visibile est; « sed materiale in obiecto est corpus, cui « accidit color.... Et hoc oportet in cari- « tate considerare. Manifestum est enim, « quod possumus aliquem diligere dupli- « citer: uno modo ratione sui ipsius, alio « modo ratione alterius. Ratione sui ipsius, « quando eum ratione boni proprii dili- « gimus, utpote quia est in se honestus, « vel nobis delectabilis, aut utilis » (En descripta caritas diligens Deum: Quid sit autem amare Deum, ut delectabilem nobis aut utilem, num Deus ut beatificans *sit Deus ut nobis delectabilis aut utilis*, non indiget commentario, tam clara res: iam transit ad caritatem proximi) « ratione autem alterius (inquit s. Thomas) « diligimus aliquem, quando diligimus « ipsum, quia attinet alii, quem diligi- « mus. Ex hoc enim ipso, quod diligi- « mus aliquem secundum se (nempe vel « ut honestum in se, vel ut nobis delecta- « bilem, vel ut utilem) diligimus om- « nes familiares, et consanguineos, et « amicos ipsius, in quantum ei attinent; « sed tamen in omnibus illis est una ra- « tio formalis dilectionis, scilicet bonum « illius, quem *ratione sui* (nempe ut in « se honesti aut delectabilis aut utilis) di- « ligimus, et ipsum quodammodo in « omnibus aliis diligimus. Sic igitur di- « cendum, quod caritas diligit Deum *ra-*

« *tione sui* ipsius (nempe ut in se hone-
« sti vel delectabilis vel utilis nobis), et
« ratione eius diligit omnes alios, in quan-
« tum ordinantur ad Deum, unde quo-
« dammodo diligit Deum in omnibus pro-
« ximis ». Si consequenter ad hanc s. Tho-
mae doctrinam expendas actum hunc:
« Amo Deum, quia est bonum summum
mihi per visionem, amorem, et fruitio-
nem, idest modo summe utili, et dele-
ctabili mihi communicandum » : habe-
bis in hoc actu amorem Dei non modo
ut delectabilis et utilis, sed etiam ut ho-
nesti. Hoc enim honestum attingit ea
tendentia: « Quia est Bonum summum ».
Si praeterea adverteris, quod divina ista
communicatio utilis mihi, ac delectabi-
lis per visionem, amorem, et fruitionem
est aliquid perfectissime me abstrahens
ab omni inordinato amore tum mei tum
reliquarum creaturarum, et perfectissi-
me me coniungens Deo, ipsiusque vo-
luntati propter ipsum infinitum bonum,
quod Deus est; si denique consideres,
quod fideles licet non ita distincte, tamen
quantum satis est, implicite quamvis ac
confuse, ita sibi repraesentant beatitu-
dinem visionis, amoris, ac fruitionis Dei,
ut aliquid, quo per summam perfectio-
nem Deo uniemur, si inquam haec om-
nia animo recolas, facile tibi suadeas
amorem Dei nos beatificantis involvere
non solum amorem concupiscentiae, ve-
rum etiam aliquem amicitiae amorem,
omnino consentanee Augustini verbis li-
br. VIII. de Gen. ad lit. cap. XI. n. 24.:
« Nec..... aliud aliquid ab ipso ex-
« pectemus, quam eum ipsum, qui sum-
« ma *utilitas, et salus nostra* est: sic enim
« eum gratis secundum illam vocem di-
« ligimus, *Mihi autem adhaerere Deo*
« *bonum est:* Deo inquam *utilitati, et*
« *saluti nostrae* ». Haec deservire pos-
sunt iis theologis conciliandis, quorum
alii ad salutarem conversionem contenti
sunt amore concupiscentiae, alii etiam
in sacramento aliquem amicitiae amorem
postulant.

Iam de s. Bonaventura, qui in III. di-
stinct. XXVII. art. 1. quaest. II. ubi
quaerit an *Habitus caritatis unus sit?*
« Actus caritatis (inquit) est diligere:
« diligere autem idem est, quod velle
« bonum. Cum ergo caritas diligit ali-
« quem, bonum optat ei, quem diligit.
« Istud autem, quod caritas optat, unum
« solum est, videlicet bonum aeternum
« et summum. Istud autem summum
« bonum aliquando homo per carita-
« tem optat Deo (et hoc propriissi-
« mum est amoris amicitiae), aliquan-
« do sibi (et hic dicitur amor concu-
« piscentiae), aliquando proximo: se-
« cundum quod optat ipsum ipsi Deo,
« dicitur diligere Deum, quia vult quod
« ipse Deus sit summum bonum, et quod
« habeat omne bonum per essentiam: se-
« cundum quod optat illud proximo, sic
« dicitur diligere proximum, quia vult
« quod habeat illud bonum per gratiam
« et gloriam: secundum quod optat il-
« lud sibi (nempe per gratiam et glo-
« riam), sic dicitur diligere se ipsum. Ge-
« neraliter ergo in actu dilectionis ipsius
« caritatis unum est bonum optatum, li-
« cet multa sint, quibus illud bonum
« optatur; *et illud est obiectum princi-*
« *pale* ipsius habitus diligendi, *quoniam*
« *ipsum propter se optatur a caritate*,
« ita quod habet rationem obiecti princi-
« paliter moventis, et finis quietantis; et
« quia illud est unum solum, sive com-
« paretur ad se (nempe Deum) sive ad
« eum, qui habet caritatem, sive compare-
« tur ad eius proximum: hinc est, quod
« caritatis habitus habet esse unius ».

Ad IV. argumentum: « Caritas, inquit,
« unam habet rationem moventem, vi-
« delicet ipsam summam bonitatem, quae
« cum sit summe amabilis, et prout est
« in se, et prout participatur a creatura
« (participatur autem praecipue per gra-
« tiam et gloriam Paradisi, uti antea di-
« xerat) *utroque modo* caritas erit ».

Et ad VI. « Sicut spes innititur sum-
« mae potestati, sic caritas adhaeret et
« adhaerere facit summae bonitati, et il-
« le est eius actus primus et unicus, ex
« quo oritur, et in quo clauditur amor
« concupiscentiae et amor amicitiae. Et
« propterea sicut spes non diversificatur
« propter actum confidentiae et expecta-
« tionis, sic nec caritas propter actum
« amicitiae et concupiscentiae ».

Ex quibus tria habes 1. Concupiscen-
tiam, ut est Dei beatificantis, dici a s. Bo-
naventura dilectionem Dei *propter se etc.*
2. Concupiscentiae amorem a s. Bona-

ventura non comprehendi sub spe (quod iam alias animadverti), sed cum amore amicitiae divinae comprehendi nomine caritatis, tertiae ex theologicis virtutibus, idque non obiter, sed saepe et ex proposito doceri a seraphico Doctore, ubi de theologicis virtutibus tamquam in proprio loco pertractat.

3. Concupiscentiam Dei, ut est Deus obiectum nostrum beatificans, et comprehendi posse nomine *caritatis in Deum*, quod saepe s. Bonaventura facit, quemadmodum et Augustinus, et comprehendi posse nomine *caritatis in nos*, quod etiam pluries occurrit in libris s. Augustini, imo in ipso libro de Disciplina christiana, quem paulo ante citavimus. Occurrit etiam saepissime in s. Thoma et s. Bonaventura. Caeterum cum caritas in Deum, in nos, in proximum, ad eamdem virtutem caritatis revocetur, sive ille concupiscentiae amor dicatur caritas in Deum sive caritas in nos, parum refert, quamquam plurimum referat ista animadvertere ad intelligendos patres ac praecipue Augustinum.

Probandum iam, quod etiam ante sanctos Bonaventuram et Thomam, Augustinus amorem concupiscentiae in Deum, uti nostrum obiectum beatificum, vocet amorem Dei *propter se*; quod mirifice deservit iansenianis refellendis.

Aug. in Ps. LIII. num. 10. ad illud *voluntarie sacrificabo tibi:* « Deus noster laudetur voluntate, ametur caritate; gratuitum sit, quod amatur et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse *propter se*, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubesceres si te uxor tua propter divitias amaret, et forte si tibi paupertas accideret de adulterio cogitaret. Cum ergo te a coniuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis?... Non tibi terram, sed se ipsum servat, qui fecit coelum, et terram ». Vide exemplum amoris *gratuiti propter se*, non propter aliud. Exemplum est amor uxoris, quae virum suum amat propter se, sed propter se *ut fruendum ad* usus coniugii et prolem suscipiendam.

Haec paritas amoris coniugalis frequens est apud Augustinum, et optime exponit, quod nos docemus. In Psal. LV. num. 17. « Nos ergo Deum amemus, fratres, pure et caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit (nempe temporalem, ut ex contextu patebit). Quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum, quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum, sicuti est.... Amatoribus suis Iesus Christus dicit...Et *ostendam me ipsum illi.* Si non amas, parum est. Si amas, si suspiras, si gratis colis eum a quo gratis emptus es..... noli extra eum aliud ab eo quaerere; ipse tibi sufficit... Dicam fratres. In istis humanis coniugiis considerate cor castum, quale sit ad Deum. Certe humana coniugia sunt: non diligit uxorem suam, qui propter dotem illam diligit: non maritum caste diligit, quae propterea diligit, quia aliquid donavit, aut quia multum donavit. Et dives maritus, et pauper factus maritus est. Quam multi proscripti a castis uxoribus amplius dilecti sunt? Probata sunt multa casta coniugia calamitatibus maritorum, ne aliud amare quam maritum putarentur: non solum non deseruerunt, sed amplius obsecutae sunt. Si ergo maritus carnalis gratis diligitur, si caste diligitur, et uxor carnalis gratis diligitur, si caste diligitur, Deus quomodo diligendus est verus et verax animae maritus ad prolem sempiternae vitae foecundans, et steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, ut aliud praeter ipsum non diligamus ». Animadverte ea verba: *Deus quomodo diligendus est verus et verax animae maritus ad prolem sempiternae vitae foecundans.* Ubi ostenditur in quo sitam paritatem Augustinus velit. Sicuti gratuitus amor coniugis est in maritum, ut fruendum ad prolem suscipiendam, ita est amor gratuitus animae in Deum, ut fruendum ad prolem sempiternae vitae. Huiusmodi est amor concupiscentiae, qui hoc Augustini contextu commendatur; ergo hic amor est gratuitus *et propter se.*

Iterum in Psal. XC. serm. II. numer. 13. ad ea verba *ostendam illis salutare meum:* « Quidquid laboras, ad hoc laboras, ut videas... quando tota

« merces nostra visio est..... Desidere-
« mus, et amemus, flagremus, *si spon-*
« *sa sumus*. Sponsus absens est, sustinea-
« mus, veniet quem desideramus... O
« si sic amaremus! »

Dum itaque legimus in Augustino amorem Dei *propter Deum*, non est quod mens nostra statim apprehendat agi ibi de amore illo Dei, quem nec dari negamus, neque negamus esse perfectum, quemque optime distinxit superioribus verbis s. Bonaventura: *qui vult, quod ipse Deus sit summum bonum, et quod habeat omne bonum per essentiam*: quem amorem plures recentes gravesque theologi cum Scoto solum intelligunt nomine amoris amicitiae. Aliter tamen IV. et V. saeculo loquutus est Augustinus. Illum audi in Ps. LXXVII. n. 21. « Rectum
« itaque cor cum Deo est, quando *propter*
« *Deum* quaerit Deum ». Iam hic statim involas in amorem, quem dicis amicitiae. Sed audi quod sequitur: « Unam quippe
« concupivit a Domino, hanc requiret,
« ut inhabitet in domo Domini semper,
« et contempletur eius delectationem. Cui
« dicit cor fidelium: saturabor, non ollis
« carnium aegyptiorum, nec melonibus,
« et peponibus, et allio, et cepis, nec
« manna visibili...: sed saturabor, cum
« apparuerit gloria tua ».

In Enarr. ps. LXXIX. n. 14. « Mortui
« sunt, qui non Deum gratis colunt, idest
« *quia ipse bonus est*, non quia dat talia
« bona, quae dat et non bonis. Pecuniam
« vis habere? habet et latro. Uxorem, foe-
« cunditatem filiorum..., attende quam
« multi mali habent. Hoc est totum pro-
« pter quod eum colis?... Ergo ista dat
« omnia etiam malis, se solum servat
« bonis. Te diligemus: tu nobis dulcis
« eris remissio peccatorum, tu eris totum
« praemium iustificatorum ». Ecce tibi, quid ex Augustino sit amare *quia ipse bonus est*: comprehendit scilicet his verbis amorem eius etiam, ut *est praemium iustificatorum*, solumque distinguit ab amore concupiscente temporalia bona.

Et in Ps. LXXXV. n. 8. « Si Deum
« propterea invocas, ut veniat ad te pe-
« cunia, ut veniat ad te hiaereditas, ut ve-
« niat ad te saecularis dignitas, Deum ti-
« bi adiutorem ponis cupiditatum, non
« exauditorem desideriorum..... Quid
« ergo, inquis, faciam? quid orem? Quid
« ores? Quod te docuit Dominus, quod te
« docuit coelestis Magister. Invoca Deum
« *tamquam Deum*, ama Deum *tamquam*
« *Deum*. Illo melius nihil est, ipsum de-
« sidera, ipsum concupisce. Vide invo-
« cantem Deum in alio psalmo: *Unam*
« *petii a Domino hanc requiram*. Quid
« est quod petit? *Ut inhabitem in do-*
« *mo Domini per omnes dies vitae meae*.
« Ut quid hoc? *Ut contempler delecta-*
« *tionem Domini*. Si ergo amator Dei
« esse vis sincerissimis medullis castisque
« suspiriis, ipsum dilige, ipsum ama,
« illi flagra, illi inhia, quo iucundius
« nihil invenis, quo melius, quo lae-
« tius, quo diuturnius... Si ergo invo-
« cas Deum tamquam Deum, securus
« esto ». Igitur invocas *Deum tamquam* Deum, cum petis *inhabitare in domo Domini etc.*

Si delibandum est aliquid ex sermonibus s. Augustini, audi ex serm. CLXV. al. VII. de verb. Ap. ad ea verba Pauli: *In caritate radicati et fundati, ut praevaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, altitudo, et profunditas*. « Latitudo ergo ait
« n. 4. caritas est,[1] quae sola bene ope-
« ratur ». Has et similes Augustini propositiones nobis obtrudunt Iansenius et sectatores, et *cubitalibus* amplioribusque literis descriptas nobis in oculos ingerunt, ut probent quod praeter amorem amicitiae nulla est alia honestas virtutis. Sed audi interpretationem Augustini vel potius ipsi adversarii eam audiant: « lati-
« tudo facit, ut hilarem datorem diligat
« Deus. Si enim angustiam passus fue-
« rit, tristis dabit; si tristis dabit, perit
« quod dabit. Opus est ergo latitudine
« caritatis, ne pereat quidquid boni fa-
« cis... Quae est longitudo? *Qui perse-*
« *veraverit usque in finem hic salvus erit*
« ... Si autem vis habere crucis *altitu-*
« *dinem*, nosce quid audias, et ubi au-
« dias, *Sursum cor*. Quid est *Sursum cor*?
« Ibi operare, ibi ama, inde pete virtutem,
« ibi expecta mercedem. Nam si bene
« operaris, et hilariter tribuis, videris
« habere *latitudinem*. Si in iisdem operi-
« bus usque in finem perseveraveris, vi-
« deris habere *longitudinem*. Sed si omnia
« haec non propter supernam mercedem

« facis, *altitudinem* non habebis, et « illa iam *nec latitudo* erit, *nec longi-* « *tudo* » (quae verba maxime notanda sunt non modo ad argumentum, quod prae manibus habemus, sed etiam contra quietistas habitualiter excludentes a statu animae perfectae in hac via omnem intuitum remunerationis aeternae). « Quid « est enim habere *altitudinem*, nisi co- « gitare Deum, amare Deum, et gratis « amare ipsum Deum adiutorem, ipsum « spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum « praemii largitorem, postremo ipsum « praemium deputare, non aliud ab « ipso, quam ipsum expectare? Si amas, « gratis ama; si vere amas, ipse sit mer- « ces, quem amas ». Audis, quo pacto Augustinus explicet illud Pauli: In caritate radicati, et fundati etc. et in quo sitam doceat caritatis *altitudinem*, sine qua nec *longitudo*, nec *latitudo est*.

Neque est, quod quis haereat propter eam vulgarem propositionem: *De ratione virtutis theologicae est, ut adaequatum obiectum formale eius sit increatum:* multoque magis erit de ratione tertiae virtutis theologicae, quae reliquis maior est. Ipse enim eximius doctor Suarez agens de caritate prout est tertia ex theologalibus virtutibus, licet cum Scoto amorem concupiscentiae ad spei nomen revocet, non ad caritatem, opponit sibi eam propositionem, tum respondet (disput. I. de Caritate sect. III. n. 9.): « De ratione « virtutis theologicae est, ut ratio for- « malis eius obiecti sit increata vel sim- « pliciter, vel secundum quamdam re- « ductionem, in quantum participatio « eiusdem ordinis ad suam originem re- « vocatur: quod aliter dici potest, quod « ratio formalis adaequata debet esse in- « creata vel in recto vel in obliquo ». Quod confirmat exemplis fidei, et spei.

Non omittendum quod Bernardus, cuius testimonia in defensionem sui erroris congerunt iansenianí, eadem paritate amoris coniugalis utitur cum Augustino. Nam ser. LXXXIII. in Cantica n. 5.: « Magna res est amor, sed sunt « in eo gradus. Sponsa in summo est. « Amant enim et filii; sed de haereditate « cogitant (quae est de externis bonis praeter patrem, eiusque possessionem).... « Purus amor de spe (boni externi prae- « ter personam amatam) vires non su- « mit, nec tamen diffidentiae damna sen- « tit. Sponsae hic est, quia hoc sponsa « est quaecumque est. Sponsae res et « spes unus est amor. Hoc sponsa abun- « dat, hoc contentus est sponsus, nec is « aliud quaerit, nec illa aliud habet ». Et supra dixerat: « Deus... amari plus « amat: quam quaeris aliam inter spon- « sos necessitudinem?.... Is (amor) per « se sufficit, is per se placet, et propter « se. Ipse meritum, ipse praemium sibi « est amor..... Fructus eius usus eius: « amo quia amo, amo ut amem ». Vide alia tum hic tum in tractatu de diligendo Deo, ubi in ipso quarto gradu amoris: « Quis hoc videbit? quis possidebit? *Quando*, inquit, *veniam, et apparebo ante faciem Dei etc.* ».

Quae omnia sonant perfectionem amoris Dei, ut beatificantis consentanee ad Augustinum.

Alia dabimus in notis ad cap. CXX.

Cap. IX. Quid credendum, servato Symboli ordine deinceps explicatur.

IX. Cum ergo quaeritur, quid credendum sit quod ad religionem pertineat, non rerum natura ita rimanda est, quemadmodum ab eis quos physicos graeci vocant: nec metuendum est, ne aliquid de vi et numero elementorum, de motu atque ordine et defectibus siderum, de figura coeli, de generibus et naturis animalium, fruticum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de spatiis locorum et temporum, de signis imminentium tempestatum, et alia sexcenta de iis rebus quas illi vel invenerunt vel invenisse se existimant, christianus ignoret: quia nec ipsi omnia repererunt tanto excellentes ingenio, flagrantes studio, abundantes otio, et quaedam humana coniectura investigantes, quaedam vero historica experientia perscrutantes, et in eis quae se invenisse gloriantur, plura opinantes potius quam scientes. Satis est christiano rerum creatarum causam, sive coele-

stium sive terrestrium, sive visibilium sive invisibilium, nonnisi bonitatem credere Creatoris, qui est Deus unus et verus; nullamque esse naturam, quae non aut ipse sit, aut ab ipso, eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet, et Filium a Patre genitum, et Spiritum Sanctum ab eodem Patre procedentem, sed unum eumdemque Spiritum Patris et Filii.

Ab hac summe et aequabiliter et immutabiliter bona Trinitate creata sunt omnia et nec summe, nec aequaliter, nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula: simul vero universa valde bona; quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo.

Nota in caput IX.

In doctrina s. Augustini de rerum creatione duo sunt, quae nonnullos offenderunt criticos satis illiberales et inofficiosos. Primum est de simultanea rerum creatione (*a*) uno quidem momento, sex autem diebus solum spiritualibus ac mysticis. Non defuit ex recentioribus, qui eam opinionem *improbabilem* diceret: imo le Clerc sub Phereponi nomine in Animadversionibus ad lib. IV. c. XXXV. de Genesi ad literam recenset hanc opinionem inter *Somnia febricitantis*. Sed quoniam ab his ac similibus acerbioribus in Augustinum censuris s. Doctorem egregie vindicat ex nostris quidem Sylvester Maurus (tom. I. Theol. libr. IV. q. CCXXII.), ex aliis card. Norisius (in Vindiciis cap. IV. §. 9.) idcirco ab hoc supersedeo, imitatus sapientiam et modestiam s. Thomae, qui ita disserit et de sententia s. Augustini et de opposita aliorum patrum interpretatione, ut *neutri*, inquit, *sententiae praeiudicetur*.

Alterum est de Deo creante et agente *ad extra*, sed per actionem a sua divina essentia indistinctam, quaeque eadem sit atque ipsum Dei dicere aut velle: *Neque enim*, inquit lib. XI. Confess. cap. XXXI. n. 41., *ita tibi aliquid accidit incommutabiliter aeterno, hoc est vere aeterno creatori mentium. Sicut ergo nosti in principio coelum et terram sine varietate notitiae tuae, ita fecisti in principio coelum et terram* SINE DISTINCTIONE ACTIONIS TUAE. *Qui intelligit confiteatur tibi, et qui non intelligit confiteatur tibi.* At non defuit ex recentioribus, qui id minime intelligens non Deo confiteretur, sed Augustino insultaret, hanc eius *sententiam exoticam et antiquatam* dicens, et adversantem *communissimae omnium sententiae, communissimae scholarum sententiae*. Eadem docuerat s. August. cap. VII. n. 9. « Ideo Verbo tibi « coaeterno simul et sempiterne dicis omnia, quae dicis, et fit quidquid dicis « ut fiat *nec aliter quam dicendo facis*, nec tamen et simul et sempiterne fiunt omnia, quae dicendo facis ». Quare utrumque coniungit cap. IX.: « Fecisti coelum et terram in verbo « tuo ... miro modo dicens, et miro « modo faciens: » Plures mss. codices apud maurinos legunt in priore Augustini testimonio: *sine distentione actionis tuae*. Sed in idem recidit: neque enim potest negari numerosa et successiva distentio actionum divinarum, quin negetur earum distinctio a divina substantia.

Profecto nihil ad dogma facit, sive Deum temporales effectus agere dicas

(*a*) Si de creatione universitatis rerum quoad substantias, et non etiam quoad illarum expolitionem ac ordinem sermo sit; eadem Augustino, ac veterum plerisque sententia arrisit. Etenim substantias simul omnes a Deo esse procreatas, non modo inter iudaeos docuit Philo de Mundi opific. pag. 14, et initio libri I. Allegoriarum; sed ex Ecclesiae patribus in eamdem concessere sententiam Hippolytus in Gen. I. 6., Clemens Alexandrinus Stromat. VI. §. 16., Origenes Philocal. cap. I., Athanasius Orat. II. con. Arian. n. 16., Epiphanius Haeres. LXV. §§. 4-5., Gregorius Nyssenus in Hexaem. pag. 7., Basilius in Hexaem. hom. I. n. 6., Chrysostomus in Genesim hom. I. n. 3.; Ambrosius in Hexaem. lib. I. n. 16., Theodoretus in Genesim q. III., Gregorius lib. XXXII. Moral. cap. XII. n. 16., Isidorus de ordine creationis cap. VIII., et Petrus Lombardus in Sent. II. dist. II. Hinc laudata a patribus Aquilae interpretatio, quae hebraicum בְּרֵאשִׁית graece reddidit εν κεφαλιῳ, idest, Basilio, Graegorio Nysseno, Eustachio Antiocheno, Ioanne Philopono, aliisque enarrantibus, συλληβδην και αθροως και εν ολιγῳ. C. P.

cum Augustino per actionem sibi immanentem, sive cum gravibus aliis scriptoribus per actionem externam, et transeuntem. At illud ferendum non est, ut id agas cum reprehensione sententiae sancti Augustini, ne tibi ingerat rursus, quod in alium adversarium suum scripsit lib. III. Operis imperf. n. 56. *Dic quod dicturus es, egregie corrector.*

Iniquitatem huius in Augustini sententiam censurae probat vel unus s. Thomas, ex cuius schola celebres theologi fideliter transcripsere plusquam septuaginta loca, in quibus angelicus praeceptor idipsum clare et sine ambiguitate testatur, et hoc tanta firmitate, ut id nullibi in dubium verterit. Legatur episcopus Iacensis Franciscus Palanco insigni ingenio et fama inter scholasticos recentiores de Providentia Dei qu. IX. num. 46. pag. 121. Addit num. 48.: *vix invenies paginam, aut articulum, in quo id non supponit.* Hinc l. II. contra Gentes c. XXIII., et cap. XXXI. n. 3.: « Deus non agit « aliqua actione, quae sit extra ipsum, « quasi ab ipso exiens et in creatura ter« minata, sicut calefactio exit ab igne et « terminatur in ligno, sed eius velle est « eius agere, et hoc modo sunt res se« cundum quod Deus vult eas esse ». Qu. III. de Poten. art. 3. « Creatio potest « sumi active et passive; si sumatur acti« ve sic designat Dei actionem quae est « eius essentia cum relatione ad creatu« ras. Et art. 4. Illud solum recipien« tem materiam non requirit, cuius actio « non est accidens, sed ipsa substantia « sua, quod solius Dei est. Et artic. 15. « Duplex est actio, quaedam quae con« sistit in ipso agente et est perfectio et « actus agentis, ut intelligere, velle, et « huiusmodi: quaedam vero quae egre« ditur ab ipso agente in patiens extrin« secum, et est perfectio et actus patien« tis, sicut calefacere movere et huius« modi. Actio autem Dei non potest in« telligi ad modum huiusmodi secundae « actionis, eo quod cum actio sua sit eius « essentia, non egreditur extra ipsum; « unde oportet quod intelligatur ad mo« dum primae actionis, quae non est nisi « in intelligente et volente »: Quare ei, qui dubitet de mente s. Thom., dicere licet verbis Aug. l. II. Operis imperf. can. Iul. n. 212. « Aperi oculos, et le« ge, et noli tamquam caecus aliud pro « alio supponere ».

Cum Augustino, et s. Thoma consentiunt plures patres: s. Greg. Nyss. lib. XII. contra Eunomium: « In illa bea« ta vita (Dei) illud universum, quod in « ea intelligitur, actuosum est, et ipsa« met actio, dum nullo interposito me« dio voluntas ad eum finem transfertur, « quem sibi proposuit. Basilius in V. li» bro contra Eunomium « Neque porro « ex ipso (Spiritu S. caro Christi) tam« quam actio eius est, quandoquidem in « simplici et corporis experte natura eam« dem cum substantia rationem sumit « actio ». S. Maximus martyr. in lib. de Div. Nom. cap. IX. « Motus eius, « qui est immobilis et eodem modo sem« per habens appellatur ipsius voluntas, « qua vult ea quae sunt fieri, sive pro« videntiae ipsius ad omnia processio »: idest actio. Clemens Alexandrinus Or. hortator. adversus gentes n. 18. « Ipsius « Dei sola voluntas est mundi creatio, « sola voluntate ille operatus est ». Damascenus lib. II. de Fide cap. XXIX. « Procreans, et conservans, et procurans « ipsius potentia nihil aliud est, quam « bona ipsius voluntas ». Richardus l. II. de Trinitate cap. XXIV. « Eius facere « est a se velle fieri ». Nec mirum, inquit idem qui supra, episcopus iacensis l. c. n. 48., *cum haec fuerit communissima opinio omnium antiquorum philosophorum*: eam certe tribui non modo s. Thomae, sed thomistis fatetur disput. XX. Metaph. sect. V. num. 2., et 5. eximius Suarez, licet eam non sequatur. Scotus autem cum pluribus suis, Ocham, et Gregorius cum nominalibus modum quidem loquendi usurpant diversum a s. Thoma, sed re ipsa idem dicunt; nam praeter Deum et effectum negant mediam actionem inter Deum, et effectum: vide Suarez disp. XX. Met. sect. V. num. 6., et 7., et Maurum tom. I. Theol. lib. III. q. CXV. Alios plures vide apud Suarez Lusitanum tom. III. phil. p. 299. Eam sequitur Valentia tom. I. disp. III. puncto I. quaest. II. pag. mihi 955., Card. Toletus III. Phys. q. III. ar. 2., et innumeris praetermissis, qui citari possent, cardinalis Cienfuegos t. II. Ænig-

matis theologici disp. VIII. sect. III. §. 1. num. 7. pag. 45., et disput. XI. sect. IV. §. 4. num. 40. pag. 380. Imo paginis 46, et 380, *plures scholasticos* refert eam sententiam de actione Dei ab ipso Deo indistincta uno modo, plures alios, eam alio modo explicantes: quare patet censorem inofficiosum sententiae s. Augustini, tamquam *exoticae, et antiquatae*, haud multum sibi tribuere posse, neque in veterum, neque in recentiorum lectione.

At, inquiet, Augustini sententiam non satisfacere adversantium argumentis. Respondeo: si dicat non *satisfacere evidenter ac demonstrative*, nihil magnum dicit, quippe quod commune est non modo sententiis omnibus disputabilibus, cuiusmodi saltem ista est de actione Dei *ad extra* distincta, vel indistincta, sed etiam aliis pluribus sive fide, sive metaphysica evidentia certis: si dicat neque saltem probabiliter satisfacere, profecto cum id dicet, solus sibi tot inter sapientes sapere videbitur. Legat saltem recentiorem, quem citavimus, theologum, qui obiecta omnia insigni perspicacia scholastica diluit.

Dices: potentia Dei ab aeterno fuisset cum sua operatione, et actione aeterna; ergo etiam effectus aeternus fuisset. Respondeo: vide quam varium ac multiplex sit hominis ingenium! Est qui hanc consequentiam esse putet veritatem apertam; at episcopus Iacensis qu. IX. n. 45. p. 121. ed. 1692. semel, atque iterum meram vocat *Ignorantiam*. Sed his missis, negat consequentiam s. Thomas tum saepissime multis in locis hoc sibi argumentum obiiciens, tum qu. I. de Potentia art. 1. ad 8. arg. « Dicendum, in« quit, quod potentia Dei semper est con« iuncta *actui* idest operationi: nam ope« ratio est divina essentia; sed effectus se« quitur secundum imperium voluntatis, « et iudicium sapientiae. Unde non opor« tet, quod semper sit coniuncta effectui, « sicut nec quod creaturae fuerint ab ae« terno ». Cum autem actio sequatur imperium voluntatis, imo sit ipsum velle, sicuti non repugnat Deum ab aeterno velle effectum in tempore, ita non repugnat Deum ab aeterno agere effectum in tempore. Quare ad hanc propositionem: *Deus ab aeterno esset producens atque agens mundum:* respondent defensores s. Augustini et s. Thomae cum distinctione, apud Iacensem episcopum quaest. IX. de Provid. §. 10. n. 137. Concedunt si vox *ab aeterno* determinet productionem activam, negant si determinet productionem passivam, sive terminum productum, quemadmodum solet ex usu communi, cuius est *ius et norma loquendi*, cum dicitur: « Mundus agitur et producitur ab aeterno sive actus creatus productus est ab aeterno »; quae proinde falsa sunt: esto vere dicatur mundus ab aeterno cognitus ac volitus: quia in his usus loquendi per eam vocem *ab aeterno* non determinat mundum, sed cognitionem et volitionem mundi; haec aliaque plura satis subtiliter citatus theologus. Quibus addo, quod in eo primo sensu dicitur Isaiae XLV. secundum LXX. *Qui fecit futura*, seu *qui fecit ventura*: quemadmodum et legunt Ambrosius lib. V. de Fide cap. IX., Hilarius l. IV. de Trin. et lib. XII., Fulgentius ad Monimum l. I. cap. XII., Cyrillus lib. IV. in Isaiam or. II., Leo Magnus serm. XVI. de Passione Domini, Richardus l. II. de Trin. cap. XXIV. Concilium Valentinum III. in Profess. Fidei cap. III., Auctor sub nomine s. Anselmi in Epist. ad Rom. cap. VIII. Cum quibus est August. tum saepissime alias, tum lib. IV. de Gen. ad lit. cap. XXXV., n. 56. Sic enim *facit quae futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora*, de qua sententia, verbisque praecedentibus sic Augustinum irridet *D. le Clerc* in animadversionibus ad hunc locum: *Quis non obstupescat cum cogitet serio esse dicta... haec somnia febricitantis:* haec ille, ut patet ex dictis aeque temere, atque imperite.

Ex ea ss. Augustini, et Thomae sententia plura satis utilia existunt.

1. Sunt etiam inter recentiores theologos (vide episc. Iac. q. IX. de Prov. §. 10.) qui *absurdum putant potentiam infinitam agere per actionem finitam, potentiam spiritualem per actionem materialem, potentiam supersubstantialem per actionem accidentalem.* His difficultatibus, quibus multi quidem nihil terrentur, at quibus perspicacissimae caeteroquin mentes premuntur, occurrit ss. August. et Thom. sententia, ut patet.

2. At quoniam data actione Dei *ad extra* transeunte et distincta, actio creaturae peccantis est actio tum Dei, tum creaturae, *absurdum putant omnipotentiam agere immediate et formaliter per actionem peccaminosam.* Legatur idem Iacensis episcopus quaest. citata. Huic difficultati occurrit ss. Augustini, et Thomae sententia. Nam Deus actione sua immanente sive decreto permissivo concurrit, qui concursus est omnino indifferens atque indeterminatus, qualem Lessius laudat in opusculo *de Div. Perfect.* lib. XI. cap. IV. Creatura autem actione sua transeunte, qui est concursus omnino determinatus: ex utroque autem, tamquam totalibus in suo ordine, consurgit concursus Dei et creaturae secundum hanc sententiam, secundum quam actio transiens creata, licet immediate a Deo dependeat, non est tamen actio Dei, *per quam* Deus agat, sed potius *quam* Deus agat.

3. Plurimis semper visum est difficillimum quomodo Deus, et creatura uniri possint ad eumdem effectum per eamdem actionem, quin una causa determinet aliam, et tamen non casu et fortuito concurrant. Haec fundamentum multis dedere, teste Suarez Metaph. disp. XXII. sect. I. num. 2. negandi concursum immediatum. Legatur etiam sect. IV. a n. 10. ab iis verbis: *habent etiam quae diximus, summam difficultatem in agentibus liberis etc.* Legatur Suarez Lusitanus tom. II. Philosophiae p. 124. Sociniani vero, atque arminiani, ne his incommodis fatigentur, abeunt potius in errorum devia atque abrupta.

Facillima aeque atque doctissima est explicatio Suarii proleg. I. de Arbitrii libert. cap. III. num. 16. Deum velle opus non simpliciter et absolute, sed quasi sub conditione, si voluntas humana illud agat, *et ita*, inquit, *facile intelligitur quomodo illae duae voluntates coniungantur ad eamdem actionem.* Explicatio haec optime congruit sententiae ss. Augustini et Thomae, quod velle Dei sit agere: male autem congruit cum sententia actionis divinae externae et transeuntis, quae eadem sit cum actione creaturae cui cooperatur. Quare huius sententiae in nostra schola defensores fatentur eam Suarii explicationem se minime posse amplecti, sed alias sequuntur: quod bene novit quisquis in nostris academiis hospes non est. Etenim quoniam actio Dei eadem est realiter cum actione creaturae, Deum velle agere opus, si *creatura illud agat*, idem erit ac velle Deum agere opus, si *Deus illud agat:* quae est volitio illusoria, Deoque indigna.

Haec eo disputavi quia censeo e re catholica esse, ut ad emergentes ex fidei mysteriis difficultates, plures ad manum sint respondendi modi probabiles, quibus alius sic, alius autem sic sibi satisfaciat. Id maxime commendat et sequitur Augustinus, tum alibi saepe, tum in libris XII. de Genesi ad literam. Legendus lib. I. c. XVIII. n. 37. et lib. II. c. IV. n. 7. Augustinum imitatus est Bellarminus tum saepe alias, tum de divino Concursu: legendus lib. IV. de Gratia, et Libero Arbitrio cap. XIV. XV. et XVI. Huius utilitatis praecipui sunt hostes sive D. le Clerc, sive alii inofficiosi censores in magna quaelibet nomina; saepe autem observatum est eos in censuris ferendis timidiores esse, qui sunt sapientiores; contra ac alii faciant de literaria republica pessime meriti, quibus nihil verum, nisi quod suum.

Audi Augustinum Epist. XCV. al. CCL. « n. 4. In multo pluribus quaerimus potius quid sentiendum sit, quam definitum aliquid, fixumque sentimus; at ea cautio cum sollicitudinis plena sit, multo melior est tamen, quam temeritas affirmandi ». Et lib. VII. de Gen. ad lit. cap. I.: « Recte est autem veraciter atque congruenter loqui, *nihil audacter refellendo, nihil temere affirmando*, dum adhuc dubium est, verum, falsumne sit, sive fidei sive scientiae christianae.

Cap. X. Contra manichaeorum haeresim de origine mali.

X. In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint dum comparantur malis.

XI. Neque enim Deus Omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo. Quid est autem aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis et vulneribus affici, quam sanitate privari: (neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, ut mala ista quae inerant, idest, morbi ac vulnera recedant hinc, et alibi sint; sed utique ut non sint. Non enim ulla substantia, sed carnalis substantiae vitium est vulnus aut morbus: cum caro sit ipsa substantia, et profecto aliquod bonum cui accidunt ista mala, id est, privationes eius boni, quod dicitur sanitas) ita et animorum quaecumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum: quae cum sanantur, non aliquo transferuntur; sed ea quae ibi erant nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.

Cap. XI. Mala cur esse sinat Deus.

XII. Naturae igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium Conditor summe bonus est, bonae sunt: sed quia non sicut earum Conditor summe atque incommutabiliter bonae sunt, ideo in eis et minui bonum et augeri potest. Sed bonum minui malum est: quamvis, quantumcumque minuatur, remaneat aliquid necesse est, (si adhuc natura est), unde natura sit. Neque enim, si qualiscumque et quantulacumque natura est, consumi bonum quo natura est, nisi et ipsa consumatur, potest. Merito quippe natura incorrupta laudatur: porro si et incorruptibilis sit, quae corrumpi omnino non possit, multo est procul dubio laudabilior. Cum vero corrumpitur, ideo malum est eius corruptio, quia eam qualicumque privat bono: nam si nullo bono privat, non nocet: nocet autem, adimit igitur bonum. Quamdiu itaque natura corrumpitur, inest ei bonum quo privetur: ac per hoc si naturae aliquid remanebit quod iam corrumpi nequeat, profecto natura incorruptibilis erit, et ad hoc tam magnum bonum corruptione perveniet. At si corrumpi non desinet, nec bonum habere utique desinet, quo eam possit privare corruptio. Quam si penitus totamque consumpserit, ideo nullum bonum inerit, quia natura nulla erit. Quocirca bonum consumere corruptio non potest, nisi consumendo naturam. Omnis ergo natura bonum est, magnum si corrumpi non potest, parvum si potest: negari tamen bonum esse, nisi stulte atque imperite prorsus non potest. Quae si curruptione consumitur, nec ipsa corruptio remanebit, nulla ubi esse possit subsistente natura.

Cap. XII. Creaturae omnes bonae, sed quia non summe bonae, ideo corruptibiles

XIII. Ac per hoc nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum. Sed bonum omni malo carens, integrum bonum est. Cui vero inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est: nec malum unquam potest esse ullum, ubi bonum est nullum. Unde res mira conficitur, ut quia omnis natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum vitiosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est: nec malum esse, nisi quod bonum est; quoniam omnis natura bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quae mala est natura non esset. Non igitur potest esse malum, nisi aliquod bonum. Quod cum dici videatur absurde, connexio tamen ratiocinationis huius velut inevitabiliter nos compellit hoc dicere. Et cavendum est, ne incidamus in illam propheticam sententiam, ubi legitur, *Vae iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum; qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras; qui dicunt dulce*

Cap. XIII. Nullum malum, nisi quod et bonum sit.

Isai. v. 20.

Matt. XII. 35. *amarum, et amarum dulce.* Et tamen Dominus ait: *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quid est autem malus homo, nisi mala natura; quia homo natura est? Porro si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, invenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est; sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit malum est hominem esse, aut bonum est iniquum esse, ipse incidit in propheticam illam sententiam: *Vae iis qui dicunt quod bonum est malum, et quod malum est bonum.* Opus enim Dei culpat, quod est homo; et vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura, etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est, mala est.

Cap. XV. Bonum et malum, licet contraria, simul in eadem re esse posse.

XIV. Quapropter in iis contrariis, quae mala et bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt: nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim aer simul est et tenebrosus et lucidus: nullus cibus aut potus simul dulcis et amarus: nullum corpus simul ubi album, ibi et nigrum: nullum simul ubi deforme, ibi et formosum. Et hoc in multis ac pene in omnibus contrariis reperitur, ut in una re simul esse non possint. Cum autem bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed mala omnino sine bonis et nisi in bonis esse non possunt: quamvis bona sine malis possint. Potest enim homo vel angelus non esse iniustus: iniustus autem non potest esse nisi homo vel angelus: et bonum quod homo, bonum quod angelus; malum quod iniustus. Et haec duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur; quod nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, et nisi in aliquibus bonis non sunt: nec erat alias unde oriretur ulla mali natura. Nam si esset, in quantum natura esset, profecto bona esset: et aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio.

Nota in caput X. ad usque XIV.

D. le Clerc sub adscititio nomine Ioannis Phereponi in Animadversionibus criticis ad opera s. Augustini contumeliosissime improbat atque irridet ratiocinationem in hoc Enchiridii loco contra manichaeos usurpatam a s. Doctore, subditque: « Scholasticos et alios acutiores « philosophos, in accepto hoc a veteri- « bus commento veluti de manu in ma- « num adquievisse ». In qua censura satis ostendit se rem hanc totam parum callere.

Duas naturas aeternas manichaei asserebant, alteram per se bonam, alteram per se malam, ex quarum physica reali ac substantiali commixtione sint in hac rerum universitate bona, ac mala. Quare homo, in quo videmus esse et bonum, et malum, ex haeresi manichaeorum mixtum est quoddam et compositum ex *parte bonae divinaeque substantiae*, secundum quam dicitur homo bonus, et ex parte malae substantiae secundum quam dicitur malus. Vide August. *De Haeresibus* ad Quodv. Haeres. XLVI. et lib. de *Duabus Animabus.*

Iam summa disputationis s. Augustini haec est in his Enchir. capitibus: Deus Creator est naturarum: dicis excipiendam naturam malam et quidquid pars est huius malae naturae per se subsistentis, improductae, et aeternae. At hoc dici nequit: malum enim non est substantia aliqua aut natura (*a*); sed privatio boni

(*a*) Mali rationem naturamque in *privatione* collocandam esse, unanimi patrum suffragio Petavius de Deo lib. VI. cap. IV. demonstrat. Accedit Andreas Spagnius, qui in dissertatio-

in natura aut substantia caeteroquin per se bona, sicuti morbi et vitia malum sunt, quia privant bono, idest sanitate et virtute corpus aut animum, quae sanitate aut virtute perficerentur. Nihil ad rem facit, num morbi ac vitia sint positiva substantiae accidentia ac qualitates, in quo vim facit le Clerc. Esto ita sit: sunt tamen malum correlativum ad bonam naturam quam privant bono. Repugnat itaque substantia aliqua seu natura per se stans et essentialiter mala: non enim hoc malum esset malum rei bonae et bono privans, sed ea quaecumque malitia substantiae per se malae congrueret et consentanea esset, proindeque non mala. Superest ergo, ut malum affectio quaedam sit contingens privans bono naturam bonam, defectibilem tamen, et ex summo bono indefectibili ortam. Sub hac ratiocinationis luce propositiones Augustini obnoxiae non sunt censuris le Clerc, ut patebit comparanti.

ne *de malo* sect. II. hanc statuit thesim: « definitio mali proprie talis, quod sit privatio perfectionis, est recepta definitio nominis, et legitima definitio rei ». Conferri praeterea possunt de malo disserentes Suarius Metaphysic. disput. XI., et in I. II. tract. III. disp. VII. sect. III., Vasquius in I. II. disput. XCV., Leibnitius in Theodicaea, Kingius in libro de Origine mali, Io. Christophorus Wolfius in Manichaeismo ante manichaeos, Israel Canzius in Philosoph. Leibnitiana cap. VI., et Albertus Fabricius in Delectu argumentorum pro veritate religionis christianae cap. XV. C. P.

Cap. XV. Quomodo intelligendum illud *non potest arbor bona etc.* Matt. VII. 18.

XV. Sed cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicae sententiae refragari, qua dixit: *Non potest arbor bona fructus malos facere.* Non potest enim, sicut veritas ait, colligi uva de spinis, quia non potest nasci uva de spinis: sed ex bona terra et vites nasci posse videmus et spinas. Et eodem modo tamquam arbor mala fructus bonos, id est, opera bona, non potest facere voluntas mala: sed ex bona hominis natura oriri voluntas et bona potest et mala: nec fuit prorsus unde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex angeli et hominis natura bona. Quod et ipse Dominus eodem loco, ubi de arbore et fructibus loquebatur, apertissime ostendit: ait enim *aut facite arborem bonam et fructum eius bonum, aut facite arborem malam et fructum eius malum*: satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse; ex ipsa tamen terra, cui loquebatur, utramque arborem posse.

Matt. XII 33.

Nota in cap. XV.

Voluntatis nomine (*a*) quid intelligere soleat Augustinus, res est scitu valde necessaria, ut inoffenso pede percurramus, sive *sex libros contra Iulianum*, sive *alios sex Operis imperfecti*, et Augustini contra eumdem Iulianum disputationes, quibus similia saepe habet in aliis suis libris. Magnam autem lucem huic intelligentiae affundit xv. hoc Enchirid. caput. Ex quo apparet voluntatis nomine non hic intelligi potentiam volentem quae vel realiter ipsa anima est vel comprehenditur nomine animae suis potentiis instructae, sed intelligi ipsum volendi actum quem *volitionem* dicimus. Quare animam, seu potentiam volentem comparat Augustinus hoc loco *bonae terrae ex qua et vites nasci posse videmus et spinas, et nasci utramque arborem, bonam et malam.* Voluntatem autem seu volitionem bonam vitibus et arbori bonae, malam vero spinis et arbori malae. Ex voluntate autem bo-

(*a*) Sicuti graeci αδιαφορως usurpant βουλην, βουλησιν et βουλημα et θελημα, ita latini uno eodemque *voluntatis* nomine efferunt quum eligendi facultatem ac δυναμιν, tum per metonymiam actum ipsum eligendi, ac libere susceptam animi inductionem. Atque hoc sensu Paulus I. Cor. VII. 37. scripsit: *nam qui statuit in corde suo* firmus, *non habens necessitatem* (μη εχων αναγκην), *potestatem autem habet suae voluntatis* (εξουσιαν δε εχει περι του ιδιου θελη-ματος): ubi voluntati opponitur necessitas, et nomen potentiae pro actu ac ενεργειᾳ accipitur. Cf. Petavium de Opificio lib. IV. cap. X., et Stephanum Dechamps, de Haeresi iansenianа lib. III. disput. II. C. P.

na, tamquam ex vite et bona arbore, existere non opera mala, sed bona; ex voluntate autem mala tamquam ex spinis et mala arbore non existere fructus bonos, sed malos.

Neque utcumque voluntatem usurpat Augustinus pro actu voluntatis, sed voluntatis perfectae ac deliberatae, quo plene consentimus in bonum aut malum secundum illud Augustini cap. XVI. expositionis Epistolae ad Rom. quod saepissime alias repetit: *Non enim in ipso desiderio pravo* (nempe indeliberato), *sed in ipsa consensione peccamus.*

Maxime autem est animadvertendum, quod deliberata haec voluntas, non autem anima ipsa productiva voluntatis seu volitionis, ab Augustino comparatur arbori, quae voluntas se habeat ad opera completa ac perfecta, tamquam ad fructus: voluntas bona ad bonos, mala ad malos. Frustra quis opponat voluntatem sive bonam sive malam non distingui adaequate ab operibus perfectis ac completis sive bonis sive malis, cum arbor a fructibus suis adaequate distinguatur: *Quasi vero*, ait Augustinus lib. XVI. contra Faustum cap. XV. *cum simile aliquid dicitur, ex omni parte atque ex omni modo simile intelligatur.* Non usque adeo desipuit Augustinus, ut nescierit arborem esse adaequate distinctam a fructibus, sed voluntatem deliberatam ab opere morali completo sive bono sive malo non ita adaequate distingui. Caeterum sicuti ex arbore existit fructus, ita ex voluntate plena et deliberata existunt, tum alii interni, et consequentes voluntatis actus, tum exteriores operationes, ex quibus omnibus una cum prima voluntate plena ac deliberata consurgunt opera moralia completa, sive bona sive mala.

Ac quoniam in re versamur, quae maxime necessaria est, ne aequivocationes non leves patiamur in lectione operum s. Augustini, quod gravibus etiam scriptoribus contigit, confirmabimus idipsum ex apertissimo testimonio Augustini lib. II. de Nupt. et concup. cap. XXVIII. n. 48. *Si peccatum*, inquit Iulianus, sive alius quisquam scriptor pelagianus, *ex voluntate est, mala voluntas quae peccatum facit: si ex natura, mala natura:* « Cito « respondeo, inquit Augustinus: ex voluntate peccatum est »: (nempe ut constabit non ex potentia volitiva, sed ex actu volendi) « Quaerit forte: utrum et ori« ginale peccatum? Respondeo, prorsus « et originale peccatum, quia et hoc ex « voluntate (nempe, ut constabit, ex « volitione) primi hominis seminatum « est, ut et in illo esset, et in omnes tran« siret. Sed quod secutus adiunxit: *si ex « natura, mala natura*, quaero ab illo, « ut si potest respondeat ».

« Sicut manifestum est ex voluntate « mala, tamquam ex arbore mala, fructus « eius fieri omnia opera mala, sic ipsam « voluntatem malam, idest ipsam fru« ctuum malorum arborem malam, unde « dicat exortam? Si ex angelo, quid erat « ipse angelus, nisi bonum opus Dei? Si « ex homine, quid erat ipse homo, nisi bo« num opus Dei? Imo quia voluntas ma« la angelo ex angelo, ex homine homini « orta est, quid erant haec duo, antequam « in eis ista mala orirentur, nisi bonum « opus Dei, et bona atque laudanda natu« ra? » (Ecce tibi voluntatem malam, seu arborem malam exortam, et quidem ex angelo et homine: voluntas autem ipsa actualis, non potentia volitiva oritur ex angelo atque homine). Pergit Augustinus: « Ecce ergo ex bono oritur malum, nec « fuit omnino unde oriri posset, nisi ex « bono; ipsam dico voluntatem malam, « quam nullum praecessit malum; non « opera mala, quae non sunt nisi ex vo« luntate mala, tamquam ex arbore ma« la. Nec ideo tamen ex bono (sive bo« na natura) potuit oriri voluntas mala, « quia bonum factum est (nempe natura « bona facta est) a bono Deo, sed quia « de nihilo factum est, non de Deo ».

Ex his habes gradus, quos indicaveram 1. Opera mala ex voluntate mala, tamquam ex arbore mala: 2. Voluntatem, quae mala angelo fuit, exortam ex angelo; volutatem quae mala fuit homini, exortam ex homine, idest ex bona natura, sed quae, quoniam ex nihilo creata est, defectibilis et peccabilis est.

Occasionem haec disserendi Augustino dederat in eodem libro de Nuptiis paulo ante, nempe cap. XXVI. n. 41. adversarius pelagianus: *Si malum* (scilicet homo inquinatus originali) *de nuptiis trahitur, accusari* (nuptiae) *possunt, excusari non*

possunt... quia omnis causa mala, expers boni est... dicente Domino in Evangelio: ex fructibus suis arbor cognoscitur. Respondit Augustinus n. 43.: « Quid « est ergo quod ait ex fructibus suis ar- « bor agnoscitur, quia hoc in Evangelio « dixisse Dominum legimus? Numquid « inde Dominus loquebatur, et non po- « tius de duabus voluntatibus hominum, « bona scilicet et mala, istam bonam il- « lam malam arborem dicens, quia de bo- « na voluntate opera bona nascuntur et « mala de mala, nec possunt bona de ma- « la et mala de bona? » Quae omnia capite XXVIII. uberius explicat verbis supra transcriptis. Profecto si voluntatis nomine intelligeret potentiam volitivam non diceret in homine *duas voluntates* reperiri bonam et malam. Explicationem hanc geminae voluntatis, sive arboris bonae ac malae propugnat Augustinus contra Iuliani impugnationem l. V. *Operis imperfecti* a num. XXI. et sequentibus uberrime.

Ex his duo sunt corollaria.

Corollarium I. Cum voluntas plena ac deliberata idem sit in phrasi s. Augustini ac deliberata delectatio, cuius locutionis promiscue usurpantis voluntatem ac delectationem exempla sunt innumera in Augustino, hinc lucem accipiunt innumerae phrases s. Augustini de sancta delectatione quemadmodum et de mala quam saepius vocat concupiscentiam. Hoc sensu verissimum erit quod sicuti vincente voluntate bona sequitur opus morale bonum, vincente voluntate mala sequitur opus morale malum, ita verum erit de delectatione; sed utrumque tum de voluntate tum de delectatione *deliberata*; et quidem utrumque *necessario* verum erit secundum illud August. in exp. Ep. ad Galatas cap. VI. *Quod enim amplius nos delectat secundum id operemur necesse est.* Sed haec satis distant a delectatione indeliberata relative victrici in sensu Iansenii, quem constat confundendum non esse cum theologis qui in scholis catholicis alio plane sensu victricem delectationem se defendere profiteantur. De his habes plura quae legas in card. Lauraeae opusculis et tom. I. operum card. Norisii etc.

Caeterum quae diximus clara erunt ex contextu ipso expositionis Ep. ad Galatas cap. V. n. 49. (*a*) Nam cum dixisset, *quod enim amplius nos delectat secundum id operemur necesse est:* hoc ponit exemplum: « Ut verbi gratia occurrit forma « speciosae foeminae et movet ad *dele-* « *ctationem* fornicationis (motio ad de-

(*a*) De hoc ex commentariis in epistolam ad Galatas testimonio pluribus atque egregia disserunt quum alii, tum Stephanus Dechamps de Haeresi Ians. lib. III. disput. III. cap. VI., Fenelonius Instruction pastorale en forme de dialogues, epistol. V-VI., Tricassinus de Indifferenti lapsi hominis arbitrio, Part. II. sect. XXX., Iacobus Merlinus in libello, *Vera clavis operum s. Augustini* pagg. 44-59-71-78 edit. Viennae 1740, et Ioannes Leporcq in opere = Les sentimens de saint Augustin sur la grace, P. II. Obi. XI. C. XXXIX. pag. 591... Nobis sat erit breviter monuisse: I. antecedentibus, comitantibus, et consequentibus liquido ostendi, de delectatione sermonem esse, quae libera voluntate suscipitur, non quae in nobis est sine nobis: II. cum ακολουθια doctrinae Augustini aliam expositionem componi non posse. En quae scribit lib. XXII. cont. Faustum cap. XXVIII.: « Utrum sit aliqua rationabilis creatura, quam nihil possit illicitum delectare, magna quaestio est. Quod si est, non in eo genere factus est homo, nec illa natura angelica, quae in veritate non stetit; sed in eo genere ista rationalia facta sunt, ut inesset eis possibilitas frenandi delectationem ab illicito, quam non frenando peccaverunt. Magna est itaque humana natura, quandoquidem per eam possibilitatem instauratur, per quam, si voluisset, nec cecidisset ». Et epist. CLVII. cap. II. n. 9.: « Iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis ». Ac serm. CLIX. de verbis Apostoli, cap. VIII.: « Sic delectatur iustitia, ut eam ceteris ad sensus pertinentibus delectationibus anteponat ». III. Phrasim, *quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, hisce aequipollere: *opus et vitam* (co. Petilian. lib. III. cap. XLIV. n. 53.) *semper habet bonam bonus, et malam malus; opera nec bona* (con. Iulian. lib. I. cap. VIII. n. 38.) *voluntatis malae nec mala possunt esse voluntatis bonae; animus* (epist. CLVII. cap. II. n. 9.) *velut pondere, amore fertur, quocumque fertur; nec aliquid appetunt* (epist. LV. cap. X. n. 18.) *ipsa corpora ponderibus suis, quam animae amoribus suis; delectatio* (de musica lib. VI. cap. XI, n. 29.) *quasi pondus est animae; delectatio ergo ordinat animam.* IV. Non una eademque, sed varia ac multiplici significatione vocem *necessitatis* ab Augustino (Op. imp. lib. I. n. 105., in Ps. LXXII. n. 12., epist. CXLV. n. 2., Confess. lib. VIII. n. 10., in Io. Tract. XXIX. n. 3.) adhiberi: et V. in orationis serie, quam expendimus, non aliam exprimi necessitatem nisi liberam et consequentem. C. P.

lectationem est utique indeliberata, sed *delectatio* fornicationis ad quam homo movetur est interior deliberata voluntas ac delectatio); sed si plus delectat pul-« chritudo illa intima et sincera species « castitatis per gratiam quae est in fide « Christi Iesu, secundum hanc vivimus « et secundum hanc operamur (delectatio de pulchritudine et specie castitatis, delectatio, inquam, per gratiam Christi effectus est gratiae Christi; ideoque pertinet ad liberum exercitium voluntatis, proindeque est delectatio deliberata castitatis ex gratia Christi secundum quam delectationem existit vita et operatio christiani hominis qui ita delectatur) « ut non « regnante in nobis peccato ad obedien-« dum desideriis eius, sed regnante iusti-« tia per caritatem, cum magna dele-« ctatione faciamus quidquid in ea Deo « placere cognoscimus ». Sicuti regnare in nobis peccatum ad obediendum desideriis eius est quid omnino voluntarium et deliberatum, ita regnare iustitiam per caritatem et cum magna delectatione facere quidquid Deo placere cognoscimus, id omne voluntarium, liberum ac deliberatum est.

Vides quam bene quae consequuntur faveant nostrae interpretationi. Idem praestant antecedentia. « Apostolus....cum « enumerasset opera carnis (neque forni-« catores neque idolis servientes neque « adulteri etc.) quibus clausum est re-« gnum Dei, subiecit etiam opera spiri-« tus ... Fructus autem spiritus caritas, « gaudium, pax etc. et addidit, adversus « huiusmodi non est lex, ut intelligamus « illos sub lege positos in quibus ista non « regnant. Nam in quibus haec regnant « ipsi legitime utuntur, quia non est il-« lis lex ad coercendum posita. Maior « enim et praepollentior delectatio eorum « iustitia est ». Qua ratione iustitia est deliberata eadem ratione delectatio maior ac praepollentior, quae iustitia esse dicitur homini deliberata est. Imo per ipsam formaliter regnare dicuntur opera spiritus; quod regnum non est nisi liberum et deliberatum exercitium hominis frenantis concupiscentiam, quemadmodum regnare opera carnis nihil est aliud nisi liberum ac deliberatum hominis exercitium sinentis concupiscentiam dominari. « Regnant ergo, pergit Augustinus, « spiritales isti fructus in homine in quo « peccata non regnant (utrumque regnum est ex dictis sive malum sive bonum exercitium libertatis) « regnant autem ista « bona si tantum delectant ut ipsa teneant « animum in tentationibus ne in peccati « consensionem ruat ». Quod ista spiritus bona *regnent* est quid deliberatum, ita etiam quod *delectent*. Huius autem deliberatae delectationis formalissimus effectus est, ut qua ratione animum figit in bono ita illum teneat a consensione peccati. Sub haec continuo sequitur illud celeberrimum Iansenio: *Quod enim amplius nos delectat secundum id operemur necesse est.*

Corollarium II. Si s. Augustinus testimonia evangelica de *arbore bona et mala etc.* (*a*) interpretatur de voluntate

(*a*) Quamquam Christi verba Matth. VII. 17. neque obscurum, neque impeditum per se fundant sensum; nihilominus quemadmodum priscis haereticis occasionem praebuere (Cf. Irenaeum lib. IV. cap. XXXVII., et Clementem Alexandrinum lib. II. Stromat. capp. II. III.) homines ita dividendi, ut alios ψυχικους, alios πνευματικους dicerent: ita lutherani, baiani, ianseniani ex iisdem inferendo collegerunt, fieri non posse, ut homo caritate privatus quidquam capessat, quod peccati viru infectum non sit atque corruptum. Inepte enimvero ac praepostere, quum germana verborum Christi sententia huc redeat: Sicuti neque e spinis uvae, neque a tribulis ficus decerpuntur; *sic omnis arbor bona* (qua bona est, ac pro insita bonitate fructus parit) *fructus bonos facit: mala autem arbor* (τοδε σαπρον δενδρον proprie *arbor putrida*, sed heic σαπρον idem valet ac πονηρον, et respondet hebraico רַע *fructus malos facit*, quia nimirum, subdunt Chrysostomus, Theophylactus (in h. l.) ac Isidorus Pelusiota in epistola ad Strategium monachum, arbor est tristis ac mala, bonos neque edit, neque edere fructus potest, και εν οσῳ εστι σαπρον δενδρον καλα ου γεννᾶ.

Ceterum si ρησις ex ordine *physico* ad *moralem* traducatur, hoc discriminis animadverti debet: nullam arbori malae in ordine physico vim inesse, qua semet a carie vitioque eximat; at vero arborem malam, voluntatemque peccato addictam hac in ordine morali facultate, divina aspirante gratia, potiri. Unde Christi effatum Matth. XII. 33.: *aut facite arborem bonam et fructum eius bonum, aut facite arborem malam et fructum eius malum.* Quibus illustrandis egregie conferunt quae Irenaeus

ipsa actuali bona et mala, constat Iansenium falso ex Augustini *libris contra Iulianum* et aliis qui dicuntur *Operis imperfecti* contra eumdem, falso inquam probare *impossibile omnino esse infideles, qui amore creatoris carent, ulla omnino creatura uti nisi male*, quae sunt Iansenii verba lib. IV. de Statu nat. lapsae cap. III. Est enim hoc confundere hominem qui infidelitatem habet cum voluntate infideli, quae utique arbor mala est solos malos fructus producens. At homo ipse secundum se terra est bona, cui non repugnat quominus et arbores et fructus aliquos bonos moraliter faciat.

Frustra opponat Iansenius non modo voluntatem infidelem et impiam dici arborem malam sed etiam hominem ipsum infidelem. Respondeo id dici ab Augustino, sed de homine *inquantum infideli*. Hinc in ipsa disputatione contra Iulianum, quae est lib. IV. contra eumdem cap. III. num. 30. « An respondebis, non inquantum infidelis est sed inquantum homo « est, arbor bona est? De quo ergo Domi« nus ait, non potest arbor mala bonos « fructus facere? Quandoquidem quicum« que erit, aut homo aut angelus erit. « Sed si homo inquantum homo est ar« bor bona est, profecto et angelus in« quantum angelus arbor bona est. Haec « enim Dei sunt opera qui naturarum con« ditor est bonarum. Ac per hoc nulla « erit arbor mala de qua dictum est quod « non possit facere fructus bonos. Quis « fidelis ita infideliter sapiat? Non itaque « homo inquantum homo est, quod est « opus Dei, sed inquantum malae volun« tatis est quisque arbor mala est, et bo« nos fructus facere non potest. Vide ita« que utrum infidelem voluntatem au« deas bonam dicere voluntatem? » Haec ipsa voluntas infra num. 33. vocatur copulative *infidelis atque impia voluntas*. Quapropter cum Augustinus dicit hominem infidelem esse arborem malam non loquitur de homine *inquantum homo est* praecisive a mala et infideli voluntate, sed *inquantum malae et infidelis voluntatis est*. Quod idem est ac dicere illud ipsum quod aliis verbis sed eodem sensu centies Augustinus dicit non hominem, sed voluntatem malam esse malam arborem; idem dicas de bona.

scribit lib. IV. cap. IV. « Homo vere rationalis, et secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, et suae potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat ». Et Augustinus in Act. con. Felicem lib. II. cap. IV.; « Habet unusquisque in voluntate aut eligere quae bona sunt et esse arbor bona, aut eligere quae mala sunt, et esse arbor mala .... Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud aut illud, ostendit esse in potestate quid facerent ». Tum serm. CCLII. cap. VI.: « Homini autem dedit Deus liberum arbitrium, et si vult homo, heri fuit palea, hodie fit frumentum: si a verbo Dei se avertat, hodie fit palea ». C. P.

XVI. Quae cum ita sint, quando nobis Maronis ille versus placet, *Felix qui potuit rerum cognoscere causas:* non nobis videatur ad felicitatem consequendam pertinere, si sciamus causas magnarum in mundo corporalium motionum, quae abditissimis naturae sinibus occuluntur; *Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant, Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant*; et cetera huiusmodi. Sed bonarum, et malarum rerum causas nosse debemus: et id hactenus, quatenus eas homini in hac vita erroribus aerumnisque plenissima, ad eosdem errores et aerumnas evadendas nosse conceditur. Ad illam quippe felicitatem tendendum est, ubi nulla quatiamur aerumna, nullo errore fallamur. Nam si causae corporalium motionum noscendae nobis essent, nullas magis nosse quam nostrae valetudinis deberemus. Cum vero eis ignoratis, medicos quaerimus, quis non videat quod de secretis coeli et terrae nos latet, quanta sit patientia nesciendum?

Cap. XVI. Rerum causas nosse an pertineat ad felicitatem. Virg. Georg. II. v. 490 Virg. ib. v. 479.

XVII. Quamvis enim error quanta possumus cura cavendus sit, non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari: non est tamen consequens, ut continuo erret quisquis

Cap. XVII. Error quid sit.

aliquid nescit; sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum. Nam in una eademque re, et nescienti sciens, et erranti non errans recta ratione praeponitur. In diversis autem rebus, id est, cum iste sciat alia, ille alia; et iste utiliora, ille minus utiliora, vel etiam noxia; quis non in eis quae ille scit, ei praeferat nescientem? Sunt enim quaedam quae nescire quam scire sit melius. Itemque nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. Nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, et non iremus per eum locum ubi opperiens transitum nostrum donatistarum manus armata subsederat: atque ita factum est, ut eo quo tendebamus, per devium circuitum veniremus; cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo. Quis ergo viatorem sic errantem sic non erranti latroni praeponere dubitaverit? Et fortasse ideo apud illum summum poetam loquens quidam miser amator: *Ut vidi*, inquit, *ut perii*, *ut me malus abstulit error*: quoniam est et error bonus, qui non solum nihil obsit, verum etiam prosit aliquid. Sed diligentius considerata veritate, cum aliud nihil sit errare, quam verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumque pro certo, sive falsum sive sit verum: idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel etiam in assentiendo, Est est, Non non: profecto et ob hoc ipsum est vita misera ista, qua vivimus, quod ei nonnunquam, ut non amittatur, error est necessarius. Absit ut talis sit illa vita, ubi est animae nostrae ipsa veritas vita; ubi nemo fallit, fallitur nemo. Hic autem homines fallunt atque falluntur, miserioresque sunt cum mentiendo fallunt, quam cum mentientibus credendo falluntur. Usque adeo tamen rationalis natura refugit falsitatem, et quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere. Non enim sibi qui mentitur videtur errare, sed alium in errorem mittere credentem sibi. Et in ea quidem re non errat, quam mendacio contegit, si novit ipse quid verum sit: sed in hoc fallitur, quod putat sibi suum non obesse mendacium, cum magis facienti quam patienti obsit omne peccatum.

Cap. XVIII. Mendacium omne est peccatum, sed aliud alio gravius. Priscillianistae redarguuntur.

XVIII. Verum hic difficillima et latebrosissima gignitur quaestio, de qua iam grandem librum, cum respondendi necessitas nos urgeret, absolvimus: utrum ad officium hominis iusti pertineat aliquando mentiri. Nonnulli enim eo usque progrediuntur, ut et peierare et de rebus ad Dei cultum pertinentibus ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonum piumque opus esse contendant. Mihi autem videtur peccatum quidem esse omne mendacium, sed multum interesse quo animo et quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur: aut vero tantum nocet qui viatorem mentiendo in diversum iter mittit, quantum is qui viam vitae mendacio fallente depravat. Nemo sane mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed aliquantae temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet; potiusque e contrario, quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur esse, quod dicit: nec ullo modo liber est a mendacio, qui ore

nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis, de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit. Ille namque non aliud habet in animo, aliud in verbo: huic vero, qualecumque per se ipsum sit, quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum est in pectore, aliud in lingua promptum est; quod malum est proprium mentientis. In ipsarum autem quae dicuntur consideratione rerum tantum interest, qua in re quisque fallatur sive mentiatur, ut cum falli quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longe tolerabilius sit in his, quae a religione sunt seiuncta mentiri, quam in iis, sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli. Quod ut illustretur exemplis, intueamur quale sit, si quispiam dum mentitur, vivere nuntiet aliquem mortuum; et alius dum fallitur, credat iterum Christum post quamlibet longa tempora moriturum: nonne illo modo mentiri, quam isto modo falli incomparabiliter praestat, multoque minoris mali est in illum errorem aliquem inducere, quam in istum ab aliquo induci?

Nota in caput XVII. et XVIII.

In animadversionibus ad Enchiridion et ad libros de Mendacio et contra Mendacium le Clerc improbat Augustini doctrinam, et asserit quod sine proximi damno nisi alia via opitulandi succurrat *licitum esse debet mentiri si non illicitum sit ioco mentiri*, *quod per Augustinum licet cap. II. lib. de Mendacio.* Eadem mendacia cum utilitate proximi licita docuere re ipsa Grotius de Iure belli et pacis lib. III. cap. I. a num. 9. et Puffendorfius de Iur. nat. et gent. lib. IV. cap. I. a. n. 15. Nolunt tamen ista vocari mendacia, de cuius essentia putant esse ut sint iniuriosa ac noceant, nec satis esse, ut quis contra mentem loquatur. Nobis satis fuerit ex hoc ipso cap. XVII. Enchiridii Augustinum vindicare a D. le Clerc, quod si fiat, sponte sua ruent multa a Grotio et Puffendorfio obiecta.

Malum est proprium mentientis quod *aliud habet in animo aliud in verbo, aliud clausum in pectore aliud in lingua promptum.* Cum autem locutio sive ex se sive ex circumstantiis saepe habeat non unum tantum sed duos aut etiam plures sensus intelligibiles a non stolido auditore, si quod in *animo et pectore* est, idem fuerit in *verbo et lingua* saltem secundum *aliquem* sensum, male dixeris in ea hypothesi *aliud* esse in animo et pectore, *aliud* in verbo et lingua, atque ideo male illud appellaveris mendacium. Augustinus lib. XXI. de civit. c. XXIV. n. 4. explicans illud Ionae secundum LXX. *Adhuc tres dies et Ninive subvertetur*, in his verbis distinguit duplicem sensum, *eversionem in moenibus*, *eversionem in perditis moribus*. Et quia « stantibus moenibus atque « domibus eversa est civitas in perditis « moribus » id satis Augustino fuit ut verba prophetica vera dicerentur. Plures etiam sensus August. lib. VI. de Gen. ad literam cap. XVII. n. 28. distinguit in verbis Isaiae ad Ezechiam: *Morieris et non vives*: « Secundum igitur aliquas « causas inferiores iam vitam finierat, « secundum illas autem quae sunt in vo- « luntate et praescientia Dei... tunc erat « finiturus vitam quando finivit vitam ». Duos sensus literalem et mysticum distinguit Aug. lib. contra Mend. c. X. n. 23. in verbis Iacob ad Isaac. Similia aliis in locis. Quae quidem exempla, licet in iis et sit et necessario sit duplex sensus verus ac legitimus, tamen neque Augustinus neque alius catholicorum censet transferri materialiter posse a Deo ad creaturas, quasi in iis etiam habeant locum sensus mystici atque prophetici. Vis ergo eorum exemplorum in hoc stat, ut cum locutioni congruunt duo aut plures veri ac legitimi sensus, cuiusmodi sunt in locutionibus creaturarum, qui ab auditore prudente intelligibiles sunt et explicari a theologis solent sive ex illo Ioannis c. VII. v. 8. « Non ascendo ad diem festum istum » sive ex aliis similibus, profecto

si eorum sensuum unus sit verus, *significationis alicuius causa non sunt omnino mendacia*, *ut* ait Augustinus lib. de Mend. cap. VI. num. 7.: *Vera non falsa dicuntur, quoniam vera non falsa significantur,* ait idem Augustinus lib. contra Mendacium cap. X. n. 24.

Iam quod le Clerc opponit contra Augustinum ex lib. de Mend. cap. II. num. 2. « Exceptis igitur iocis quae nunquam « sunt putata mendacia, habent enim « evidentissimam ex pronuntiatione atque « ipso iocantis affectu significationem a- « nimi nequaquam fallentis etsi non vera « enuntiantis » claram ex dictis habet responsionem. Ioci enim duas habent significationes, alteram vulgarem et communem ex lexicis secundum antiquam institutionem, alteram *evidentissimam ex pronunciatione atque ipso iocantis affectu significationem*, qua quis scilicet significat se velle iocari et ludere; quod cum verum sit, ioci non sunt mendacia ex Augustino.

Tradita haec s. Augustini doctrina utilissima est in innumeris eventibus, *ne temere accusemus mendacium quod non est mendacium*, ait idem Augustinus lib. de Mend. cap. I. n. 1.

His quae exposuimus felicius vindicatur Augustinus quam si ex lib. I. Retractationum capite ultimo proferamus in medium quae ipse scripsit: « Hunc quoque « (de Mendacio librum) auferre statue- « ram de opusculis meis, quia et obscu- « rus, et an fructuosus, et omnino mole- « stus mihi videbatur; propter quod eum « nec edideram. Deinde cum postea scrip- « sissem alterum cui titulus est *contra* « *Mendacium*, multo magis illum non « esse decreveram, sed non est factum ». At praetermittenda non sunt quae antea habentur: « De mendacio, inquit, scripsi « librum qui etsi cum aliquo labore in- « telligitur habet tamen non inutilem in- « genii et mentis exercitationem, *magis- « que moribus ad veriloquium dirigen- « dum proficit* ». Quod cum ita sit, praestitit in bonum sanae doctrinae Augustinum vindicare, quam eum indefensum domini le Clerc obtrectationibus lacerandum relinquere, qui in animadversionibus ad librum de Mendacio haec in Augustinum scribit: « Si talibus quae o- « mni verisimilitudine destituta sunt pon- « dus tribuatur, quid tandem habebitur « leve? »

Cap. XIX. Error alius quidem alio perniciosior, sed semper est malus.

XIX. In quibusdam ergo rebus magno, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam nonnullo etiam bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo, cum hoc non credit, quod ad vitam ducit aeternam vel hoc credit quod ad mortem ducit aeternam. Parvo autem malo fallitur, qui falsum pro vero approbando incidit in aliquas molestias temporales, quibus tamen adhibita fidelis patientia, convertit eas in usum bonum. Velut si quisquam bonum hominen putando, qui malus est, aliquid ab eo patiatur mali. Qui vero malum hominem ita bonum credit, ut nihil ab eo patiatur mali, nullo modo fallitur; nec in eum cadit illa prophetica detestatio: *Vae iis qui dicunt, quod malum est, bonum.* De ipsis enim rebus, quibus homines mali sunt, non de hominibus dictum intelligendum est. Unde qui adulterium dicit bonum, recte arguitur illa voce prophetica. Qui vero ipsum hominem dicit bonum, quem putat castum, nescit adulterum, non in doctrina rerum bonarum et malarum, sed in occultis humanorum fallitur morum; vocans hominem bonum, in quo putat esse, quod esse non dubitat bonum, et dicens malum adulterum, et bonum castum: sed hunc bonum dicens, nesciendo adulterum esse, non castum. Porro si per errorem evadit quisque perniciem, sicut superius dixi nobis in itinere contigisse, etiam boni aliquid homini errore confertur. Sed cum dico in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli; non ipsum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum; sed malum quo non venitur, vel bonum quo venitur er-

Isai. V. 20.

rando, id est, ex ipso errore quid non eveniat, vel quid proveniat. Nam et ipse per se ipsum error aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. Quis enim, nisi errans, malum neget, approbare falsa pro veris aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis vel certa pro incertis? Sed aliud est bonum hominem putare, qui malus est, quod est erroris; et aliud est ex hoc malo aliud malum non pati, si nihil noceat homo malus, qui est putatus bonus. Itemque aliud est ipsam vitam putare, quae non est ipsa, et aliud est ex hoc erroris malo aliquid boni consequi, velut est ab insidiis malorum hominum liberari.

Cap. XX. Non omne genus erroris esse peccatum.

XX. Nescio sane utrum etiam huiusmodi errores: cum homo de malo homine bene sentit, qualis sit nesciens; aut pro eis, quae per sensus corporis, capimus, occurrunt nobis similia, quae spiritu tamquam corpore, aut corpore tamquam spiritu sentiuntur; quale putabat esse Apostolus Petrus, quando existimabat se visum videre, repente de claustris et vinculis per angelum sanctum liberatus: aut in ipsis rebus corporeis lene putatur esse quod asperum est, aut dulce quod amarum est, aut bene olere quod putidum est, aut tonare cum rheda transit, aut illum esse hominem cum alius sit quando duo simillimi sibi sunt, quod in geminis saepe contingit; unde ait ille; *Gratusque parentibus error;* et cetera talia, etiam peccata dicenda sint. Nec quaestio nodosissima, quae homines acutissimos academicos torsit, nunc mihi enodanda suscepta est, utrum aliquid debeat sapiens approbare, ne incidat in errorem, si pro veris approbaverit falsa, cum omnia (sicut affirmant) vel occulta sint vel incerta. Unde tria confeci volumina in initio conversionis meae, ne impedimento nobis essent, quae tamquam in ostio contradicebant. Et utique fuerat removenda inveniendae desperatio veritatis, quae illorum videtur argumentationibus roborari. Apud illos ergo error omnis putatur esse peccatum, quod vitari non posse contendunt, nisi omnis suspendatur assensio. Errare quippe dicunt eum quisquis assentitur incertis; nihilque certum esse in hominum visis, propter indiscretam similitudinem falsi, etiam si quod videtur, forte sit verum, acutissimis quidem sed impudentissimis conflictationibus disputant. Apud nos autem *Iustus ex fide vivit.* At si tollatur assensio, fides tollitur; quia sine assensione nihil creditur. Et sunt vera, quamvis non videantur, quae nisi credantur, ad vitam beatam, quae nonnisi aeterna est, non potest perveniri. Cum istis vero utrum loqui debeamus, ignoro, qui, non victuros in aeternum, sed in praesentia se vivere nesciunt: imo nescire se dicunt, quod nescire non possunt. Neque enim quisquam sinitur nescire se vivere: quandoquidem si non vivit, non potest aliquid vel nescire; quoniam non solum scire, verum etiam nescire viventis est. Sed videlicet non assentiendo, quod vivant, cavere sibi videntur errorem: cum etiam errando convincantur vivere; quoniam non potest qui non vivit errare. Sicut ergo nos vivere non solum verum sed etiam certum est: ita vera et certa sunt multa, quibus non assentiri absit ut sapientia potius quam dementia nominanda sit.

Act. XII. 19.

Virgil. Æneid. X. v. 392.

Abac. II. 4. Rom. I. 17.

Nota ad caput XX.

Putat Wolfius Psychol. ration. sect. I. c. I. §. 41. « Quod *sceptici* (sive academici) *metu erroris committendi veritates universales insuper haberent*, « nihil affirmarent, nihil negarent in universali non quod de omnibus dubitarent etiam de factis ipsis. Id patere ait « ex Sexto Empirico ». At Augustinus academicis tribuit universalem dubitationem de omnibus, tum hoc cap. XX. tum

in tribus libris c. Acad. quidquid sit num vere ex animo ita comparati essent, de quo disputat l. III. a c. XVII. Itaque academicus, quod ad corpora attinet, dubitabat num existerent? *unde scis*, ait academicus ap. Augustinum l. III. c. Acad. c. X. n. 24. *esse istum mundum si sensus falluntur?* Idealista autem absolute non existere affirmat. Academicus huic principio innititur: *Posse aliud esse ac videtur;* quae verba sunt August. ibidem. Eidem innititur idealista, quamquam et alia addat ut dicam. Denique quemadmodum academicus hoc capite XX. Ench. dicit: *Nihil certum esse in hominum visis propter indiscretam similitudinem falsi*, nempe quia sive vera sit sensibilium existentia sive falsa, eadem apparentia discerni incapax effici posset in nostris sensibus: hoc idem iisdemque verbis docet idealista.

Neque vero religio tantum cum credibilitatis notis quae a sensibus praecipue pendent subruitur ab idealistis, ut probatum est ad notam 2. capitis IV., sed praeter eversionem principiorum metaphysicorum, civilis quoque reipublicae ethica omnis ac moralis disciplina subvertitur, ut quemadmodum hoc capite indicat Augustinus, ad *dementiam* redigendi simus. Id probandum suscepimus in nota 1. capitis IV. et uberius persequemur in praesenti, ut hinc constet quam falso atque inconsulto Wolfius Psychol. rat. sect. III. c. I. §. 550. docuerit *idealismum innoxium*, ut habes in verbis supra transcriptis ad c. IV. notam 1. Nam erunt quidem, si verus sit idealismus, illa peccata quae obiectum spirituale respiciunt, nulla autem erunt peccata quae in turpi aliquo corporeo facto sita sint, sive in eius voluntate, desiderio, delectatione versentur. Erunt omnia haec falsae *suppositionis* cum nihil corporeum sit. Audi Augustinum lib. III. c. Ac. c. XVI. num. 35. hac argumentatione utentem contra academicos de omnibus dubitantes: « Quid si ergo aliquis adolescentium « cum hos audierit dicentes.... *Quid-* « *quid occurrit vel animo vel sensibus* « *non esse approbandum.* Id igitur au- « diens adolescens insidiabitur pudicitiae « uxoris alienae. Te te consulo M. Tul- « li. De adolescentium moribus vitaque « tractamus, cui educandae instituendae- « que omnes illae literae tuae vigilave- « runt. Quid aliud dicturus es?... » Tum post aliquot excusationes quae ad rem nostram non faciunt, hanc profert »: Adul- « terium... fortasse non fecit, sed fecisse « visus est. Iste autem maritus, homo « fatuus, perturbat omnia litibus pro uxo- « ris castitate proclamans..... » Tum paulo post: « Taceo, inquit Augustinus, de « homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, « omnibusque omnino quae fieri aut co- « gitari possunt flagitiis, aut facinoribus « quae paucis verbis, et quod est gravius, « apud sapientissimos iudices defendun- « tur: *nihil consensi*, *et ideo non erra-* « *vi* »: Atque ut paulo supra dixerat: *fortasse non feci sed fecisse visus.* Haec Augustinus qui ut fatetur lib. I. Retr. cap. I. *motus* antea fuerat argumentis academicorum, de quibus eorumque argumentationibus haec testatur lib. II. c. Acad. c. I. n. 1. « *Eoque fit*, inquit, *ut acade-* « *micorum arma*, *quando cum eis ad* « *manus venitur*, *nec mediocribus viris* « *sed acutis et bene eruditis invicta et* « *quasi vulcania videantur* ». Quae dixi ne sibi multum tribuant recentes idealistae. Verum, inquit Aug. lib. III. c. Ac. c. XV. n. 34.: « Adversus ista verba vi- « gilantior ipsa facta hominum et mores « considerare coepi. Tum vero tam multa « mihi et tam capitalia in istos venerunt « in mentem ut iam non riderem, sed « partim stomacharer, partim dolerem « homines doctissimos et acutissimos in « tanta scelera sententiarum et flagitia « devolutos ». Quae si contra academicos valent quorum est *dubitare*, quanto magis contra idealistas quorum est *negare* rerum sensibilium existentiam, sine quibus nulla sunt homicidia, furta, rapinae, adulteria, nullaque ex his vera perturbatio sensibilis reipublicae quippe quae non extet.

I. Dices: disputatur inter theologos, num Deus, mentiri sane impotens, possit tamen esse causa erroris sive moralis sive saltem physici (*a*); quod autem errorem permittere possit non est dubium.

(*a*) Melchior Canus in altero de Locis, cap. III. ex recepta ac unanimi penes theologos sententia ex ordine docet: I. Haereticum est asserere, quod Deus de potentia ordinata men-

Respondeo : Non eos impugno qui distinguunt subtiliter inter mendacium et errorem , et hunc subdividunt in physicum et moralem; qui causam intentivam erroris a permissiva secernunt. Aio debere apud omnes esse certum quod nequeat Deus exhibere sensibus hominum *apparentiam universalem et claram* corporearum rerum sine harum obiectiva veritate et existentia, quocumque nomine vocetur Deus hanc apparentiam exhibens , sive dicatur causa per se sive per accidens sive non causa sed permissor , sive id vocetur exhibitio mendacii sive exhibitio erroris seu physici seu moralis. *Si hoc totum*, utar verbis August. lib. III. c. Ac. cap. X. num. 24. *qualecumque est quod nos continet atque alit, hoc inquam , quod oculis meis apparet a meque sentitur habere terram et coelum, aut quasi terram et quasi coelum* , si scilicet nonnisi sub hac disiunctione id verum est, ut sit *terra et coelum , aut quasi terra et quasi coelum*, non autem determinate *terra et coelum ;* quidni dicam sub eadem disiunctione fuisse prophetas , apostolos , martyres , aut *quasi* prophetas , *quasi* apostolos , *quasi* martyres? Idem dicam de Scripturis canonicis , de miraculis , de conciliis eorumque decretis, sive de *quasi* Scripturis , *quasi* miraculis, *quasi* conciliis. In priscillianistis August. ep. CCXXXVII. al. CCLIII. num. 9. reprehendit, quod *Dominum Iesum loquentem. . . . . per os proprium illusorem potius quam veritatis doctorem fuisse crediderunt.* Si vel tantum possibilis esset idealismus dubitare in omnibus possemus, num esset Deus *illusor* an *veritatis doctor?* Sive autem dubitemus, an Deus *causet* , sive dubitemus, an Deus errorem universalem et clarum humanorum sensuum *permittat* , perinde est , quantum attinet ad impediendum ne Deo assentiamur sed fluctuet animus et omni vento doctrinae circumferatur.

II. Dices cum Bayle *dictionaire histor. et crit. V. Pyrrhon. lit. B.* « Quod Sce-
« ptici docuere, qualitates afficientes sen-
« sus nostros nil nisi apparentias quasdam
« esse , idipsum fatentur recentes philo-
« sophi sapientiores. Nec est, inquit, quod
« excipiatur extensio ac motus. Etenim
« si obiecta sensuum videntur nobis co-
« lorata , calida , frigida , odora , licet in
« se ipsis non sint huiusmodi , neque
« proinde nos Deus decipit, quid causae
« est , quod nequeant videri extensa , ac
« figurata, quiescentia , aut mota , quin
« revera sint; neque inde ulla erit in nos
« Dei deceptio ».

Respondeo : *Videamus quaeso , ne per hanc quaestionem... in verbi controversiam decidamus, quod...turpissimum esse saepe confessi sumus,* ait Aug. lib. II. c. Ac. cap. X. n. 24. Censent philosophi recentiores quod sensibiles qualitates apparentes sint non reales sensu quodam contrario peripateticis, ex quorum doctrina insunt rebus absolutae aliquae qualitates coloris, caloris, frigoris, odoris. Caeterum etiam antiperipatetici fatentur esse vera ac realia obiecta ita se habentia, ut sive qualitate absoluta verbi gr. coloris , sive ex aliqua dispositione lucem aut reflectente aut refringente aut repellente efficiant sensationem coloris. Quod si Deus solus operaretur in nostris sensibus sensationem coloratae rei obiecto ipso non existente , quemadmodum in aliquibus contingere dicit Maignanus , et in aliis nonnullis omnes fatentur , utique in ea hypothesi esset apparentia disputata a scepticis. Quam apparentiam universalem et claram sine realibus obiectis negamus esse possibilem , et dedecere primae causae perfectionem, atque auctoritatem, *quo velut gradu certo innitentes, attolla-*

tiri possit : II. Qui existimat Deum ex ordinaria potentia per administrum posse vel mentiri vel fallere , errat ille in fide turpissime : III. Deus etiam ex absoluta potentia nec per se nec per alium mentiri potest. Ne cui vero scrupulum iniiciant quae opponi ex Bibliis II. Reg. XVI. 10. , XXIV. 1. coll. I. Paral. XXI. 1., Is. LXIII. 17., Ier. IV. 10., Ezech. XIV. 9....: « testimonia solent , animo reputari canon debet luculentissima exemplorum inductione comprobatus, hebraeis scriptoribus , atque adeo iis, qui suam loquendi formam ad hebraismum exigunt , solemne esse , ut verba *activa* de iis *metonymice* usurpent, qui alicuius actionis non ipsi auctores sint , sed eius tantum patrandae occasionem praebent , quum illam non impediunt. Cf. Ernesti Biblioth. Theolog. Nov. Cart. X., et Gataekerum in diss. de stylo N. T. cap. VII. C. P.

mur in Deum, inquit Aug. lib. de Ut. cred. c. XVI. n. 34.

III. Dices : est accurata similitudo inter apparentiam universalem et claram de sensibilium corporum veritate qualem docent idealistae post scepticos et academicos, et inter apparentiam universalem et claram systematis terrae quiescentis, idest tum motus diurni solis, planetarum, siderum, tum motus annui solaris sub zodiaco, tum quietis terrestrium corporum, tum descensus rectilinei gravium, qui si moveatur terra curvus re ipsa et solum ad speciem rectus esset, sicuti motus globi e summitate ad mali pedem decidentis, translata navi; ergo si posterior haec apparentia non modo possibilis est sed datur reipsa, si fidem habemus tot recentioribus astronomis, et philosophis, prior quoque illa, vel re ipsa dabitur vel certe possibilis erit in sensu composito Providentiae huius.

Respondeo (*a*) me, cui summopere arridet illud Senecae: *non qua itur, sed qua eundum est,* omnino censere eam paritatem esse accuratissimam, et utriusque apparentiae, sive idealisticae, sive copernicanae tum possibilitatem, tum existentiam pari passu procedere. Id acute vidit Christianus Wolfius non matheseos tantum, sed philosophiae quoque praeceptor studiosus, atque ingeniosus: quibus verbis hominem laudo, eiusque studium, atque ingenium, non commendo opiniones plerasque philosophicas, quas magnis paradoxis refertas, non methodum, quam implexissimam atque obscurissimam dico. Is ergo Copernici propugnator, idemque magnificus commendator idealistarum, nihil philosophiae adversari idealismum dicit, imo se in eam sententiam descensurum clare significat, nisi ad manum habuisset Harmoniam Praestabilitam, qua influxus physici difficultates evaderet. Vide Wolfium Psycologiae ration. sect. III. cap. I. §. 550. et cap. IV. §. 614. et seqq. Verum longe ante Wolfium idem clarius Tychonici docuerant cum Claramontio, qui Copernicum dixit *tollere omne criterium sensuum, idest iudicatoriam vim annexam sensationibus*. Vide Ricciolium, qui Tychonicis, et Claramontio subscribit Almag. l. IX. sect. IV. cap. XX. num. 8. Quare num. 6.: « neque enim, inquit « magis evidens est, esse aestatem, atque « hyemem, quam descensum naturalem « gravium esse rectilineum » : aliaque phoenomena terrae quiescentis. Quare nihil tam pronum ac facile esse, quam ut copernicanus « ulterius perfricet frontem, « affirmetque re ipsa non esse aestatem, « non hyemem, non morbos, non mor- « tem; verum haec apparere tantum ».

(*a*) Haec sunt falsa, et quae ferri nullatenus possent, si nostra hac aetate, in tanta Astronomiae et Physicae luce dicerentur. Ut ea tamen auctori nostro condonemus, non pauca sunt quae suadent. Etenim I. neminem fugit, quae sit vis consensionis, et quam aegre eae deserantur sententiae, quas quis a teneris acceperit ac penitus hauserit, tum adultior factus et professus ipse fuerit ac aliis etiam tradiderit. Iam vero quum haec literis consignaret auctor (an. 1755), theologorum scholae a copernicana hypothesi communiter abhorrebant; et quemadmodum ipse primitus acceperat, ita ad magisterium provectus (quamvis alii ex ipsa Societate Iesu praestantes viri per id temporis oppositae adhaesissent sententiae) alios edocuerat, non terram moveri, sed solem circumagi. Fuisset ergo portenti instar, si rem habuisset lenius, blandiusque tractasset. Praesertim quum II. neque Bibliorum testimonia (Ios. X. 12-13., Iob. XXXVIII. 4-6., Ps. XVII. 16., LXXXI. 5., LXXXVIII. 12., XCII. 1., XCV. 10., CI. 26., CIII. 5., CXXXV. 6., Prov. III. 19., VIII. 29., XXV. 3., Eccl. I. 4-6., Eccli. XLVI. 5., XLVIII. 26., Is. XXXVIII. 8.), neque patrum effata desiderari viderentur, quibus non sine veritatis specie communis, vulgataque opinio assereretur. Accedebant III. quum dissidia, quae cultores ipsos Physicae atque Astronomiae distrahebant in partes; tum ancipites hypotheses, ac nutantia rationum momenta, quibus non pauci ex copernicani systematis vindicibus abutebantur. Pronum namque est ex dissensione falsitatem arguere, ac vitium, quod patrocinio inest, ad causam ipsam, cui impenditur, traducere. Ad haec IV. validiora ceteris argumenta, potioresque observationes, quae plenissimam copernicanae hypothesi fidem conciliant, vel nondum innotuerant, vel certe non ita proponebantur, ut eam referrent evidentiam, quae nos percellit. Neque demum V. ad exacerbandos theologorum animos illud mediocriter conferebat, quod inter asseclas instaurati systematis haud pauci numerarentur adversus christianam religionem infensissimi, quique ad oppugnandam, expugnandamque divinam Bibliorum auctoritatem sibi ex novis inventis opem, praesidiaque suppetere gloriabantur. C. P.

Cum autem tanti viri testimonium affero, memineris eorum, quae scribit Tacquet Astronomiae lib. VIII. cap. III. « Hanc, « inquit, controversiam (de veritate ab- « soluta motus terrae) Io. Bap. Ricciolius, ea tum eruditione, tum copia prosecutus est, ut facile omnes hoc in negotio superaverit ».

Ingens quidem esset disparitas idealistas inter, atque copernicanos, si horum, hypothesis ex observationibus astronomicis, quod plures dixere, ac dictitant, demonstraretur. Verum haec mera impostura est ad fucum faciendum simplicioribus, quibus quidquid sub figuris geometricis, aut formulis algebraicis mathematico quasi pallio circumvestitur, id totum illico demonstratum est. Sapienter, ut alia, Ricciolius l. IX. Almagesti c. XXXV. n. 1. « Quando copernicani iactant demonstratum esse telluris motum, et solis statum, id *aut solemne* « *mendacium est*, aut intelligendum est « *ex hypothesi mera* ». Quae abusiva demonstratio ex *mera hypothesi* solemnis et ipsa est illusio, fallacia, deceptio simpliciorum contra leges bonae fidei in literario commercio: hoc enim pacto formas etiam substantiales scholastici demonstrabunt, datis scilicet aliquibus *ex mera hypothesi*.

P. Tacquet, insigne geometris et astronomis nomen, eo tempore scripsit circa medium saeculi XVI. quo « mirum dictu « est, inquit ipse sub initium lib. VIII. « Astronomiae, quantus ubique ad hanc « (Copernici) novitatem ingeniorum pru- « ritus extiterit »: caeterum licet non aeque ac Ricciolius copernicanis adversetur, tamen Astronomiae lib. VIII. cap. III. « Mihi vero, inquit, cum nihil hactenus « in utramvis partem adductum videam, « quod (seclusa auctoritate sacra) proba- « bilitatis metam excedat, his immorari « non est animus »: tantum abest ab evidentia demonstrationum pro motu terrae. Is vir scilicet erat Tacquet, qui non clamoribus copernicanae multitudinis, sed rationibus tangeretur. P. de Chales, quem satis ex se propensum in copernicanos vides ex Astronom. lib. I. prop. XIX., tamen solutis aliquibus argumentis pro Copernico: *Sunt*, inquit l. c. prop. XVI. p. 327. *et nonnulla alia, quae a Copernico afferuntur, possuntque potius in numerum convenientiarum, quam argumentorum referri.*

Quos autem mihi dabis, qui post *pp. Ricciolium, Tacquet, de Chales* operosius, atque ex proposito hanc controversiam tractaverint, novamque Copernico evidentiam non iactantius dixerint sese attulisse, sed scientifico libro, aut dissertatione, productis in medium utriusque sententiae momentis, confecerint? Nimirum omnes Copernicum *clamore sequuntur*, non instituto sententiae examine, aut disputatione. Eam opinionem per manus acceptam posteris tradunt, qui proinde copernicani sunt, aut newtoniani *ex auditu*, et quemadmodum est in actis Trevoltiensibus Fevri. 1753. p. 475. *par oui dire*. Quare censura, quam dixi, ab aevo *p. Ricciolii* ad *p. Cayron*, scriptorem Iesuitam recentissimum pro quiete terrae, (Vid. Memoires des Treveux ad an. 1753. art. 21.) inconcussa perdurat; aut tandem aliquando proferant, si habent, demonstrationem ex observationibus astronomicis, quae observationes non exponantur in utraque hypothesi. Hoc enim mathematici ipsi fatentur, quotquot ex iis sunt ingenui, ac bonae fidei, ratione, ut par est, non oestro perciti. Nihil enim eos moramur, quibus iniuriae pro rationibus, aut demonstrationibus sunt. Quare dum audiunt nos *protervos* appellari a Wolfio in *Elem. Astronomiae*, et pervicaces a *Wisthon* in *Praelectionibus*, iam rem demonstratam putant.

Cum haec igitur Copernici controversia mixti cuiusdam fori sit, et astronomica quidem, si ex coelestibus observationibus demonstratio inquiratur, philosophica autem, ac theologica, si philosophicis, aut theologicis argumentis definienda suscipiatur, missis astronomicis demonstrationibus, quas et hactenus non inventas scimus, et non hominum quidem, sed Dei verbo subnixi nunquam inveniendas certissimi confidimus, dico: si ex philosophicis, aut theologicis principiis definienda res sit, nihil a copernicano proferri posse, quod non multo priori iure proferre queat idealista ad sui defensionem.

Nam utraque hypothesis idealistica, et

copernicana, sin minus consequenter ad aliquas circumstantias praesentis providentiae, saltem physice antecedenter possibilis est. Utraque simplicior prae opposita, et omnia expediens per pauciora, ut ex terminis constat.

At inquies: copernicani graves philosophicas difficultates intorquent in adversarios suos (nam de astronomicis iam dictum est). Respondeo: eas ego leves potius, levissimas, nulliusque roboris puto. Sed fac esse graves. An non in immensum graviores sunt, quibus utuntur idealistae? Eas accipe ex Wolfio phychol. sect. I. cap. I. §. 42. « Impossibilitatem « existentiae realis corporum demonstra« re conatur (idealista), quod ea admis« sa sequantur contradictoria de divisio« ne, et compositione continui, de com« municatione motus, et de commercio « inter mentem, et corpus, et omnem « movet lapidem ut ostendat, per idea« rum in anima successionem explicari « posse phaenomena rerum materialium: « et sect. III. cap. IV. §. 614: idealistae « haec perspicientes, et de distincte ex« plicando commercio animae et corpo« ris, imo in genere, et de distincta expli« catione actionis corporum in se invi« cem, ac corporis in animam, et ani« mae in corpus desperantes, ideo nega« runt mundum aspectabilem, quem ani« ma sibi repraesentat, existere ». Intelligis cuiusmodi sint difficultates, quas idealistae opponunt, nempe eae, quae in omni philosophica schola habitae semper sunt omnium arduae, implexae, inextricabiles. His tamen multis, atque gravissimis una sensuum evidentia universalis et clara ita praeponderat, ut contra idealistam vix non utamur s. Bernardi verbis in epist. ad Innocentium: *an non iustius os loquens talia fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur?* sane Augustinus hoc ipso Enchir. cap. XX. affinem academicorum opinionem *dementiam* appellat. Non moramur difficultates contrarias, quippe certi de corporum existentia, incerti de modo.

Cuius autem tanta erit impudentia, ut cum his idealistarum gravissimis obiectis ea comparet, quae copernicani obiiciunt adversariis suis. » Nulla est, inquiunt, facilis et expedita causa coelestium spiralium motuum, quales requirit terra quiescens; at quales postulat mota terra, eorum causam physicam facile copernicani damus, sive per cartesianos, aut leibnitianos vortices, sive per newtonianas attractiones, et proiectiones, vires nempe centrales, tum centripetas, tum proiectitias, tangentiales, centrifugas ». Quid in his ego potius mirer levitatem ne, an inconsequentiam, haud satis scio.

Dicis planetas motu copernicano deferri ex vorticibus. Rogo autem, hi vortices ex qua causa motum suum habeant proportionatum deferendis planetis? nempe ex libera Dei lege, quae primitus et motum vorticibus impressit, et impressum conservat iis regulis, quas statuere placuit.

At fortasse dicis, planetas copernicano motu deferri ex vi centripeta, sive attractionis in solem aut primarios, et ex vi proiectitia, tangentiali, centrifuga; ex quibus duabus centripeta, ac proiectitia oriantur ellipses planetarum. Rogo autem quid tandem sint vis centripeta attractionis, et vis proiectitia, aut in quid tandem resolvantur? nempe in *liberam Dei legem*, qua ab initio voluit, et vult quemlibet primarium in solem, quemlibet secundarium in primarium gravitare: in liberam aliam Dei legem, qua ab initio voluit, et vult planetas, sive primarios, sive secundarios post primam proiectionem perseverare in eodem statu se movendi uniformiter in directum. Ex quibus geminis legibus voluit Deus, et vult planetas describere motus, quos requirit Copernici systema, idest ellipses primariorum, inter quos est terra circa solem, et secundariorum circa primarios.

Cum autem universa haec doctrina post exhaustam figuris Geometriam, et formulis Algebram longo circuitu theorematum, problematum, lemmatum, porismatum, corollariorum eo tandem deveniat, ut causa motuum, quos requirit systema motae terrae, sit *libera Dei lex*, aut voluntas, (neque aliud dicere possunt nisi impingere velint in substantiales formas, aut qualitates occultas), qua doctrinae levitate, et inconsequentia negligunt, aut reiiciunt opinionem b. Alberti Magni, qui docet causam motuum caelestium, quos postulat terra quiescens, esse

liberam legem Dei, *qui praeceptum posuit, et non praeteribit*. En verba b. Alberti Magni in II. Sent. d. XIV. art. 6. « Coeli « inanimati sunt, et insensibiles; et ideo « verius dicendum fuit, quod non moven- « tur, nisi iussu divino, et voluntate... « et hoc dicunt etiam alii philosophi, si- « cut astronomi, et Ptolomaeus, et Alba- « tegni, et Albumasar, et Gaber, et alii « quamplures » : et paulo post « nihil « ita secure dicitur, sicut quod sola Dei « voluntate moveantur, et natura pro- « pria non contrariante motui ». Quam b. Alberti opinionem, aliorumque apud Conimbricenses lib. II. de Coelo qu. V. art. 2. si astronomus sibi persuaserit, nihil aliud ei faciendum supererit, quam ut in historia motuum coelestium concinnanda ex propriis, et alienis observationibus utiliter in commune bonum elaboret, potius, quam tanto apparatu demonstrationum, et calculorum nonnisi systemata idealia confingat, quod recens ex nostra Soc. astronomus animadvertit. Memineris autem non hoc agi, utrum sententia Alberti Magni vera sit. Hoc unum pronuncio: si eam copernicani, cartesiani, aut newtoniani reiiciant, eos prorsus inconsequenter acturos.

Quaero iam ab adversariis: hactenus ne tam expedite philosophi responderint idealistis, quam facile per nos responsum est copernicano? nisi forte hoc ipsum in responsione displicet, quod nimium sit facilis, *recentes* enim *geometrae*, ut est ingeniose dictum a D. de Fontanelle (Mem. Treveux art. 21. an. 1753.) *odere facilia*.

Quid, inquies, si quis sequutus methodum Malebranchii concedat quidem non expugnari idealistas philosophicis argumentis ex naturali evidentia sensuum, quemadmodum neque copernicani: debellari tamen idealismum argumentatione theologica ex verbo Dei.

Hoc quidem Malebranchii assertum impugnatum est supra, cum probavimus idealismum subvertere notas credibilitatis, idest fundamentum fidei, ut est actus *prudens*: sed alia via occurrendum hoc loco est. Dicis cum Malebranchio idealismum valide expugnari verbo Dei; igitur Dei verbo valide expugnabitur copernicanismus. Quod si tibi copernicano liceat tot, tamque expressa Scripturae testimonia de motu solis, et quiete terrae interpretari in sensu apparenti, et ad vulgi captum accommodato, eo quod Scriptura non doceat vel astronomiam, vel philosophiam, licebit eodem pacto interpretari quaecumque Scriptura enunciat de reali existentia materiae, et corporum sensibilium: neque enim Scriptura docet philosophiam naturalem.

Simili methodo alias usi (in dissert. de Harm. Praestabilita n. 36.) argumentati sumus necessariam esse illationem a copernicanismo affirmato ad affirmandum socinianismum in controversia de pluralitate personarum divinarum, et a negato socinianismo ad negandum copernicanismum, quam argumentationem iterum confirmamus. Si catholici doctores approbent posse copernicanos salvo scripturarum sensu negare *veram*, ac *realem quietem terrae*, et *solis motum*, potuerunt sociniani aeque bene negare *veram ac realem* Filii, aut Spiritus Sancti *Personam* a Patre distinctam. Testimonia scilicet plurima Scripturarum, sive de *motu* solis, et de *quiete* terrae, sive de *Persona* Filii, ac Spiritus Sancti, utraque in sensu apparenti, et ad vulgi captum, non autem scientifico, vel aeque male, vel aeque bene explicabuntur (*a*). Addo non uno tantum, sed ex triplici ca-

(*a*) Discrimina, quae saeculo XVIII. auctor non vidit, nos saeculo XIX. non cernimus modo, sed omnino contuemur. Etenim I. sociniani doctrinam impetunt in symbolis catholicae ecclesiae totidem verbis comprehensam, ab iis, qui sacramento regenerationis initiarentur, constanter postulatam, adversus haereticorum factiones iam inde ab apostolica aetate propugnatam ac defensam, sanctionibus oecumenicorum conciliorum definitam, concordi suffragio a patribus traditam, et cum articulis christianae professionis ita nexam atque cohaerentem, ut nisi haec fixa, immotaque maneat, consistere illi nullatenus possint. Sed cum tot, tantaque sint, quae socinianam ἑτεροδοξίαν refellunt, ne unum quidem ex his copernicanis repugnat. Praeterea II. hoc existit discriminis inter Bibliorum testimonia quae socinianis, quaeque copernicanis opponuntur, quod illa significationem habent certam ac ratam cum ex fidei analogia, tum ex dogmatica catholicae ecclesiae interpretatione; ista contra neutro ex capite vel determinata dici, vel circumscripta censeri possunt. Rursum III. christiani patres

pite longe meliorem fore socinianorum causam.

Primo. Si Scripturarum testimonia pro Persona Filii, ac Spiritus Sancti interpretantur sociniani in sensu apparenti, populari, et ad captum vulgi de persona metaphorica, secundum prosopopoeiae figuram saepe consuetam, id faciunt quam plura producendo Scripturae loca, ac satis difficilia, quae sibi favere putant pro unitate Personae in Divinis asserenda, quibusque olim fere utebantur sabelliani. At nullum habent copernicani testimonium pro motu terrae, ut inde fieri audaciores possint ad contraria sibi testimonia explicanda.

Secundo. Interpretationem suam probant sociniani ex patribus saltem antenicaenis priorum trium saeculorum. Ac quamvis catholici non modo a se habeant postnicaenos patres, sed etiam sibi vindicent iure ac merito communem antenicaenorum sententiam (*a*), fatentur tamen nonnullos veteres ecclesiasticos scriptores pro socinianis esse re ipsa, nonnullos ad speciem favere. At copernicani cum innumeros patres contra se habeant, quos apud Ricciolium lib. IX. Almagesti videre est, ne unum quidem producere sibi faventem possunt.

Tertio. Utcumque contorta, et violenta sit interpretatio sociniana, (cui si copernicana comparetur, neque minus contorta, neque minus violenta est, utraque enim aeque confugit ad sensum metaphoricum, seu popularem, vulgique captui accommodatum) ad eam tamen adhibendam cogi se sociniani profitentur difficillimis argumentis, naturae lumine notis, *Quae sunt eadem uni tertio etc. Quae repugnant uni tertio etc.* At copernicani cum nullam mathematicam demonstrationem astronomicis observationibus innixam protulerint, quid aliud ex philosophia habent, quam coniecturas? Ex. gr. *Quod nulla idonea causa proferatur motuum coelestium in terrae quiescentis systemate*, hoc ab iis inconsequenter obiici iam ostendimus: *Quod simplicior eorum hypotesis sit:* idipsum autem ab idealistis dici posse demonstravimus. Praeterquamquod ridiculum est ex simplicitate copernicani systematis ad nauseam nobis obtrusa, Scripturas pervertere, cum et nobis, et adversariis certissimum sit Deum in coelesti mundi systemate non elegisse simpliciorem hypothesim, cuiusmodi esset, quae per circulos sive soli, sive terrae concentricos rem absolveret cum nullis planetarum irregularitatibus, nullis perturbationibus; quod sapienter contra copernicanos animadvertit de Chales l. I. Astronom. prop. VIII., *non tamen*, inquit, *ita res voluit Deus disponere:* imo certissimum etiam est systema elegisse adeo a simplicissimo remotum, ut proinde et primarii, et secundarii planetae, etiam si supponantur ferri ellipticis orbitis, vias hactenus inextricatas, nec quibusque fortasse tabulis extricabiles ineant: multo magis, si motus ii planetarii considerentur, non prout sunt in astronomicis imaginationibus, sed uti realiter sunt, nempe mixti ex motu centri, et motu rotationis circa proprium axem. Ex quibus fit, ut in ellipticis orbitis describant curvas cycloidales omnem humanum calculum respuentes.

(Cf. Chrysostomum in Genes. homil. XIII. n. 4., in Epist. ad Philipp. hom. IX. n. 2., Hieronymum in Matth. XIV. 8., et Augustinum de Gen. ad lit. lib. I. capp. XVIII-XIX., et lib. II. cap. I.) et spectatissimi quique scholae theologi (Cf. Petrum Lombardum in II. d. XXIII, et s. Thomam I. p. q. LXVIII. a. 1., et Opusc. X. ad Ioannem de Vercellis) disertis verbis praemonent, non esse uniusmodi, quae continentur in Bibliis; sed quum omnia et singula ad fidem moresque spectantia pro rei veritate dicantur, nonnulla contra esse ad physicam praesertim scientiamque naturae pertinentia, quae pro vulgari hominum sententia describuntur. Immo IV. quod verbis docent, exemplo factoque ipso confirmant. Quum enim in iis bibliorum testimoniis explanandis, quae prioris sunt generis, ita conspirent, ut una omnium esse lingua videatur, quum contra ad ea veniunt, quae ad botanicam, zoologiam, astronomiam.... referuntur, in diversa abeunt, et pro sua quique eruditione alia atque alia vel coniiciendo opinantur, vel docendo paullo confidentius affirmant. Cuius quidem rei argumentum ex iis peti luculentissimum potest, quae Petavius ex veterum patrum operibus in priore libro de opificio sex dierum capp. VII. seqq. diligenter adducit. C. P.

(*a*) Ortodoxa antenicaenorum patrum doctrina praeclare asseritur a Georgio Bullo in defensione Fidei nicaenae, Prudentio Marano in opere inscripto, Divinitas D. N. I. C..., et Ballerinii fratribus in tertia ex dissertationibus ad opera Zenonis Veronensis. C. P.

Addo : nullam nobis esse constat in mundo figuram, nullam superficiem, nullum solidum, nullum motum, nullam quantitatem sive continuam, sive discretam, quae ut re ipsa in mundo est, eam regularitatem, et simplicitatem habeat, quae accurate mathematicis calculis subduci possit. Unde igitur in mentem incidit viris caeteroquin sapientibus ita argumentari : *ad subducendos calculos astronomicos hypothesis copernicana simplicior, et facilior est; ergo eam Deus selegit.* Forte quis putet rationem aliquam disparitatis ex eo desumi posse, quod cum agitur de interpretatione sacrae Scripturae loquentis de persona Filii, aut Spiritus Sancti versemur in re spectante ad fidem, cuius mysteria Deus hominem docet in sacris Literis ; cum autem agitur de interpretatione Scripturae loquentis de motu solis, et quiete terrae, versemur in re, quae spectat ad naturalem philosophiam, aut astronomiam, quam Deus non docet in Scripturis.

Respondeo. Quemadmodum Deus non omnes veritates supernaturales in Scripturis revelavit, sed quas ei revelare placuit, ita etiam non omnes quidem veritates naturales, nonnullas tamen, imo vero plurimas locutus est, omnia ad gloriam suam referendo, sive ut homines uberius Deum et cognoscant, et ament. Eodem autem modo eius auctoritas, et locutio infallibilis est sive naturalia, sive supernaturalia testetur: omnis divini verbi sive supernaturalia, sive naturalia loquentis interpretem constituit Ecclesiam, quam sibi emit sanguine suo, non vero constituit *sapientiam huius mundi, quam stultam fecit Deus*, inquit Paulus cap. I. epist. I. ad Corinthios, qui ex graecis maxime de hac sapientia superbiebant.

Praeterea qua ratione Deus non docet in Scripturis suis principaliter physicam, aut astronomiam, ita neque historiam gentium, aut chronologiam ; et tamen eruditi quique non modo catholici, sed etiam protestantes maximum momentum esse dicunt in Scripturarum auctoritate, quoties de Assyriis, Babyloniis, Medis, Persis, Graecis, Ægyptiis, Romanis, eorumque chronologia Scriptura loquitur, quamvis in controversiis historicis, aut chronologicis neutra dissidentium pars sacrae Scripturae textus proferre in medium possit, qui vel numero, vel perspicuitate testimonia exaequent a tychonicis proferri solita. Haec tam inconstans, sibique repugnans agendi ratio, quae tanti facit Scripturas in controversiis historicis, ac chronologicis, minimi facit in controversiis de motu, aut quiete solis, ac terrae, nonne liquido ostendit copernicanorum fautores non sapienti ratiocinatione duci, sed caeco quodam furore abripi, atque oestro? opportune scilicet acta Trevoltientia (Memoires..... commences... à Treveux art. 21. p. 475. fevrier an. 1753.) « Le nom de Newton, et la mode demonstrent tout auiourd' hui: parce qu' enfin Voltaire l' a dit: Newton a *calculé pour eux*, raisonnè *pour eux*, demontrè *pour eux*, pensè *pour eux*, philosophè *pour eux : c' est l' αυτος εφη* de tous le tems ». « Sed non facile, inquit « Augustinus l. V. de Musica cap. V. « num. 10., ista populo persuadentur. « Tanta enim est consuetudinis vis, ut « ea inveterata, si falsa opinione genita « est, nihil sit inimicius veritati ».

Nequit igitur sibi constare doctrina catholicorum theologorum, nisi socinianis, idealistis, copernicanis, aut omnibus facultatem faciat Scripturas eludendi, aut omnibus ex aequo neget. Hinc imperare mihi minime possum, quin vehementer metuam causae catholicae ex hac Scripturarum perversione, quae, quod in aliam rem Quintilianus scripsit, *plus habet in recessu, quam in fronte promittat.* Si quis metum hunc meum arguat, aut etiam rideat, nescio an tantum sibi studii theologici vindicet, quantum Ioannes Baptista Ricciolius non matheseos tantum et astronomiae, sed theologiae quoque professor insignis lib. IX. Almag. sect. IV. cap. XXXVI. n. 1. « maioris, inquit, « momenti est hoc negotium, quam co- « pernicanorum quidam existimarunt. « Etenim occasione controversiae huius « de motu et quiete terrae, quae de se « mere physica et astronomica est, ver- « titur iam ab ipsis in controversiam tum « literalis sensus Scripturae sacrae, tum « arbitrium de eius vero sensu iudicandi, « ac definiendi. Proinde me oportet pro « religiosae vitae officio, ac theologiae, « quam toto fere decennio publice, ac

« privatim docendo professus sum, quan-
« ta possum diligentia etc.

Quae omnia cum scribimus, scimus socinianorum errorem contra veram et realem Personam Filii, et Spiritus Sancti fuisse, et esse ab Ecclesia damnatum, quam damnationem adhuc passa non est hypothesis copernicana, sive ulla pontificia bulla, sive ullo concilii oecumenici decreto. Caeterum nos non pro auctoritate, quae nulla nobis est, definientes, sed theologice ratiocinantes *argumentamur ab absurdo*, quod argumentationis genus catholici ipsi scholastici contra scholasticos alios usurpant sine alterius iniuria. Diximus itaque, quod semel admissa interpretatione copernicana sacrae Scripturae, locutiones scilicet de motu solis etc., ac quiete terrae accipi posse in sensu populari, et ad vulgi captum etc., illud consequitur, quod etiam locutiones de Personis Filii, ac Spiritus Sancti intelligi possint in sensu populari, et ad vulgi captum. Quod cum tamquam absurdum reiiciatur non modo a copernicanis catholicis (si qui sunt qui systema illud non tantum ut hypothesim defendant, in quo nulla esset difficultas) sed etiam a copernicanis protestantibus, inde fit ut vel cogantur reiicere systema hoc suum, vel incohaerenter agere convincantur, quousque idoneam disparitatem asserant non clamando, indignando, irridendo, sed ratiocinando.

Haec eo fidentius scribimus quod memores sumus decreti s. Congregationis Cardinalium sub Paulo V. die 5. Martii 1616. ubi systema copernicanum vocant « Fal-
« sam doctrinam pythagoricam, divinae-
« que Scripturae omnino adversantem...
« in perniciem catholicae religionis »: memores sumus sententiae romanae Inquisitionis latae in Galileum sub Urbano VIII. die 22. Iunii 1633. ubi inserta legitur theologorum de mandato Pontificis selectorum censura: *Solem esse in centro mundi et immobilem motu locali: est propositio... formaliter haeretica, quia est expresse contraria sacrae Scripturae. Terram non esse in centro mundi, nec immobilem, sed moveri motu etiam diurno: est item propositio . . . theologice considerata ad minus erronea in fide.* Ricciolius, qui harum censurarum authentica monumenta recitat, sese iis subscribere profitetur *nihil addens vel minuens* l. IX. Almagesti sect. IV. c. XL. n. 1. in fin.

Andreas Tacquet l. VIII. Astronomiae c. III. n. 8. « Tametsi, inquit, nullum ar-
« gumentum sive astronomicum, sive
« physicum hactenus allatum sciam, quo
« terrae quies et solis motus demonstre-
« tur; (in quo Ricciolio adversatur) cogit
« tamen utrumque asserere, divinorum
« voluminum auctoritas, quae tot locis,
« et evidentia tanta utrumque affirmant,
« ut nullus dubitationi relictus sit locus ». Et post plura testimonia Scripturae sacrae recitata « Supervacaneum, inquit,
« sit plura adscribere; neque enim ver-
« bis clarioribus quies terrae, et motus
« solis affirmari potuerunt... Hoc sensu
« loca iam adducta omnes ss. patres, hoc
« sensu omnes doctores catholici intelle-
« xere » (scilicet ante centum annos, quo tempore scribebat Tacquet, is nescivit ullum esse doctorem catholicum copernicanum). « Quibus omnibus postremo
« accessit s. Congr. Card. auctoritas,
« quae in iudicio de Galilaeo instituto,
« solis immobilitatem in centro mundi, et
« revolutionem terrae annuam ut hae-
« reticam et expresse contrariam sacrae
« Scripturae, motum vero terrae diur-
« num, saltem ut erroneum in fide con-
« demnavit ».

Claudius de Chales lib. I. Astronomiae prop. VI. eo ipso in loco, quo simplicitatem systematis copernicani *divinam* appellat, fatetur eam *hypothesim Scripturae contrariam.* Licet ergo ea simplicitas vera sit, *non tamen*, inquit prop. VIII., ita res *Deus voluit disponere.*

Tres in medium protuli ex nostra Societate tum theologos, tum mathematicos primi ordinis, quosque, uti tales, laudat ipse Wolfius tom. ult. operum, ubi de matheseos scriptoribus. Nescio utrum ex recentibus copernicanis totidem mihi reponere possis, qui, spectatis omnibus, commendabiliores sint, esto sciant fluxionum methodum, et calculum integralem et differentialem, incognitum ante Newtonum, et Leibnitium. Plurimos autem auctores leges apud Ricciolium loco citato, quos inter Nicolaum Serarium scribentem non videre se, quo pacto eius hypothesis

defensores *ab haeresi esse possint immunes*. Ex recentioribus autem lectu dignissimus est vir cl. p. Petrus Curti linguae sanctae in romano Collegio professor in egregia dissertatione דומם שטש, sive *Sol stans* anno superiore edita.

Ex his omnibus concludendum idealistas non posse se se tueri exemplo hypothesis copernicanae, imo ex impugnatione idealismi consequi potius, ut sit reiicienda copernicana hypothesis.

Caeterum, ut ad idealistarum et copernicanorum comparationem redeamus, si divinam bonitatem dedecet illudere humano generi per fallacem universalem apparentiam, tum rerum sensibilium, tum caelestis diurni atque annui motus cum quiete terrae, multo magis id dedecet, si idem ille Deus nos alloquens, et docens in sanctis Scripturis utramque apparentiam, tum eam, quae contra idealistas est, tum quae contra copernicanos est, claris vocibus, nihilque ambiguis perspicue, disertissimeque confirmet.

Memini illud Augustini Epist. LXXXII. al. XIX. c. II. n. 4. ad Hieronymum « De « quo enim certus sim, quod me scriben« do, vel loquendo non fallat, si fallebat « Apostolus filios suos, quos iterum par« turiebat, donec in eis Christus, idest « veritas formaretur? » An non liceat nobis paria argumentari: « de quo certus « sim, quod mihi non illudat, si utraque « perspicua voce tum naturae, tum Scri« pturae illuserit Deus? »

At contra sentiunt astronomi recentiores insignium academiarum. Respondeo. Hanc controversiam astronomicam esse, philosophicam, theologicam. In his quae astronomica sunt, magni facimus astronomos, ex quibus proinde, non autem a metaphysicis philosophis, aut theologis demonstrationem astronomicam de motu terrae expectamus, diu, multum, multoque labore quaesitam, saepius promissam, nunquam exhibitam. In his quae philosophica sunt, et metaphysico ratiocinio libranda, quemadmodum et in iis, quae sunt theologica, atque ad Scripturas, et patres examinanda tam nullius sunt auctoritatis astronomi, quam nullius momenti sunt in astronomicis sive philosophi, sive theologi ad unum omnes. Disparata ista sunt, tamque inter se remota, ac disiuncta, ut qui in earum una facultate insignes vereque clarissimi appellantur, in alia imperitissimi esse possint, aut quemadmodum Augustinus loquitur l. VIII. de Gen. ad lit. cap. XV. n. 33. *acute obtusi*. Quae, omni dissimulatione excussa, tandem aliquando aperte profitenda sunt, ne pro validis argumentis, quae unice desideramus et magni facimus, academicos parisienses, londinenses, petropolitanos nobis ingerant in suis quosque facultatibus, quas profitentur, pro eorum meritis insignes viros, at in controversia, de qua agitur, ventosa, et inania nomina. Quamquam et his nominibus, ut in simili ait Aug. l. IV. c. Iulianum c. III. num. 17. *nos putant esse terrendos. . . . adversus quos, quantum donat, qui nos vocavit, pietatis libertate clamabimus.*

XXI. In quibus autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur, an non; vel utrum vera sive sint sive putentur, an falsa; in his errare, id est aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse atque levissimum. Postremo qualecumque illud et quantumcumque sit, ad illam viam non pertinet, qua itur ad Deum: quae via fides est Christi, quae per dilectionem operatur. Neque enim ab hac via deviabat in geminis filiis *gratus* ille *parentibus error*: aut ab hac via deviabat apostolus Petrus, quando se existimans visum videre, aliud pro alio sic putabat, ut a corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur, vera, in quibus erat, corpora non dignosceret, nisi cum ab illo angelus, per quem fuerat liberatus, abscessit: aut ab hac via deviabat Iacob patriarcha, quando viventem filium a bestia credebat occisum. In his atque huiusmodi falsitatibus, salva fide quae in Deum nobis est, et fallimur, et via non relicta, quae ad illum ducit, erramus: qui errores

Cap. XXI. Error non semper peccatum, sed semper malum.

I. Gal. V. 6.

Act. XII. 9.

Gen. XXXVII. 33.

etiamsi peccata non sint, tamen in malis huius vitae deputandi sunt, quae ita subiecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim haec ab ea fide absint, per quam veram certamque ad aeternam beatitudinem tendimus; ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo vel animi vel corporis sensu, si iam vera illa atque perfecta felicitate frueremur.

Nota in caput XXI.

Dixerat Augustinus initio cap. XX. nescire se, utrum *errores* ibi enumerati, et *caetera talia etiam peccata dicenda sint.* Non omnino determinate dirimit suam hanc dubitationem Augustinus hoc cap. XXI. sed sub disiunctione: « Non arbitrandum est esse peccatum, aut si est, « minimum esse, atque levissimum; postremo qualecumque illud, aut quantumcumque sit, ad illam viam non pertinet, qua imus ad Deum, quae via fides est Christi, quae per dilectionem « operatur ».

Permittit autem, quod ea dicantur peccatum in alio sensu, puta academicorum, apud quos *error omnis putatur esse peccatum*, uti dixerat Augustinus cap. XX. Enchiridii. Eos autem philosophos *acutissimos* vocat Augustinus eodem capite XX. et alibi saepe laudat. Imo iis aliqua ex parte adhaesit, ut testatur l. I. Retract. cap. I. Quare mirum non est, quod eorum loquendi morem non omnino improbet. Observandum est autem obiter hanc peccati appellationem, quam in gratiam academicorum non reiicit Augustinus, nihil commune habere cum *peccato philosophico*, de quo decretum Alexandri VIII. anno 1690. Quandoquidem eius peccati ratio specifica est, quod sit actus humanus disconveniens naturae rationali in homine Deum ignorante, aut Deum actu non cogitante, non tamen Deum offendens, neque dignus aeterna poena; cum peccatum, quod hoc nomine academici appellabant, esset error quilibet speculativus, quem et dari, et a via Dei *per se* non excludere certissimum est, idque solum disceptari potest, num sine vocum abusu appellari possit peccatum. At in lite de voce usum eius permisit Augustinus sectae adeo celebri per eam aetatem.

Haec distinctio peccati *pertinentis ad viam*, *qua imus ad Deum*, et non pertinentis ad hanc viam, imprimis nobis suadet, ut minus miremur de illa alia distinctione in libris contra Iulianum de operibus bonis *bonitate pertinente ad vitam* aeternam, *et bonitate non ad eam* pertinente; quam distinctionem adeo reprehendit Iansenius lib. IV. de Statu nat. laps. cap. II. tamquam alienam a mente s. Augustini. Le Clerc autem in Animadv. ad l. de Fide et oper. fatetur quidem esse s. Augustini, sed eum loquendi modum recenset inter *monstra ex contendendi*, *et paradoxa defendendi libidine nata.* Sed male, tum quia *penes arbitrium ius est et norma loquendi*, tum quia episcopo, atque ecclesiastico scriptori consonat res considerare, uti ad vitam aeternam ducunt, aut ab ea retrahunt, reliqua *detrimentum facere*, ut ait Paulus.

Ex eadem distinctione peccati in hoc c. XXI. intelligimus modum exponendi plura testimonia Augustini, quibus errores etiam invincibilis ignorantiae peccata appellare videtur. Textus plures congerit Ians. l. II. de Statu nat. laps. a cap. II. ad VI. Vulgatae sunt apud theologos responsiones ex ipsius s. Aug. doctrina elicitae, distinguendo *peccatum*, *quod proprie vocatur peccatum*; *libera enim voluntate*, *et ab sciente committitur*, *et quod de huius supplicio consequatur necesse est*: ut habet Aug. l. III. de Lib. arb. c. XIX. n. 54.

His responsionibus aliam addere possumus ex distinctione, quam exposuimus. Forte itaque errores invincibiles appellat peccata *more academicorum*, non autem alio sensu, qui *pertinet ad viam*, *quae ad coelum ducit.* Neque id tantum aptari potest erroribus facti, de quibus huius Enchir. cap. XX. sed etiam erroribus iuris naturalis, quos errores Iansenius vult semper esse peccata, licet sint invincibiles « hoc brevissimum tene, ait Aug.

« l. III. de Libero arb. cap. XVIII. n. « 50: quaecunque ista causa est volun- « tatis, si non ei potest resisti, sine pec- « cato ei ceditur. Si autem potest, non ei « cedatur, et non peccabitur. An forte « fallit incautum? Ergo caveat, ne fal- « latur. An tanta fallacia est, ut caveri « omnino non possit? Si ita est, nulla « peccata sunt. Quis enim peccat in eo, « quod nullo modo caveri potest? »

Igitur errores invincibiles iuris etiam naturalis (eo sensu, et quoad ea, de quibus haec ignorantia possibilis est, de quo non disputamus, sequentes doctrinam s. Thomae I. II. quaest. XCIV. artic. 6. *utrum Lex naturae possit a corde hominis aboleri?*) non sunt peccata, quae *pertinent ad viam, quae ad coelum ducit*: sive ut repetit Aug. hoc eodem cap. Ench. XXI. non sunt peccata, per quae errantes *ab hac via devient*. Cum ergo dicuntur ab Augustino peccata, sic appellabuntur sensu non ecclesiastico, sed usurpato ab academicis *non mediocribus viris, sed acutis et bene eruditis*, ut loquitur Aug. l. II. c. Acad. cap. I. n. 1.

Cap. XXII. Omne mendacium esse peccatum.

XXII. Porro autem omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solum quando scit ipse, quod verum sit, sed etiam si quando errat et fallitur sicut homo, hoc debet loqui, quod animo gerit: sive illud verum sit sive putetur et non sit. Omnis autem qui mentitur contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta non per quae se homines invicem fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim et furando aliquando prodesse, si pauper, cui palam datur, sentit commodum, et dives cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus et adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, et si vixerit, poenitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Si autem merito nobis placet castitas, quid offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, et violetur ista mentiendo? Plurimum quidem ad bonum profecisse homines, qui nonnisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: sed in eorum tali profectu merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quae ut ignoscatur sat est, non ut etiam praedicetur, maxime in haeredibus Testamenti novi, quibus dicitur: *Sit in ore vestro, Est est; Non non: quod enim amplius est, a malo est.* Matth. V. 37. Propter quod malum, quia subrepere in hac mortalitate non desinit, etiam ipsi cohaeredes Christi dicunt: *Dimitte nobis debita nostra.*

Nota ad caput XXII.

Grotius lib. III. de Iure belli cap. I. num. 11. *Augustinus*, inquit, *in mendacii natura constituenda ponit fallendi voluntatem*. Sed mentem Augustini alio trahit Grotius. Plures etiam sunt, qui, ut mihi videtur, non ad mentem s. Doctoris communiter interpretantur definitionem mendacii hoc cap. XXII. Ench. et alibi traditam: « Omnis autem, qui « mentitur, contra id quod animo sentit, « loquitur voluntate fallendi ». Praemittenda est tamen s. Th. doctrina II. II. qu. CX. art. 1. « Si ergo ista tria concurrant, « scilicet quod falsum sit id quod enun- « ciatur, et quod adsit voluntas falsum « enunciandi, et iterum intentio fallendi, « tunc est falsitas materialiter, quia falsum « dicitur, et formaliter propter voluntatem falsum dicendi, et effective propter « voluntatem falsitatem imprimendi. Sed « tamen ratio mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum enunciandi (hoc dixerat Augustinus iis ver-

bis *contra id quod animo sentit, loquitur*). « Quod autem aliquis intendat fal-« sitatem in opinione alterius constituere, « fallendo ipsum, (haec est voluntas fal-« lendi, de qua Augustinus), non per-« tinet ad speciem mendacii, sed ad quam-« dam perfectionem ipsius ».

Hanc s. Thomae doctrinam amplectimur catholici, diligentissime discussa post Augustinum quaestione de mendacio : at satis non est ad mentem Augustini exponendam. Id praestandum est comparando caput hoc XXII. Enchiridii cum lib. de Mendacio, quem Aug. scripserat an. 395. idest 26. annis ante Enchiridion. Cum itaque eo lib. de Mendacio cap. III. n. 4. quaerere coepisset, quid sit mendacium, et in definitione posuisset *voluntatem*, seu *cupiditatem fallendi;* « quamquam, in-« quit, subtilissime quaeritur, utrum cum « abest voluntas fallendi, absit omnino « mendacium » toto capite IV. de hac re disputat in utramque partem. Ac sane si tria illa concurrere deberent, tamquam partes, et constitutiva mendacii, falsa enunciatio, voluntas falsae enunciationis, et voluntas fallendi, seu falsitatem in audiente imprimendi, plurimi a mendaciis excusarentur: plures enim sciunt audientem non fallendum, imo neque de hoc curant : uti reus legitime interrogatus a iudice satis habet, si neget crimen, et hoc pacto evadat mortem, nulloque pacto vel sperat, vel intendit infigere eam falsitatem in mente iudicis, neque de hoc curat. Concludit caput illud Augustinus: « Utrum ergo mentiatur quisquis fallen-« di non habet voluntatem . . . dubitari « potest. Nemo autem dubitat mentiri « eum, qui volens falsum enuntiat causa « fallendi . . . . sed *utrum hoc solum sit* « *mendacium*, alia quaestio est. Interim « de hoc genere, in quod omnes consen-« tiunt, inquiramus : utrum aliquando « sit utile falsum aliquid enuntiare cum « voluntate fallendi ».

En igitur ratio, ob quam in definitione mendacii ponit, tum in Enchiridio, tum alibi *voluntatem fallendi*. Disputare enim vult de mendacio, quod per omnes illius aetatis sapientes mendacium erat, et de quo ita explicato, ac concorditer definito controvertebatur deinde inter doctos, num semper illicitum esset, ut volebat Augustinus, an aliquando licitum, ut censebant alii. Quare ubicumque ea definitio ab Augustino usurpatur, hunc habet sensum: « Saltem hoc ex omnium « sententia debet dici mendacium, cum « quis volens falsum enunciat causa fal-« lendi ». Obscuritas quaestionis de natura mendacii, et dissidia sapientum eius aetatis cogebant Augustinum, ut his limitibus disputationem suam circumscriberet. Caeterum satis ex opusculis Augustini colligitur eum mendacia culpabilia putasse illa etiam, quae sine *voluntate fallendi* dicebantur, quemadmodum deinde docuit s. Thomas loco citato cum reliquis theologis. Hinc ut habes c. XVIII. huiusEnch. *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum, quod*, inquit, *malum est proprium mentientis*: quod malum omnino stat, sive adsit, sive absit *voluntas fallendi*.

Cap. XXIII. Causa rerum bonarum bonitas Dei, malarum voluntas deficiens boni mutabilis.

XXIII. His itaque pro huius brevitatis necessitate tractatis, quoniam causae cognoscendae sunt rerum bonarum et malarum, quantum viae satis est, quae nos perducat ad regnum, ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas : nequaquam dubitare debemus, rerum quae ad nos pertinent bonarum causam non esse nisi bonitatem Dei; malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius angeli, hominis postea.

Cap. XXIV. Secundae malorum causae ignorantia et concupiscentia.

XXIV. Hoc primum est creaturae rationalis malum, id est, prima privatio boni: deinde iam etiam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia noxiarum ; quibus comites subinferuntur error et dolor: quae duo mala quando imminentia sentiuntur, ea fugitantis animi motus vocatur metus. Porro animus cum adipiscitur concupita, quamvis sint perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit, vel delectatione

morbida vincitur, vel vana etiam laetitia ventilatur. Ex his morborum, non ubertatis, sed indigentiae tamquam fontibus omnis miseria naturae rationalis emanat.

In hoc capite docetur unus aliquis verissimus sensus, quo peccatum originale iis etiam, in quibus remissum est, esse possit, et sit causa reprobationis positivae secundum doctrinam s. Augustini, quam aeque celebrem, ac difficilem testatur Card. Norisius *in vindiciis August. cap.* IV. §. 10. Eam tamen censeo non tam esse, quam factam ab aliis fuisse difficilem, qui sensus a s. Doctore alienos ipsi tribuerunt. Eamdem autem opinionem a Iansenio depravatam infra ostendam. Refert igitur saepe Augustinus reprobationis causam in peccatum originale, quoniam, ut inquit optime Bellarminus l. II. de Gr. et lib. arb. cap. XVI. *inde incipit omnium reproborum damnatio*. Modum clarissime exponit hoc capite Aug., ubi primo meminit peccati originalis Adae, quod fuit primum hominis malum, et prima privatio boni, sive originalis iustitiae. At quoniam hoc peccatum in baptizatis remittitur, nec proinde consequenter ad remissionem videtur esse posse causa tot malorum, et tum culparum personalium, tum poenarum etiam aeternarum propter personales culpas inflictarum, ideo addit de ignorantia, et concupiscentia, quae cum impellant ad peccandum baptizatos iam iustificatos, et finaliter reprobatos optime concludit Augustinus « ex his . . . tamquam fontibus omnis miseria naturae rationalis emanat ».

Cum autem tum ignorantia, tum concupiscentia poenae sint originalis peccati, hinc fit, quod reprobi baptizati hac ratione reprobentur propter originale causaliter, mediate, ac remote. Atque hoc nullam habet difficultatem, neque aliud amplectitur Bellarminus loco citato. Qui plus tribuunt s. Doctori, difficultatem non videntur in eo invenire, sed facere.

« Id si ita esset, quid est, inquit Ians. « l. X. de Gr. Ch. c. III. quod *et qui « Evangelium non audiunt, et qui eo au- « dito*, (ac proinde fide, et baptismate « accepto) *perseverantiam non accepe- « runt . . . non sunt ab illa conspersione « discreti, quam constat esse damnatam « euntibus omnibus ex uno in condemna- « tionem :* verba sunt Aug. l. de Corr. « et gr. cap. VII. n. 12. Et iterum in- « fra n. 16. *Qui vero perseveraturi non « sunt . . . procul dubio, nec illo tempo- « re, quo bene, pieque vivunt, in isto- « rum* (*electorum*) *numero computandi « sunt: non enim sunt a massa illa per- « ditionis praescientia Dei, et praede- « stinatione discreti, et ideo nec secun- « dum propositum vocati, ac per hoc nec « electi* ». Ergo isti reprobantur propter massam perditionis damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem; ergo propter peccatum originale in sensu aliquo magis rigoroso, quam ille sit, quem exposuimus. Haec, et similia cogunt etiam card. Norisium, ut quamvis a Iansenii explicatione distet, plus aliquid velit, quam nos concessimus.

Nota in caput XXIV.

Respondeo. In primis ista nimis probarent contra Iansenium, et omnes. Nam si reprobi baptizati damnari dicuntur propter originale, eo quia non sunt discreti, adeoque pertinent ad massam ex euntibus omnibus ab uno (Adam) in condemnationem, iam pertinent ad massam infectam originali, ideoque per baptismum ab eo mundati non sunt, quod cum Tridentino reiicit ipse Iansenius l. X. de Gr. Ch. c. III. Dico itaque massam damnatam ex peccato Adae, in quantum huiusmodi est, ex duobus constitui ex *concupiscentia*, et *reatu*. Haec duo, ut fatetur Iansenius, et ante ipsum explicuerat s. Thomas I. II. qu. LXXXII. art. 3. componunt originale peccatum in doctrina s. Augustini: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitiae* (sive reatus) verba sunt s. Th. ibidem, quam doctrinam, ipsosque terminos adoptat etiam Iansenius l. I de Statu nat. lap. c. I.

Iam vero baptizati non perseveraturi discreti sunt a massa perditionis Adae, quantum ad formale peccati originalis, sive quantum ad reatum in baptismo dimissum, quo sensu nihil in ipsis damnationis est. Non autem omnino, quantum

ad materiale, sive quantum ad concupiscentiam. Nam *dimittuntur libero arbitrio, ac desideriis suis, et traduntur in desideria cordis eorum*: uti saepe Augustinus tum l. de Cor. et gr. cap. XIII. n. 42. et lib. de Gestis Pel. c. III. n. 7., et intelligitur ex hoc ipso cap. XXIV. Enchiridii. Praeterea huius concupiscentiae tyrannidi permittentur in aeternum; resurgent enim, sed non immutabuntur. Quod ipsum saepe inculcat Augustinus. Quare potius confirmatur nostra expositio, quae doctrinam Augustini a gravissimis difficultatibus liberam repraesentat.

Haec expositio eo plausibilior esse debet, quod nihil sumat non ab ipso Iansenio concessum, qui l. IX. de gr. Ch. c. IX. expendens, unde sint phrases istae *massa, et discretio a massa perditionis*, et quid significent apud Augustinum? Docet autem: « quia enim humanum genus, ve« lut eiusdem cum Adamo naturae, et « ex ipso derivatum instar conspersionis, « seu massae farinaceae, peccato velut « fermento vitiatum, perditum, atque « damnatum est, non solum quia ratione « culpae, quam peccatum attulit, sed et « concupiscentiae, qua in prolem culpa « transfunditur animus inquinatur, domi« nantique carni subditus nascitur ». Addit illud Augustini l. I. ad Simplic. q. II. n. 20. « Concupiscentia carnalis de pec« cati poena iam regnans, universum ge« nus humanum tamquam totam, et u« nam conspersionem originali reatu in « omnia permanante confuderat ». Addit infra alia Aug. verba contr. Iulian. l. VI. c. XIV. n. 44. « Gratia liberor, ut scio, « ne intrem in tentationem a concupiscen« tia mea abstractus, et illectus... Gratia « liberabor, ut spero, in aeternum, ubi « iam nulla lex in membris meis repu« gnet legi mentis meae ». Iam vero habes, quo sensu electi discernuntur a massa perditionis, sive a concupiscentia, quod reprobis non contingit.

Duo praeterea animadvertere debuerat Iansenius. *Primum est*: licet Augustinus aliquando dicat iustos baptizatos, qui non perseverabunt, non esse discretos a massa perditionis *certo aliquo sensu*; at inveniri in Augustino, quod *alio sensu* oppositum dixerit. Nam in epist. ad Dardanum CLXXXVII. al. LVII. c. VIII. num. 26. « Dicimus in baptizatis parvu« lis (nulla facta distinctione inter repro« bos, et electos) quamvis id nesciant, « habitare Spiritum Sanctum... Habita« re autem ideo, et in talibus dicitur, « quia id occulte agit, ut sint templum « eius, idque in proficientibus, et profi« ciendo perseverantibus perficit ». Tum c. X. num. 33. de omnibus etiam iis, in quibus id non perficitur, ait universim: « Proinde in compagem corporis Christi, « tamquam in vivam structuram templi « Dei, quae est eius Ecclesia, nati homi« nes,... renascendo per gratiam transfe« runtur tamquam *de massa ruinae ad* « *massam aedificii* ». Idem est autem, sive dicas *massam ruinae*, sive *massam perditionis*. *Alterum est:* iustos baptizatos relapsuros dicit Augustinus, eos non esse discretos a massa perditionis, sed cum addito, *praescientia*, et *praedestinatione*, quod in rigore significat statum potius futurum, quam praesentem. Leg. Aug. in citata epis. ad Dardanum c. XII. n. 37. in ea verba, *ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum*: « Filios Dei, inquit, appellavit utique « praeter hebraeam gentem, in caeteris « etiam omnibus gentibus constitutos, « nondum fideles, nondum baptizatos: « quomodo ergo Dei filios, nisi *secundum* « *praedestinationem?* » Id autem significat, quod non tam essent tunc filii Dei, quam futuri essent, licet reipsa non essent. Similia dixeris in re nostra. Baptizati reprobi secernuntur a massa perdita, et damnata, licet deinde ad massam perditam redituri sint, hoc est ad concupiscentiae tyrannidem, seu ut Aug. habet *regnum carnalis cupiditatis*.

Alia commodius infra expendentur.

Cap. XXV. Poenae peccatis irrogatae.

XXV. Quae tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. Verum haec communia mala sunt et hominum et angelorum pro sua malitia Domini iustitia dumtaxat damnatorum. Sed homo habet et poenam propriam, qua etiam corporis morte punitus est. Mortis ei quippe

supplicium Deus comminatus fuerat, si peccaret: sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio; atque in Paradisi felicitatem tamquam in umbra vitae, unde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocavit. Gen. II. 17.

XXVI. Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, poena mortis et damnationis obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo et simul damnata per quam peccaverat coniuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiae poena similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus angelis vitiatoribus et possessoribus et consortibus suis sine fine supplicium. Sic *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum genus humanum. Cap. XXVI. Peccati Adae poena in tota ipsius stirpe. Rom. V. 12.

XXVII. Ita ergo se res habebat. Iacebat in malis vel etiam volvebatur, et de malis in mala praecipitabatur totius humani generis massa damnata; et adiuncta parti eorum qui peccaverant angelorum luebat impiae desertionis dignissimas poenas. Ad iram quippe Dei pertinet iustam quidquid caeca et indomita concupiscentia faciunt libenter mali, et quidquid manifestis opertisque poenis patiuntur inviti: non sane Creatoris desistente bonitate et malis angelis subministrare vitam vivacemque potentiam, quae subministratio si auferatur, interibunt, et hominum, quamvis de propagine vitiata, damnataque nascentium, formare semina, et animare, ordinare membra, per temporum aetates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim iudicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere. Et si quidem in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est angelorum, nonne merito fieret, ut natura quae Deum deseruit, quae praeceptum sui Creatoris, quod custodire facillime posset, sua male utens potestate calcavit, atque transgressa est, quae in se sui Conditoris imaginem ab eius lumine contumaciter aversa violavit, quae salubrem servitutem ab eius legibus male libero abrupit arbitrio, universa in aeternum desereretur ab eo, et pro suo merito poenam penderet sempiternam? Plane ita faceret, si tantum iustus, non etiam misericors esset, suamque indebitam misericordiam multo evidentius in indignorum potius liberatione monstraret. Cap. XXVII. Hominis conditio post Adae peccatum.

XXVIII. Angelis igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum, et in huius aeris imam caliginem de superna coelesti habitatione deiectis, residuus numerus angelorum in aeterna cum Deo beatitudine et sanctitate permansit. Neque enim ex uno angelo lapso atque damnato ceteri propagati sunt, ut eos, sicut homines, originale malum obnoxiae successionis vinculis obligaret, atque universos traheret ad debitas poenas: sed eo qui diabolus factus est, cum sociis impietatis elato, et ipsa cum eis elatione prostrato, ceteri pia obedientia Domino cohaeserunt, accipientes etiam, quod illi non habuerunt, certam in se scientiam, qua essent de sua sempiterna et numquam casura stabilitate securi. Cap. XXVIII. Deiectis desertoribus angelis ceteri in beatitudine firmati.

XXIX. Placuit itaque universitatis Creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quae perierat, in perpetua perditione remaneret: quae autem cum Deo, illa deserente, perstiterat, de sua certissime cognita semper futura felicitate gau- Cap. XXIX. In locum Angelorum eiectorum succedit pars hominum reparata.

deret secura; alia vero creatura rationalis, quae in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis et originalibus et propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod angelicae societati ruina illa diabolica minuerat,
Luc. XX. 36. suppleretur. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt aequales angelis Dei. Ita superna Ierusalem mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum aut immundorum daemonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctae matris Ecclesiae, quae sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus sive
Rom. IV. 17. qui est sive qui futurus est, in contemplatione est eius artificis, qui *vocat ea, quae non sunt, tamquam ea quae sunt*, atque in mensura et numero et pondere cuncta disponit.

Nota in caput XXV. ad XXIX.

Hoc peccato (originali ait Aug. de Mor. Eccl. c. XXII. n. 40.) *nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc peccato*, inquit. Natura igitur ipsa originalis peccati obscura erat Augustino, contra ac doceat Iansenius l. I. de Statu nat. lap. cap. XV. impugnans Bellar. et Vasquez; neque tantum aliae quaedam difficultates extrinsecae subobscurae Augustino erant. Le Clerc ex recentibus fautoribus socinianorum in Animad. ad l. Aug. de Correp. et gr. « peccati originalis dogma tot, inquit, difficultatibus premitur, ut vix ullas alias « maiores in dogmate theologico inveniri « posse putem, . . . quibus Augustinus « satisfacere nullo modo potuit ». Has ego difficultates ex eo potissimum oriri censeo, quod non prius statuamus, quae ad quaestionem de re pertinet, tum quae ad quaestionem de nomine.

Quod attinet ad quaestionem de re duobus pronunciatis absolvitur.

I. Adam sua *praevaricatione acceptam a Deo sanctitatem, et iustitiam*, qua scilicet sanctus, iustus, Dei amicus, filius, et haeres erat vitae aeternae, *perdidit*, tum sibi, tum aliis hominibus per seminalem generationem ab eo propagandis; praeterea *mortem*, et *poenas corporis* tum sibi, tum aliis meruit. Qui bullis pontificiis inhaerentes censent sanctitatem, ac iustitiam esse beneficium indebitum naturae humanae, quemadmodum, et immunitatem a concupiscentia, a morte, aliisque malis corporis, tam facile capient Adamum praevaricatione sua perdidisse sibi et nobis haec beneficia, quam facile intelligunt caput familiae delicto laesae maiestatis sibi, et posteris suis perdere dignitates, redditus, feuda ex principis liberalitate possessa. Hoc sensu dicere Aug. potuit l. III. contr. Iul. cap. XII. n. 24. *Nec mirum, nec iniustum est, quod radix profert damnata damnatos.* Qui autem censent cum Baio, cuius vestigiis Iansenius in multis insistit, ea esse bona naturae debita, sive ut naturalem eius conditionem primae creationi debitam, tam difficilem putabunt eam doctrinam catholicam, quam esset arduum intelligere caput aliquod familiae delicto maiestatis laesae non sibi tantum mereri oculorum effossionem, manum, ac pedum amputationem etc. sed etiam posteris nascituris. At haec difficultas non est ex dogmate catholico, sed ex peculiari eorum sententia, qui ista de natura humana, bonisque sibi debitis opinantur.

II. Qui post praevaricationem Adae ex ipso seminaliter propagantur, propter eam praevaricationem privantur sanctitate, ac iustitia, privantur immunitate a concupiscentia, a morte, et a malis aliis corporis. Quae omnia, si sunt beneficia homini indebita, non magnam ingerunt huius doctrinae difficultatem, ut patet ex datis exemplis.

Concludam secundum hoc pronunciatum verbis s. Th. in Disputatis de malo q. IV. ar. 2. « Peccatum originale in isto « homine, vel in illo nihil est aliud, quam « id, quod ad ipsum pervenit per origi« nem ex peccato primi parentis ». Haec autem, quae perveniunt in hominem ex peccato primi parentis, revocat s. Tho-

mas ibidem ad tria. « In his, qui ex eius « stirpe oriuntur, et superior pars caret « debito ordine ad Deum qui erat per ori- « ginalem iustitiam, et inferiores vires « non subduntur rationi, sed ad inferiora « convertuntur secundum proprium im- « petum » (quae pronitas ad inordinate appetendum concupiscentia dici potest, ut idem s. Th. paulo infra monet) et « ipsum etiam corpus in corruptionem « tendit ». Si quis cum s. Thoma doceat ex peccato Adae tria haec esse in homine ante baptismum, privationem gratiae sanctificantis, concupiscentiam, et poenas reliquas corporis etc. nullam aliam rem constitutivam peccati originalis, et ab his tribus distinctam Ecclesia ab hoc homine requiret.

Quod attinet ad quaestiones de ecclesiasticis vocibus secundum Scripturas, et patres usurpandis facile componuntur, ubi semel de re constitutum fuerit.

I. In homine ante baptismum esse id, quod *veram, et propriam peccati rationem habet* supponit Tridentinum sess. V. can. 5. ex Scripturis, et patribus. Id et nos asserere debemus. At non cogit Ecclesia, ut aliquid aliud per has voces intelligamus, quam privationem gratiae ex Adae praevaricatione. Nam Tridentinum eadem sess. V. can. 2. loquens de Adamo transfundente peccatum in posteros, ita illud describit: *peccatum*, inquit, *quod est mors animae*. *Privatio* autem *gratiae* sanctificantis, (quae vita est animae) et *mors animae* per omnes synonyma sunt. Satis itaque Tridentino est, quod nomine peccati transfusi in posteros intelligamus *peccatum*, quod est gratiae privatio, sive mors animae; neque aliam veram, et propriam rationem *peccati* postulat, quam quae sit vera, et propria *mors animae*. Quo pacto secernimur a pelagianis, qui docent homines ex peccato Adae factos peccatores propter imitationem; et praeterea poenam mortis corporalis ex eo traxisse; secernimur a Zuinglio docente peccatum ex Adam transfusum esse concupiscentiam tantum.

Confirmatur: nam praeter peccatum actuale, quod est dictum, factum, concupitum contra legem aeternam, et a quo homo actu dicitur peccans, est etiam peccatum, a quo quis post actionem malam patratam dicitur vere, ac proprie *peccator*, *impius*, *iniquus*, dicitur *habere peccatum etc.* Hoc autem peccatum mortale nihil aliud est, quam privatio iustitiae, seu gratiae ex actu personali praeterito. Sub uno quodam respectu haec privatio poena est consequens actum praeteritum; sed ita est poena, ut ab Ecclesia universa vocetur etiam *culpa*, *peccatum*, *iniquitas*, idest animae vera et propria *mors* spiritualis. Poterit igitur etiam privatio iustitiae, ac gratiae sanctificantis ex primo parente, et uno quidem respectu esse poena, et alio vocari peccatum, quod est *mors animae*: sub qua explicatione vix superest specialis difficultas. Haec paritas desumpta est ex Aug. l. I. de Nupt. c. XXVI. n. 29. « Sicut eorum peccato- « rum, quoniam cum fiunt, praetereunt, « reatus tamen manet etc. » et infra: quo- « modo manent, si praeterita sunt, nisi « quia praeterierunt actu, manent rea- « tu? » His explicat reatum peccati originalis.

II. Per eamdem privationem gratiae ex Adami peccato facile intelligitur, quod in homine ante baptismum sit *reatus culpae*, sit *indignitas*, sit *habitualis aversio a Deo*, sit *macula*, sit *captivitas diaboli*, sit *contagium* ex culpa Adami. Haec in idem recidunt.

Quidquid satis est, ut vocetur *peccatum* vera, ac propria ratione, quam explicuimus, satis etiam est, ut aliis hisce nominibus appelletur.

III. Facile intelligitur doctrina Tridentini sess. V. can. 3. « Hoc Adae peccatum, « quod origine unum est, et propagatio- « ne, non imitatione transfusum omni- « bus inest unicuique proprium ». Adae peccatum origine unum fuit: nam una actio fuit, cum patraretur. Ubi autem *praeteriit actus, mansit* in Adamo *reatus*, idest *privatio gratiae* quousque per poenitentiam remissionem accepit secundum illud Aug. l. I. de Nupt. c. XXVI. n. 29. *Peccata . . . manent, nisi remittantur.* Illud autem peccatum propagatum est in posteros, non quantum ad actum, sed quantum ad *reatum*, idest *privationem gratiae*, et *mortem animae*, quae mors animae, sive privatio gratiae, sive reatus vere ac proprie *peccatum* sunt, sive ut solet dici, peccatum habituale, sunt

iniquitas, *impietas*, *macula*. Demum, qua ratione privatio gratiae inest unicuique propria, etiam *peccatum propagatione transfusum* inest unicuique proprium. In his nihil est captu difficile.

IV. Facile etiam intelliguntur, quae de voluntarietate peccati originalis dici solent a theologis. In hoc enim nullum est aliud mysterium, quam quod ea privatio gratiae, quae inest unicuique propria in non baptizatis, insit illis *ex praevaricatione* Adae, quae personaliter voluntaria illi fuit, et propter quam Deus privat posteros gratia sua.

V. Facile intelligitur, quod *omnes in Adam peccaverint*. Quod nihil est aliud, quam quod Adam peccaverit non suo tantum, sed etiam posterorum damno, sive ut ait Trid. sess. V. c. 2. « Adae praevaricationem non sibi soli, sed eius propagini nocuisse, acceptam a Deo sanctitatem, et iustitiam, quam perdidit, non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse » : cuius sanctitatis, et iustitiae privatione peccatores constituimur.

VI. Facile intelligitur, quod peccatum originale transfundatur in homines per concupiscentiam, uti sexcenties loquitur Augustinus, et frustra obiicit Iansenius. Cum enim non priventur iustitia originali propter Adae peccatum, nisi qui seminali generatione ex Adamo propagantur, qua ratione verum est, quod seminalis generatio corpus generando, secum fert privationem iustitiae, ita etiam est verum, quod concupiscentia hoc praestat. Nam vis generandi est inseparabiliter post peccatum Adae vis concupiscendi, quae vis in generatione praecipue dominatur: « Fieret sine isto morbo concupiscentiae seminatio filiorum in corpore vitae illius, nisi homo ante peccasset, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis huius ». Quae verba sunt Aug. l. I. c. I. *de Nuptiis*, *et concupisc.* : unde mirum non est unum pro alio promiscue sumi.

Nota II. ad caput XXV.

Sententiam s. Aug. de peccato originali ita exponit Iansenius lib. I. de Statu naturae lapsae capite I. « Quando Augustinus docet libidinem, vel concupiscentiam esse peccatum originale sic accipit illa, ut simul involvant reatum, quo anima coram Deo rea est, qui reatus per peccati remissionem tollitur, quamvis ipsa concupiscentia remaneat ». Reatus is Iansenio idem est, ac privatio iustitiae, quemadmodum, et nos dicimus, uti constat ex eodem lib. I. de Statu nat. lap. cap. XXIII. Pergit Iansenius : « Ex quo fit, ut reatum illum ipse consideret velut id, quod formale est in originali, concupiscentiam illam, velut materiale. Itaque saepius dicit illo reatu ablato concupiscentiam expiari, non imputari, ac similia » : quae etiam in modo loquendi consonant s. Th. I. II. q. LXXXII. art. 3.

Alia duo sunt, (atque ea non quidem dicimus haeretica, et ab Ecclesia damnata, sed nobis theologice disserentibus falsa), quae de peccato originali docet Iansenius. Primum est. Magnitudinem peccati Adae physice causasse in ipso morbum concupiscentiae traducendum deinde, ac propagandum in posteros seminali generatione, *non secus, ac subinde caecitas, podagra, aliaque parentum vitia cum affectuum, tum corporum transfundantur*, ait Iansen. lib. I. de Statu nat. lapsae cap. XVI., idque *ex natura rei, non ex ulla positiva Dei*, vel *Adami voluntate*, ait ibidem. Rem hanc satis intellectui arduam sic exponit Iansenius: « Cum enim summa esset permanendi in iustitia, et sanctitate facilitas, summa quoque libertas eius nulla affectuum varietate in diversa trahere-tur, rupto vinculo, quo colligabatur Deo, toto impetu collecto voluntatis... deorsum in sui ipsius, rerumque creatarum amorem praecipitatus est. Et ex illo dilectionis impetu pondus concupiscentiae, velut vestigium praecedentis voluntatis, in appetitum sensitivum, quem secum rapiebat, impressum est, quo iam liberet, ac delectaret creaturis concupitis frui, quas ante sine ullo libidinis motu, sola summaque arbitrii libertate concupierat. Haec Augustinus de prima praevaricatione etc. » Ita Iansenius lib. I. de Statu nat. lapsae cap. XXI. Id ipsum cap. III. « Hoc est, inquit, ipsissimum istud malum decantatae illius libidinis, seu concupiscentiae ».

Alterum est. Hanc concupiscentiam, quae in parvulos a parentibus propagatur, esse radicem, seu causam proxi-

mam, ex qua reatus culpae in illis est ex natura ipsa concupiscentiae, nisi superveniat gratia sanitatis, et iustificationis: « Si concupiscentiam, inquit lib. I. « de Statu nat. lapsae cap. III. proles « ex parente suscipit, ergo necessario « mentis apicem... eidem ponderi *subiectum, et captivum gerit*.... nisi saltem, « *habitualis caritas diffundatur in cor-* « *dibus hominum sive maiorum, sive par-* « *vulorum, et habitualiter ad Deum con-* « *versos faciat* ».

Hinc « peccatum originale per libidi- « nem, seu concupiscentiam, tamquam « veram causam transfusionis, atque ita « ex ipsa natura rei propagatur, ait Ian- « senius lib. I. de Statu nat. lapsae cap. « VI. neque vero aliter propagari potest « ullo modo, nisi per libidinem, et con- « cupiscentiam » ait eodem cap. VI.

« Haec docuit Augustinus, ut doctri- « nam catholicam: haec si vera non sit, « vana, fallax, falsa est eius de pelagia- « nis victoria, et tredecim libri Augu- « stini funditus evertuntur » : ita Iansen. cap. XI., XII., et XIV. « Recentiores « plerique... occasionem sumpserunt ex- « cogitandi nescio cuius pacti, quo Deus « omnes posterorum voluntates in pri- « mi parentis voluntate collocaverit, ita « ut quemadmodum eius, esset futura « voluntas omnium in transfundenda iu- « stitia, ita quoque praevaricatio eius « omnium censeatur; quo nihil ab Au- « gustini mente alienius, et in doctrina « eius absurdius, et principiis eius repu- « gnantius excogitari potest »; ait Ians. cap. V. et sequentibus.

Hanc Iansenii doctrinam, qua docet ex peccato Adae physice, et ex rei natura genitam concupiscentiam in Adamo; ex concupiscentia autem posterorum Adae necessario existere reatum culpae, quae originalis dicitur; nulla in his positiva Dei lege interveniente, hanc inquam doctrinam, quam schola s. Thomae, Scoti, et Societatis non amplectuntur, quaeque totum implet librum I. Iansen. de Statu nat. lapsae, efficaciter impugnabit quisquis ostendat in sententia Augustini haec omnia pendere ex libera Dei lege, et voluntate, quam proinde tantopere repugnare Augustino docet Iansenius, qui lib. I. de Stat. nat. lap. cap. XVI.: *Ex quo fit*, inquit, *ut Augustinus numquam ad ulla pacta, vel ad ullas positivas Dei leges de conferenda, vel adimenda posteris iustitia recurrat etc.*

Quid si hanc legem invenero doceri ab Augustino non modo in aliis scriptis eius, sed etiam in his ipsis Enchiridii capitibus? ac sermone quidem CCXXXI. al. CXLI. de Tempore num. 2. « Unde ve- « nerit mors, originem ipsius quaera- « mus. Pater mortis peccatum est. Si e- « nim numquam peccaretur, nemo mo- « reretur. Legem Dei, hoc est praeceptum « Dei cum conditione homo primus ac- « cepit, ut si servaret viveret, si corrum- « peret moreretur. Non se credendo mo- « riturum, fecit unde moreretur, et in- « venit verum fuisse, qui legem dede- « rat ». Patet hic non agi de lege solius prohibitionis: *ne comederis*: de hac enim dici nequit, quod eam *Adam invenerit veram*. Hoc tantum convenit pacto, seu legi, quae praeter prohibitionem esset etiam promissoria, et comminatoria sensu s. Thomae, et theologorum, quod etiam apparet in toto contextu. Pergit August. « Inde mors, inde mortalis, in- « de labor, inde miseria, inde etiam post « mortem primam mors secunda, idest « post mortem temporalem mors sempi- « terna. Huic ergo *conditioni mortis*, his « *legibus Inferni*, obstrictus nascitur « omnis homo, sed praeter illum homi- « nem, qui homo factus est, ne periret « homo: *non enim legibus mortis venit* « *obstrictus*: » Idem Aug. lib. de Catechiz. rud. c. XVIII. n. 30: « Praece- « ptumque illis dedit, quod *si non* trans- « grederentur in illa semper immortali- « tatis beatitudine permanerent, *si au-* « *tem transgrederentur*, supplicia mor- « talitatis expenderent »: quae lex non Adamum tantum, sed reliquos comprehendebat. Hinc August. in Ps. LXX. ser. II. num. 1. » Expertus ergo malum « Adam, omnis autem homo Adam ». Et in Ps. LXXI. num. 6.: « Adam qui « fuit caput mortis nostrae ».

Idem pactum, seu legem docet August. in Psal. CII. n. 6., ubi suos auditores sic alloquitur: « non ergo te sanabit, « qui fecit talem (in Adamo) qualis non « aegrotares, *si legem sanitatis acceptam* « servare voluisses? Nonne tibi, et dispo-

« suit, et mandavit, quid tangeres, quid « non tangeres *ad retinendam* salu- « tem?.... »

Sed non opus est excurrere per alia s. Augustini scripta: in his Enchiridii capitibus habemus, quod satis est. Dixerat Iansenius lib. I. de Statu nat. lapsae cap. VI. « Ex natura igitur rei, non ex « ulla positiva Dei, vel Adami voluntate « posterorum voluntates in sua positas « continente iuxta Augustini doctrinam « factum fuit, ut magnum illud delictum « una cum natura in prolem transeunte « transiret, non secus, ac subinde caeci- « tas, podagra etc. » Videamus quam haec repugnent Augustino: quod attinet ad voluntatem Adami, ait August. hoc cap. XXVI.: « Hinc post peccatum exul « effectus, stirpem quoque suam... poe- « na mortis, et damnationis obstrin- « xit.... » lege reliqua. Quod attinet ad Dei voluntatem, ea in sensu theologorum scholasticorum duplici via ex his capitibus Enchiridii colligitur.

1. Eodem omnino modo loquitur Augustinus de poena concupiscentiae, quo loquitur de aliis malis sive moralibus, sive physicis, quibus homines post originale peccatum, Deo sive permittente, sive volente et intendente puniuntur, tum in hac, tum in alia vita; atqui haec omnia non sunt mala, seu poenae necessaria quadam naturae consecutione ex culpa Adami emanantes, sed ex ira, et lege Dei libera; ergo etiam poena concupiscentiae. Maior constat ex lectione horum Enchiridii capitum: minor declaratur, et probatur, simulque praeoccupatur responsio, quae peti forte ab aliquo posset ex doctrina Iansenii de Statu purae naturae lib. III. cap. I. II., et seqq. Nolo contendere cum Iansenio, utrum Deus ex aeterna lege, idest ex necessaria sua infinita perfectione debeat peccatum non inultum relinquere, sed punire. Esto ita sit, quod ipse tam fuse probat locis citatis. At qualitas poenae, eiusque quantitas, tum in intensione, tum in extensione, quantum ad circumstantias sive huius, sive alterius vitae, sive serius, sive citius, haec sane omnia non ex natura peccati, non ex necessaria aliqua lege, sed ex lege positiva Dei pendent, neque oppositum audet asserere Iansenius; meritum quidem harum omnium poenarum in peccato est, sed determinatio est in libera Dei voluntate.

2. Eodem modo loquitur de poenis, quas Dei ira re ipsa inflixit, et infligit naturae humanae, ac loquatur Augustinus de poenis, quas potuisset infligere, si in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, ut ait August. hoc cap. XXVII., quod habere prae oculis necesse est cum sequenti XXVIII. Sed poenae quas potuisset infligere non erant, neque ex rei natura, neque ex immutabili lege; reipsa enim inflictae, et irrogatae non sunt; ergo etiam aliae poenae, quas re ipsa humanae naturae irrogavit, ex quibus est concupiscentia.

Diximus concupiscentiam, aliasque huius vitae poenalitates esse ex libera Dei lege, non ex natura peccati Adae, quod Iansenius docet; non ideo autem negamus, imo maxime asserimus cum schola s. Thomae, Scoti, Societatis, tum concupiscentiam, tum mortem, aliasque imperfectiones esse re ipsa connaturales naturae humanae. Est enim hoc necessaria consecutio ex possibilitate purae naturae, quam supponimus. Caeterum cum Deus condidisset naturam humanam immunem ab his miseriis, caeteroquin suae imperfectioni connaturalibus, Adae peccatum potuisset ex absoluta sua potestate punire tantum personaliter in Adamo, et quam semel dederat, immunitatem ab iis, caeteroqui connaturalibus malis perpetuo conservare in Adae posteris: sed ei placuit aliam liberam legem, et pactum statuere.

Corollarium. Post discussam a theologis scholasticis controversiam de peccato originali, multamque lucem huic controversiae ex ipsorum disputationibus affusam, facilis via iniri potest explicandi, quomodo animae rationales non traducantur, sed creentur a Deo; sic autem creatae statim inficiantur originali peccato, neque hoc tribuendum sit Deo auctori. Cuius difficultatis solutionem Augustinus epist. ad Hieronymum CLXVI., olim. XXVIII. c. IV., et epist. ad Optatum CXC., olim CLVII. c. VI. fatetur, se neque legendo, neque orando, neque ratiocinando invenire potuisse: in qua difficultate usque ad mortem perseveravit, ut habes ex quatuor libris de origine animae, quos

scripsit ann. 419. iam senex, et ex l. II. Retract. cap. LVI. Tota difficultatis elucidatio pendet ex pacto, seu lege per Iansenium, tam acriter impugnata. Etenim si Deus intelligatur *ex se* privare animam a se creatam originali iustitia, cum reliquis quae hinc consequuntur, difficile videbitur, quod Deus causa non sit privationis iustitiae originalis adeoque peccati, totque animae malorum auctor. Caeterum si intelligatur pactum, sive lex conditionalis explicata ab ipso Augustino serm. CCXXXI. al. CXLI. de Temp. nu. 2. » Legem Dei, hoc est praeceptum Dei cum conditione homo primus accepit, ut si servaret, viveret (utique ipse et eius posteri, nam Adam, omnis homo Adam, inquit idem August. in Ps. LXX. serm. II. num. 1.), si corrumperet, moreretur, (utique et ipse et eius posteri morte tum animae, tum corporis; nam Adam fuit caput mortis nostrae, inquit August. in Psal. LXXI. num. 6.) ille est verus auctor huius privationis iustitiae, seu mortis animae, qui conditionem implevit praevaricando in Paradiso, et legem de se conditionalem, ac indifferentem ad praemium, et poenam, ultimo determinavit; cuiusmodi fuit solus Adam, et mediate tentator diabolus. Hoc pacto verissimum est illud Aug. lib. I. de Nupt. cap. XIX. n. 21. « Gignitur... homo a Creatore, captivus a deceptore: et c. XXIII. n. 26. » Natura humana ... non est nisi ex Deo, sed vitium non est ex Deo: » quod saepissime contra pelagianos scribit Augustinus.

XXX. Verum haec pars generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit aeternum, numquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operatur perditus, nisi quantum fuerit a perditione liberatus? Numquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit: nam libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum poterit resuscitare, cum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium. *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est.* Petri certe apostoli est ista sententia, quae cum vera sit, qualis quaeso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad iuste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse iustitiae coeperit servus. Ipsa enim est vera libertas propter recti facti laetitiam, simul et pia servitus propter praecepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat cuius illa vox est: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum est liber ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? quam cohibet Apostolus dicens; *Gratia salvi facti estis per fidem.*

Cap. XXX. Non merito nec libero arbitrio reparari homines sed gratia.

II. Petr. II. 19.

Io. VIII. 36.

Eph. II. 8.

Quam abusi sint hoc capite XXX. Lutherus, Calvinus, Iansenius, notum est. D. le Clerc, licet sit ex novis pelagianis in Animadversionibus ad hoc caput XXX. « Hoc tantum, inquit, diligenter memo« riae mandandum, quotiescumque Au« gustinus liberum hominem agnoscit in « libris post controversias pelagianas con« scriptis, id ex eius sententia valde im« proprie intelligendum, cum hic diser« tissime doceat hominem, et se et libe« rum arbitrium perdidisse ». Ita le Clerc, qui hoc Augustini, ut ipse putat, assertum de libero arbitrio extincto, et hoc loco, et alibi acriter impugnat.

Nota in caput XXX.

Ut vera Augustini mens ex contextu ipso huius XXX. capitis, et seqq. innotescat, observo libros quatuor ad Bonifacium contra duas epistolas pelagianorum (de quibus libris Aug. lib. II. Retract.

cap. LXI.) scriptos esse ante Enchiridion, de quo Aug. meminit, tamquam de opere posteriori lib. II. Retract. c. LXIII. Iam capite II. n. 4. l. I. ad Bonifacium haec habet Augustinus. Iuliani respondeamus epistolae « *Dicunt*, (inquit Iulianus) « *illi manichaei, quibus modo non com-* « *municamus, idest toti isti, cum quibus* « *dissentimus, quia primi hominis pec-* « *cato, idest Adae, liberum arbitrium pe-* « *rierit, et nemo iam potestatem habeat* « *bene vivendi, sed omnes in peccatum* « *carnis suae necessitate cogantur* ». Huic calumniae Iuliani ita respondet Augustinus n. 5. « Quis autem nostrum dicat, « quod primi hominis peccato perierit li- « berum arbitrium de humano genere? « Libertas quippe periit per peccatum, « sed illa, quae in paradiso fuit, haben- « di plenam cum immortalitate iustitiam, « propter quod natura humana divina « indiget gratia, dicente Domino: *si vos* « *Filius liberaverit, tunc vere liberi eri-* « *tis*, utique liberi ad bene iusteque vi- « vendum. Nam liberum arbitrium usque « adeo in peccatore non periit, ut per il- « lud peccent maxime omnes, qui cum « delectatione peccant, et amore peccati, « hoc eis placet, quod eis libet ».

Cum itaque iam ante scriptum Enchiridion Augustinus sub hac distinctione mentem suam explicuerit de extincto libero arbitrio, videamus utrum in hac sententia perstiterit, cum scriberet Enchiridion.

Imprimis ab initio ipso capitis XXX. disertissime agere incipit de *reparatione ad liberationem*, *regnumque aeternum*, de qua *reparatione a peccatis*, *atque suppliciis*, *et originalibus*, *et propriis* egerat fuse capite praecedenti proximo XXIX.

Haec liberatio tria dicit 1. Actus ex gratiis auxiliantibus elicitos disponentes ad iustificationem, et descriptos a Tridentino sess. VI. c. 6. cuiusmodi sunt fides, spes, timor, odium peccati. Quos actus praeparantes attingit etiam Augustinus sequenti cap. XXXI. et XXXII. Enchir. Dicit 2. formalem ipsam iustificationem per gratiam sanctificantem, quae vocatur *gratia remissionis peccatorum* per Augustinum. Dicit 3. potestatem operandi in posterum opera salutaria digna Filio Dei. Hinc ab Augustino hoc ipso cap. XXX. liberatus a peccato dicitur *liber ad iuste faciendum*, idemque per similes phrases saepe repetit hoc capite, et multo magis in aliis libris suis. Hoc tertium inculcat saepissime Augustinus contra Iulianum, qui *gratiam remissionis* peccatorum agnoscebat; sed nihil praeterea. Hinc Aug. l. I. op. imper. contra Iulianum num. 84. « Alia est re- « missio peccatorum in eis, quae male « facta sunt, alia caritas, quae facit li- « berum ad ea, quae bona facienda sunt. « Utroque modo liberat Christus, quia « et iniquitatem ignoscendo aufert, et in- « spirando tribuit caritatem ». Hoc verificatur, teste ipsomet Iansenio l. III. de Gr. Chr. cap. XV. de caritate habituali, quae in iustificatione datur sive haec caritas pendeat quidem a gratia sanctificante remittente peccata, sed ab ipsa realiter distincta sit, sive eadem sit cum gratia sanctificante, et solum muneribus distinguatur, et attributis ratione nostra diversis. Dona habitualia fidei et caritatis esse veram potestatem bene operandi Iansenius ibidem fatetur esse *veritatem exploratissimam in Augustini scriptis*. Quod ego, omissa explicatione ipsius, quae non placet, sic expono. Nam ad donum habituale fidei, tamquam fructus ad arborem revocantur, piae cogitationes ex revelatione pendentes. Ad donum habituale caritatis revocantur piae affectiones non deliberatae modo, sed etiam indeliberatae, quae communi nomine caritatis vocantur ab Augustino, qui l. II. c. duas ep. pelagian. cap. IX. num. 21. « Quid est boni cupiditas, nisi caritas? » et l. VIII. de Trin. c. X. n. 14. « Quid « est autem dilectio, vel caritas, quam « tantopere Scriptura divina laudat, et « praedicat, nisi *amor boni*? » Imo timorem ipsum revocat ad amorem, seu voluntatem boni. Vide l. LXXXIII. quaestionum q. XXXIII. et in Psal. LXXIX. num. 13. Sub iis autem, quas diximus, cogitationibus, et affectionibus omnia divinae gratiae auxilia comprehenduntur. En sensus augustinianae doctrinae docentis per fidem et caritatem etiam habituales, quae sola datur in non actu operantibus, dari potestatem bene operandi.

Iam duae hoc c. XXX. Enchir. sunt Augustini interrogationes.

I. Interrogat : num haec pars generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit aeternum, meritis operum suorum reparari potest? Respondet autem : « Absit : quid enim boni operatur « perditus, nisi quantum fuerit a perdi- « tione liberatus? » Recte Iansenius ipse « fatetur lib. de Gr. primi hominis c. IX. (testis proinde hac in re omni exceptione maior). « Peculiaris est enim Augu- « stini, ac discipulorum eius phrasis, « adeoque Concilii Arausicani... ut sub « libertate naturali et possibilitate natu- « rali ipsaque natura totum istud com- « prehendatur, quod naturae in ipsa pri- « ma conditione collatum est... Ipsum « amorem Dei, quo liberum fulgebat, et « ardebat arbitrium, seu ut nos loqui- « mur, ipsam gratiam habitualem simul « sub natura intelligebant ». Satis sit illud Aug. l. I. Retr. c. X. n. 3. « Ad « naturam, inquit, referatur, qualis sine « vitio primitus condita est. Ipsa enim « vere, ac proprie natura hominis dici- « tur. Translato autem verbo utimur, ut « naturam dicamus etiam quali nascitur « homo ». Imo in libris de Libero arbitrio, quos nondum presbyter scripsit, longe ante Pelagii haeresim, ab eo inquam tempore, eum loquendi modum usurpabat. « Ipsam naturam, ait. l. III. cap. XIX. n. 54. aliter dicimus, cum « proprie loquimur, naturam hominis, « in qua primum in suo genere inculpabilis factus est (in quibus verbis includitur donum iustitiae, seu gratiae habitualis), aliter istam, in qua ex illius « damnati poena, et mortales, et ignari, « et carni subditi nascimur, iuxta quem « modum dicit Apostolus: *Fuimus enim,* « *et nos naturaliter filii irae, sicut et* « *caeteri* ».

Consentanee ad hunc loquendi morem merita primi hominis ex eius natura ab initio sic condita, et per habitualem gratiam, et caritatem sic constituta, vocantur ab Augustino *opus naturae,* ut in Ep. CCXVII. ad Vitalem, al. CVIII. cap. III. num. 11. *merita humana* lib. de Praed. Sanctorum cap. XV. n. 31. *merita, quae caro potuit habere* lib. de Corr. et gr. cap. XII. n. 37.

Hoc eodem sensu negat hoc cap. XXX. Enchiridii hominibus lapsis *merita operum suorum*, per quae reparari possint ad sanctitatem, et iustitiam in Adamo amissam. Eodem sensu lib. de Praed. Sanctorum c. XV. n. 31. dicit : « *Humana* hic *merita* conticescant, quae perierunt per Adam ». Cum enim *merita humana* et *merita operum* dicantur per comparationem ad naturam, sive hominem dum primo formatur, modo non habent locum *merita operum*, sive merita humana per comparationem ad naturam *primo formatam in statu gratiae et integritatis.* Merita autem naturae, dum homo lapsus *primo formatur*, non sunt, nisi merita damnationis, et irae Dei. Superest ut homo perditus liberetur a perditione per ea tria, quae enumeravimus ; tunc bonum operabitur ad vitam aeternam, quod saepe docet hoc Enchirid. cap. XXX. Augustinus.

Altera interrogatio Augustini est: « num- « quid libero voluntatis arbitrio (subintellige, quod praemiserat) reparari po- « test? Et hoc absit. Nam libero arbitrio « male utens homo (in Paradiso voluptatis) et se perdidit, et ipsum ». Quemadmodum *naturae*, ita et *liberi arbitrii* nomine *naturam, et arbitrium sanum* intelligit Augustinus, *sanum* inquam, ideoque habituali caritate instructum, et immune ab omni prava concupiscentia. Ex quibus consequitur arbitrium illud potestatem habuisse ad iuste, et salutariter operandum. Hinc Aug. l. de Nat. et gr. cap. XLIII. n. 50. « Quis enim eum nescit « sanum, et inculpabilem factum, et li- « bero arbitrio, atque ad iuste vivendum « potestate liberrima constitutum? Sed « nunc de illo agitur, quem semivivum « latrones in via reliquerunt ». Iam vero hoc, et non aliud esse arbitrium, quod isto XXX. capite Enchiridii perditum dicitur ab Augustino, evidens est ex contextu. Illud enim arbitrium dicitur perditum, quod homo primus male utens perdidit, atqui illud fuit arbitrium sanum, et potens iuste vivere. Deinde dicitur perditum illud arbitrium, quod contraponitur arbitrio liberato post casum ; huiusmodi autem non est, nisi arbitrium sanum. Praeterea arbitrium deperditum comparatur facultati, quam ad vitam conservandam habet, qui se occidit. Igitur sermo est de arbitrio potente conser-

vare vitam caritatis acceptam in creatione. Denique Augustinum ante liberationem in homine servo negare liberum arbitrium *cum addito*, non simpliciter, et ea universalitate, qua nostra aetate loquimur, ostendunt verba, quae saepe hoc capite habet, et quibus arbitrium negat: *ad iuste faciendum liber non erit*; et infra: *ad bene faciendum ista libertas, unde erit homini addicto, et vendito*; et infra: *quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere?* Concludendum itaque Augustinum hoc Enchiridii loco idem docere, quod et alibi docet, et omnes cum illo. *Verum est: magnas arbitrii liberi vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit.* August. Serm. CXXXI. numer. 6. al. 2. de Verb. Apostol.; sed merito addit Augustinus ibidem: *Adhuc curatur..... sanatur languor.* Et libro I. ad Bonifacium, capite II. numer. 5.: *Libertas periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit.*

Nota II. in idem caput XXX.

Qui cum Baio tuentur liberum arbitrium sine Dei gratia nonnisi ad peccandum valere, hoc c. XXX. Enchiridii abutuntur, quibus catholici theologi docte, atque ingeniose respondent. Sed si quis Augustini contextum diligenter inspexerit, facile sibi suaserit, nonnisi contorte, et violenter totum hunc locum ad eam controversiam trahi.

« Cum libero peccaretur arbitrio *victore peccato* amissum liberum arbitrium ». Profecto ad literam agitur de peccato praevaricationis Adae, non de aliis specie, aut individuo diversis peccatis, quae Adae praevaricatio *actu praeteriit*, *mansit reatu*, uti toties iterat Augustinus, qui *reatus* in posteros transfusus est. Huius peccati sive reatus servus effectus fuit Adam, donec iustificatione per merita Salvatoris liberatus est. Eiusdem peccati sive reatus in posteros propagati servi sunt filii Adae, donec iustificatione sive remedii legis naturae, sive circumcisionis, sive baptismatis liberentur, qua liberatione acquisita potentes sunt ad iuste, et salutariter operandum. Atque hactenus haec Augustini doctrina nihil habet commune cum controversia, utrum hi sub originali reatu constituti, si ad actualia peccata patranda tententur, abstinere ab iis possint per vires naturae.

Paritas servi usurpata a s. Augustino rem declarat. Servus sub servitute constitutus, a qua suis viribus se se redimere nequit, libertatem tamen indifferentiae habet ad serviendum *cum interna dilectione* boni affectus erga suum dominum, quod dicitur servire *liberaliter*, in phrasi s. Augustini, vel *cum interiori displicentia*, qua iugum domini execretur. Caeterum sub servitute constitutus, libertatem indifferentiae non habet ad opera ingenui, ac liberi hominis. Si hanc servi paritatem hoc modo exposueris, eam senties non obnoxiam D. le Clerc animadversionibus in hunc Enchiridii locum, ubi pessime loquitur de Augustino, de cuius doctrina male merebimur, eamque ludibriis cavillantium exponemus, si illi alienos a contextu sensus affingemus. Haec paritas optime accommodatur servituti reatus peccati originalis contra pelagianos.

Etenim nequit homo ab hac servitute se expedire, nisi iustificatione per baptismum, aliove remedio ante baptismi institutionem. Interim hic servus aliam libertatem non habet, quam illam, qua *delectari* potest de isto peccati statu, et a regeneratione abhorrere, sive ut ait lib. I. Op. imp. c. Iulianum n. 94. *in peccato sua voluntate retineri.*

Ac quoniam « peccati reum tenere « quemquam, quia non fecit, quod fa« cere non potuit, summae iniquitatis est « et insaniae » ait August. lib. de Duabus anim. cap. XII. n. 17., quem librum ante Enchir. iam scripserat ab anno 391., hinc sequitur, quod si ille peccati servus libertatem habet *delectandi* se de illo servitutis, et peccati statu, libertatem etiam habeat *abstinendi* ab ea delectatione, aut etiam sibi displicendi de eo statu, saltem per actus naturales, sive ex conscientiae inquietudine secundum illud eiusdem August. *irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te*, sive alia via.

Interea servus hic liber non est ad iuste faciendum, et ad opera meritoria vitae aeternae, nisi iustificatione liberetur a reatu peccati, fiatque iustitiae et caritatis habitualis servus, simulque Dei filius, quae phrases in idem coincidunt:

hoc omnes fatemur: hoc pluribus inculcat hoc cap. XXX. Enchiridii Augustinus: hoc docuit in postremo ipso suo opere. Nam lib. I. Oper. imperf. num. 94. ad illa verba: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis:* « cum ita« que, inquit, non vivant bene filii ho« minum, nisi effecti filii Dei, quid est « quod iste libero arbitrio (ante libera« tionem) vult bene vivendi tribuere « potestatem? Cum enim haec potestas « non detur, nisi gratia Dei..... *quot« quot autem receperunt eum, dedit eis « potestatem filios Dei fieri....* » Quae atque alia concludit Augustinus eo modo, quo in hoc Enchiridii capite: voluntas; quae libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis (nempe salutaribus, et vitae aeternae meritoriis) non est, quia liberata non est.

Quae disseruimus de servo peccati originalis, quantum ad reatum, qui perseverat usque ad regenerationem, eadem intelligenda de omni eo, qui *devictus* est peccato lethali, quantum ad actum, et eidem peccato quantum ad perseverantem reatum *servus addictus est*. Nam *peccati facti, atque transacti reatum manere*, supponit cum Iuliano August. lib. VI. c. Iul. c. XIX. num. 62. Huiusmodi servus peccati actualis, quantum ad reatum, neque ab hac servitute liberari potest viribus suis, sed iustificatione gratis accepta per gratiae sanctificantis. et habitualis caritatis, ac donorum infusionem. Ea solum obtenta iuste vivere potest cum merito vitae aeternae. Interim dum perseverat ille servitutis status, in quantum huiusmodi servus est, potest solum libere *delectari* de suo malo, ideoque etiam *non delectari*, imo displicere ac dolere saltem naturali quodam taedio, atque odio.

Cum autem a s. Augustino disseratur hoc loco tantummodo de servo peccati, praecipue originalis, tum etiam similitudine quadam rationis, de servo peccati personalis, sed quantum ad reatum, sive originalem, sive actualem, quo *reatu*, seu ut dici solet, habituali peccato est quis *servus addictus*, omnino sunt extra Augustini disputationem ea, quae controvertuntur a baianis, et cum baianis, utrum servus peccati originalis, aut actualis, quantum ad reatum, (sive aliis vocibus) utrum servus peccati habitualis, si tentetur ad nova quaedam actualia peccata, liber sit, ut naturae viribus tentationi resistat honeste, sed non meritorie.

Censemus etiam esse extra hanc Augustini disputationem, quae inter catholicos ipsos controvertuntur, de peccatoris viribus naturalibus ad resistendum tentationibus, aut non resistendum. Qua de re nota sunt dissidia scholastica inter Suarez, ac Vasquez. Nota sunt, quae saepe disserit card. Norisius in pluribus opusculis tom. I. ed. veron.

Ac quoniam quae disserit hoc Enchiridii capite Augustinus de servitute peccati ad ea verba II. Petri II. 19., et Ioan. VIII. 36. in aliis libris disserit, usque ad ultimum scriptum operis imperfecti contra Iulianum, ea quae disputavimus aliquid lucis afferent aliis etiam librorum locis exponendis.

Nota III. in idem cap. XXX.

Ea verba: « Ipsa est enim vera libertas propter recte facti laetitam » (sive libentiam ut legendum Maurini censent), nihil favent dogmati haeretico de sola libertate a coactione, sed tantum absolvunt comparationem inter servum peccati habitualis, sive reatus culpae, et servum habitualis iustitiae per iustificationem acceptae. Est enim hic ita *pie servus propter obedientiam praecepti*, ut id non modo exterius, sed ex animo cum delectatione, et libentia praestet, cum plenissima tamen facultate eum animum delectationem et libentiam interiorem non habendi, imo oppositam displicentiam, quemadmodum de servo peccati habitualis sive reatus dictum est; quae ut vides, nihil habent commune cum dogmate de libertate a coactione.

XXXI. Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco dicit se, ut fidelis esset, misericordiam consecutum; hic quoque adiunxit, atque ait: *Et*

Cap. XXXI. Fides et opera bona ex Dei dono. I. Cor. VII. 25.

hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus quae fecimus, ne forte quis extollatur. Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adiecit: *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus nos fingit, idest, format et creat, non ut homines, quod iam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratia sua facit: ut simus in Christo Iesu nova creatura, secundum quod dictum est: *Cor mundum crea in me Deus.* Neque enim cor eius, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam creaverat Deus.

Eph. II. 10.

Psal. L. 12.

Cap. XXXII. Bona voluntas a Deo.

XXXII. Item ne quisquam, et si non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tamquam ab ipso incipiat meritum, cui tamquam debitum reddatur praemium bene operandi ipsa libertas, audiat eumdem gratiae praeconem dicentem: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* Et alio loco: *igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Cum procul dubio, si homo eius aetatis est, ut ratione iam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernae vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* nisi quia et ipsa *voluntas,* sicut scriptum est, *a Domino praeparatur?* Alioquin si propterea dictum est: *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* tamquam diceretur non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc, si recte dictum est: *non volentis hominis, sed miserentis est Dei,* quia id voluntas hominis sola non implet; cur non e contrario recte dicitur: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere christianus audebit: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat ut propterea recte dictum intelligatur: *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam et adiuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, et *Misericordia eius praeveniet me:* et *Misericordia eius subsequetur me.* Nolentem praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus pie vivere, nisi ut Deus in illis operetur et velle? Itemque cur admonemur petere, ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei praeveniat eos, sicut praevenit et nos: oramus autem pro nobis, ut misericordia eius subsequatur nos.

Prov. VIII. 35. sec. LXX.

Psal. LVIII. 11. Psal. XXII. 6.

Matth. V. 44.

Matth. VII. 7.

Nota in caput XXXI. et XXXII.

Iansenius tomo I. lib. V. De Haeresi pelagiana cap. XIII., et tom. III. lib. II. De Gratia Chr. cap. XXIV. multum sibi plaudit de s. Augustino, ac si in his Enchiridii capitibus sibi faveat in expositione verborum Pauli: *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Censeo verum s. Augustini sensum in hoc Enchiridii loco multum distare non modo a Iansenio, verum etiam a vulgatis interpretationibus, quae circumferuntur penes diversarum partium scriptores:

s. Aug. id unum hoc loco agere, ut errorem olim suum, aliorumque sapientum ecclesiasticorum (vigentem ante episcopalem ordinationem suam peractam sub finem anni 395., et multo antiquiorem pelagianis turbis, utpote exortis sub annum 412., qui error semipelagianismus deinde dictus est), eum inquam errorem valide impugnet. Quod dum Augustinus praestat, satis est ab iis dissidiis alienus, quibus quaeritur utrum actus voluntatis, quibus salutariter operamur sint ab homine, et a gratia indifferente, sive potius ab homine sint, et a gratia minime indifferente, sed per efficaciam suam intrinsecam praemovente, vi cuius *totum Deo detur*, ut hoc loco habet Augustinus, sed alio prorsus sensu.

Pendet autem augustiniani contextus intelligentia ex eo praecipue, quis sit sensus earum vocum *velle*, et *operari*, sive *velle*, et *currere* apud Augustinum, aliosque ecclesiasticos eius aetatis. Ex qua inquisitione multum lucis affulgebit facilius intelligendis opusculis s. Doctoris contra pelagianos, et semipelagianos, imo ad rite intelligendam prolixam disputationem, quam habet l. I. ad Simplicianum qu. II.

Probaverat Augustinus in anterioribus Enchiridii capitibus ex gratia esse liberationem hominis a servitute peccati *habitualis*, uti loquuntur theologi scholastici, sive *reatus*, ut loquitur Augustinus, reatus inquam, aut originalis, aut actualis. Cuius liberationis *gratiam* exposuimus non esse quid simplex, aut unius momenti actum, imo vero quid valde complexum, compositum, et successivum. Quod nisi animadvertatur, inextricabilia erunt plura Augustini testimonia. Complectitur scilicet et dispositiones, quae iustificationem praecedunt, et iustificationem ipsam, et cum iustificatione potestatem iuste et bene per dilectionem in posterum operandi.

Vidit s. Doctor existere posse qui haec concederet; verumtamen ex dispositionibus iustificationem praecedentibus exciperet *fidem*, et *voluntatem*, seu *credere*, et *velle*, in quo errore ipsemet fuerat ante episcopatum, illumque ecclesiasticis aliis viris communem docuerat in nonnullis opusculis a se tunc temporis lucubratis, ut testatur l. 1. Retract. cap. XXIII., et. l. de Praed. SS. cap. III. Quod cum Augustinus dicit, nemo intelligat de ecclesiasticis viris totius orientis, atque occidentis, ac si omnis Ecclesia eo errore inquinata esset, sed de iis quorum sententiam, sive ex opusculis, sive epistolis, sive ex colloquiis noscere poterat. Secundum igitur hunc errorem aliqui dicere poterant: illud *credere*, et *velle* esse ex libero arbitrio solis naturae suae viribus instructo, reliqua deputanda esse gratiae Christi. Et capite quidem Enchiridii XXXI. impugnat errorem de *fide* ex solo libero arbitrio sine gratia, eamque docet gratiae munus esse una cum operibus. Capite autem XXXII. errorem impugnat de *pia voluntate* ex solo libero arbitrio, cui piae voluntati iustificationem praecedenti, et meritum inchoanti reddatur tamquam debitum praemium in subsequenti iustificatione, et cum illa ipsa iustificatione libertas bene operandi opera filii Dei, et meritoria vitae aeternae; quae libertas, ut explicuimus, est secundum morem loquendi s. Augustino usitatum *caritas cum gratia remissionis peccatorum* in iustificatione accepta. Est enim ea caritas radix piarum cogitationum et affectionum, quas ad motus caritatis revocat Augustinus, adiuvantium ad bona opera, et perducentium ad vitam aeternam.

Haec breviter atque acervatim proposita, nunc distinctius exponenda sunt, et probanda.

I. Errorem suum, qui deinde semipelagianismus dictus est, tamquam sanam doctrinam proposuit Augustinus presbyter in Exposit. quar. pr. Ep. ad Rom. an. scilicet 394. nempe vigintiseptem annis ante Enchiridion scriptum ann. 421. «Nisi quisque credit in eum, inquit num. 60. et seqq. *et in accipiendi voluntate* « *permaneat*, non accipit donum Dei, « idest Spiritum Sanctum, per quem « diffusa caritate (in iustificationem) « bonum possit operari ..... bonum o- « perando etiam vitam aeternam conse- « queretur». Et paulo post exponens quomodo Deus adhuc misereatur: « quo- « modo autem adhuc, inquit, nisi ut det « credenti et petenti Spiritum Sanctum « (nempe in iustificatione) quo dato mi-

« sericordiam praestabit, cui misericors « fuerit, idest ut faciat eum (hominem) « misericordem? ». Quod prius Augustinus dixerat *credit*, *et in accipiendi voluntate permaneat*, deinde dicit, *credenti et petenti Spiritum Sanctum*, ut intelligamus de qua voluntate agatur, nempe de *voluntate accipiendi*, sive *de petitione Spiritus Sancti*, quo *caritas diffundatur in cordibus per iustificationem*. Concludit Augustinus num. 61. « Nostrum est credere et velle, illius au- « tem dare credentibus, et volentibus fa- « cultatem bene operandi per Spiritum « Sanctum, per quem caritas Dei diffun- « ditur in cordibus nostris, ut nos mise- « ricordes efficiat ». Ea verba: *nostrum est credere et velle* esse erronea agnovit deinde expresse Augustinus lib. I. Retr. capite. XXIII. quandoquidem in iis docebatur *credere* et *velle* solis viribus liberi arbitrii sine interiori gratia elicitum, et meritorium subsequentis doni Spiritus Sancti iustificantis, et per caritatem largientis facultatem bene operandi. Dixi *sine interiori gratia :* nam in ea expositione epist. ad Romanos agnovit necessariam exteriorem *vocationem*, sive exteriorem *Evangelii gratiam*, ut ipse Augustinus l. de Praedes. SS. cap. III. loquitur exponens antiquum suum errorem ; agnoscebat enim tunc necessarium esse, ut *praecederet praeconium veritatis praedicato Evangelio*. Caeterum in libris post episcopatum scriptis *vocationis* nomine intelligit vocationem non tantum externam, sed etiam in corde operantem, sive vocationem *altam atque secretam etc.*

Consentanee ad veterem hunc suum errorem exponebat Augustinus Paulum ad Romanos cap. IX. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Docuit itaque in expos. ep. ad Rom. num. 62. quod Paulus iis verbis *non volentis neque currentis* etc. *non tollit liberum voluntatis arbitrium, sed non sufficere dicit velle nostrum* (nempe ea *voluntas in accipiendo, ea petitio Spiritus Sancti* solis viribus naturalibus arbitrii facta) nisi adiuvet Deus, misericordes nos efficiendo ad bene operandum (quod idem est ac *currere* ad bravium felicitatis aeternae, ut ex toto contextu patet, et est phrasis familiaris Augustino secundum illud : *Currimus ergo cum proficimus*, lib. de Perf. iust. cap. XX., et sexcentis in locis) *per donum Spiritus Sancti* (in iustificatione accepti). Et iterum : « *Non sufficit voluntas nostra* (scilicet *voluntas in accipiendo, et petendo Spiritum Sanctum* ante iustificationem, et diffusam caritatem in cordibus nostris) *non*, inquam, *sufficit voluntas nostra, et cursus noster* (qui in iustificatione, et bonis operibus eam comitantibus, et consequentibus consistit) *nisi Deus, et vires currentibus praebeat, et perducat, quo vocat* ». Docebat Augustinus, cum in eo errore versaretur, *Deum vires praebere currentibus*, non autem *volentibus*, quia voluntas accipiendi, et petendi Spiritum Sanctum praecedens iustificationem credebatur ab Augustino dependens ex sola *vocatione*, seu externa *gratia Evangelii*, ut ait in expos. ep. ad Rom. cap. LX., LXI., et LXII., sive ex solo *praeconio veritatis Evangelicae*, ut habet de Praed. SS. cap. III. agens de antiquo suo errore, non autem ex Spiritu Sancto, sed potius esse ante donum Spiritus Sancti, ut saepe habet in tribus capitibus illius expositionis, sive non ex *spiritu fidei* et *caritatis*, non ex *Deo praeparante voluntatem*, ut ait exponens errorem suum l. I. Retract. cap. XXIII. num. 2. et 3. Haec igitur erat summa doctrinae, qua s. Augustinus tunc errans explicabat Pauli testimonium : *non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*; hoc nempe pacto : cum ad assequendum bravium felicitatis aeternae duo sint necessaria, et *voluntas* accipiendi, praeter fidem, etiam donum Spiritus Sancti, et *cursus* hominis iustificati bene operantis, cumque illa *voluntas* solis nostris viribus habita insufficiens sit, nisi accedat *cursus*, ad quem peragendum misericors *Deus vires currentibus praebeat, et perducat, quo vocat* (Expos. ep. ad Rom. num. 62.) hinc est, quod negotium nostrae salutis, sive assecutio bravii vitae aeternae non tribuitur nobis *volentibus ex nostris viribus*, *et currentibus ex Dei misericordia*, sed misericordiae Dei, sive Deo miserenti, sine quo *cursus* haberi non potest.

III. Error hic, quem Augustinus habuit, et docuit in Expositione epist. ad Ro-

manos viginti septem annis ante scriptum Enchiridion non solius Augustini tunc temporis erat, imo ea doctrina, et Pauli explicatio dicebatur ab Augustino eam expositionem scribente num. 62. « Spi-« ritualibus viris, et iam non secundum « terrenum hominem ambulantibus pa-« tere ». Et paulo post: « Qui quoniam « intellectus, ut dixi, spiritalibus patet, « a carnali autem prudentia longe remo-« tus est ». Itaque antequam Augustinus scriberet opusculum Expos. Ep. ad Rom. anno 394. ea doctrina et expositio communis erat *spiritalibus viris*. Ab eo anno 394. ad scriptum Enchiridion an. 421. ea erronea doctrina potuit aut augeri aut foveri lectione ipsa augustiniani eius opusculi Expositionis Ep. ad Rom., et aliorum etiam opusculorum, quae forte periere, et in quibus eumdem errorem Augustinus docuerit. Nam l. de Praed. SS. c. III. n. 7.: « Quem meum erro-« rem, inquit, nonnulla opuscula mea « satis indicant ante episcopatum meum « scripta ». *Nonnulla,* inquit, *opuscula*, non unum opusculum. Ea opuscula errorem continentia lecta libenter fuisse satis clare testatur idem Aug. l. de Praed. SS. c. IV. n. 8. « Non sicut legere libros meos « (in quibus ille error habebatur), ita « etiam in eis curaverunt proficere me-« cum ». Et sane in multis perseverasse illum errorem ab anno 394., quo scripta fuit Expos. Epist. ad Rom. ad 421., quo scriptum fuit Enchiridion, et sequentibus deinde annis satis probat epistola ad Vitalem carthaginensem data ann. 427. sexennio post scriptum Enchiridion, et multo magis epistolae Prosperi et Hilarii ad Aug., et subsequens Augustini lib. de Praed. SS. anno circiter 428. aut 429. paulo ante Augustini obitum anno 430.

Haec historica observatio multum deserviet, ut facilius nobis persuadeamus s. Augustinum respexisse impugnationem huius erroris, quem ipse et habuerat cum aliis pluribus et foverat, cum in pluribus librorum suorum locis docet Deum gratia sua operari etiam ipsum *velle*, quandoquidem ex expositis causis multum erat utilis eius erroris impugnatio, imo vero necessaria.

IV. Tandem ex his conficitur sensum Augustini hoc Enchiridii capite XXXII. totum esse in impugnatione erroris, qui postea dictus fuit *Semipelagianismus*, sed antiquior est turbis pelagianis excitatis sub ann. 412. Sensum hunc suum aperit in principio huius capitis XXXII. « Item ne quisquam etsi non de *operi-« bus*, de ipso glorietur libero arbitrio « *voluntatis*, tamquam ab ipso incipiat « meritum etc. » Quamvis fides *opus* sit, tamen catholici errantes ex quibus fuerat Augustinus presbyter, nomine *operum* intelligebant quae consequuntur fidem, imo ipsam iustificationem per fidem. Hinc illa Augustini presbyteri et cum aliis errantis in Expositione Ep. ad Rom. n. 60. *Quod ergo credimus nostrum est, quod autem bonum operemur, illius, qui credentibus in se dat Spiritum Sanctum.* Neque solum credere, sed etiam *velle* credere, sanari, baptizari, haec inquam, non adnumerabant *operibus*. Quare ibidem num. 61. « Nostrum est credere et velle, « illius autem dare credentibus et volen-« tibus facultatem *bene operandi* etc. ». et massilienses ap. Hilarium epist. ad Aug. quae est CCXXVI. inter augustinianas n. 2. « Neque enim alicui *operi* « curationis eorum annumerandum pu-« tant, exterrita et supplici voluntate u-« numquemque aegrotum *velle* sanari ». Quem loquendi modum secutus est ipse Augustinus episcopus post suum errorem correctum, ut ostendi posset innumeris testimoniis. Imo l. I. Retr. cap. XXIII. n. 3. recolens, quod presbyter dixerat in Expositione Epist. ad Rom: « Fides in-« choat meritum, ut per munus Dei *be-« ne operemur* »: subiicit Augustinus *verissime dixi*.

Eos itaque impugnandos aggreditur Augustinus, qui faterentur, ut ipse cum *spiritalibus viris* olim docuerat, opera quidem meritoria post fidem ac iustificationem esse ex gratia Christi, neque in iis posse hominem gloriari; gloriari tamen posse de *libero arbitrio voluntatis*, idest libero arbitrio effectivo *voluntatis, tamquam si ab ipso libero arbitrio* sine Christi gratia effectivo *voluntatis* illius *incipiat meritum*. Nomine autem *voluntatis*, seu *velle* non aliud intelligit, quam voluntatem seu velle solis arbitrii viribus elicitum praevie et dispositive ad iustificationem et donum Spiritus Sancti. Ita

loquebatur Augustinus cum hoc errore detineretur in Exp. Ep. ad Rom.: ita cum eo alii spiritales viri, quos ipse memorat: ita massilienses aliique plures eodem errore decepti, qui teste Aug. I. de Praed. SS. cap. IV. n. 8. legebant eius opuscula ante episcopatum scripta, et nominatim Expos. Epist. ad Rom. Quod ipsum testatur Hilarius in ep. ad Aug. quae inter aug. est CCXXVI. quam praecedit alia Prosperi ad eumdem Augustinum, et est CCXXV. Saepissime *voluntas*, *velle*, et similia in hoc sensu iterantur in his epistolis, nomine eorum errantium catholicorum: « Quicumque ad fidem, et « baptismum accedere *voluerit* . . . in ea « fide, quae deinceps per gratiam sit iu- « vanda—Cum *voluntariae devotioni* re- « muneratio sit parata—Per cognitionem « Dei, et obedientiam mandatorum eius « possit suam dirigere *voluntatem*, atque « ad hanc gratiam, qua in Christo rena- « scimur, pervenire, per naturalem sci- « licet facultatem *petendo*, *quaerendo*, « *pulsando*, ut ideo accipiat, ideo inve- « niat, ideo introeat. . . quia bono natu- « rae bene usus ad istam salvantem gra- « tiam initialis gratiae ope (sive ut paulo « ante ab eodem Prospero dicitur *gratia* « *Creatoris*) meruerit pervenire—Ut et « qui *voluerint* fiant filii Dei—Fidelis non « dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia « *voluit*—Quem bona *appetentem* gratia « Dei foveat—Eo merito quo *voluerint*, « et *crediderint* a suo morbo se posse sa- « nari ». Mitto alia plura ibidem.

Huius *voluntatis* ad iustificationem praeviae et naturalibus arbitrii viribus elicitae errorem impugnat Augustinus hoc XXXII. cap. Enchir. tum ex illo ad Philipp. II. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et operari pro bona voluntate*; tum ex alio ad Rom. IX. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Quare non *cursus* solum, idest bona opera post fidem et baptismum credendo, sperando, diligendo, et perveniendo ad palmam supernae vocationis Dei, sed ipsa *voluntas* primae fidei, baptismi, sanitatis ex Dei misericordia sunt, sive a Domino praeparante.

Opponit autem sibi statim aliam multoque diversam expositionem verborum Pauli, nempe illam omnino, quam olim presbyter et errans cum *spiritalibus viris* secutus fuerat in Expos. Epist. ad Rom. ante annos viginti septem conscripta. Habes expositionem, quam sibi opponit: *Alioquin si propterea dictum est*, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, *quia ex utroque fit, idest et voluntate hominis* (volentis solius naturae suae viribus, praesupposita externa vocatione Evangelii) *et misericordia Dei* (post eam voluntatem *vires currentibus praebente*, sive *adiuvante ad bene operandum*, ut declarat Expositio ad Romanos num. 62.) *ut sic dictum accipiamus* non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, *tamquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei* (subsequens praebendo vires currentibus, seu quod idem est, operantibus). En expositio, quae olim cum aliis communis fuerat erranti Augustino presbytero, et quam modo in Enchiridio sibi opponit ex adversantium persona. Accipe responsionem, quae in eo sita est, ut invertendo et retorquendo hanc formam exponendi adigat adversarios ad expositionem absurdam. Ita igitur infert: *Non ergo sufficit, et sola misericordia Dei* (subsequens, et vires currentibus sive operantibus praebens) *si non sit etiam voluntas hominis* (praecedens scilicet desiderando, petendo, orando, pulsando solius naturae viribus sine interiore spiritu gratiae). *Ac per hoc, si recte dictum est*, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, *quia id voluntas hominis sola non implet, cur non e contrario recte dicitur*, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, *quia id misericordia Dei sola non implet* (praebendo subsequenter vires currentibus, et operantibus)? Quod recte Augustinus monet a nullo christiano dici. Concludit: *restat ut totum Deo detur*, nempe non solus cursus bene operantium, sed etiam praevia illa bona voluntas currendi per bona opera usque ad bravium vitae aeternae. Nam Deus *hominis voluntatem bonam*, qua vult currere, et *praeparat* interiore sua praevenientegratia *adiuvandam* deinde in currendo, et hoc pacto interiore gratia *praeparatam* re ipsa *adiuvat* in currendo, donec comprehendat.

Praecedit enim bona voluntas homi-

nis (desiderans, petens, quaerens, pulsans ad obtinendum baptismum, iustificationem) *multa Dei dona* (cuiusmodi sunt baptismus, iustificatio, et opera meritoria, quae consequuntur), *sed non omnia* (nempe Dei dona). *Quae autem non praecedit ipsa* (scilicet voluntas petens, quaerens, pulsans) *in eis est et ipsa,* (nempe voluntas petens, quaerens, pulsans ; utpote quae et ipsa est donum Dei miserentis). Dei misericordia *nolentem praevenit, ut velit* voluntate illa petente, pulsante, quaerente: sic autem *volentem subsequitur, ne frustra velit*, sed strenue secundum voluntatem, quam habuit, currat, atque operetur post iustificationem acceptam. Id optime probat Augustinus exemplo inimicorum Ecclesiae, qui neque primam et tenuem boni salutaris voluntatem habent, Ecclesia autem pro iis orat, ut Deus eam illis voluntatem concedat; exemplo autem nostro, qui voluntatem boni salutaris habentes petimus, ut accipiamus effectum piorum desideriorum ex misericordia Dei subsequente ea desideria eamque voluntatem, nos ad aeternam vitam perducendo.

Quare si rite secernantur haec duo, quid sit phrasis augustiniana et per eam aetatem usitata, *voluntas* et *velle*, quid sit *cursus* et *opera*, si secernantur diversi errorum gradus, quibus suae respondent apud Augustinum impugnationes, aliis errantibus, quod tum voluntatem, tum cursum solius arbitrii viribus darent, quemadmodum pelagiani, quorum turbae, dum Enchiridion scriberetur anno 421. fervebant iam ab anno 412. aliis errantibus, quod cursum quidem Deo darent, sed fidem aut voluntatem nobis, quem errorem probavimus, et viguisse tempore scripti Enchiridii et antiquiorem esse turbis ipsis pelagianis, hunc fructum habebimus, ut capita Enchiridii XXXI. et XXXII. clara, et perspicua sint, secus tenebrosa, et caliginosa.

Atque hoc quidem pacto cadunt se ipsis argumentationes Iansenii locis citatis ex tom. I. et III. contra defensores gratiae indifferentis ex testimonio Pauli per Augustinum explicato. Sed posset fortasse iansenianus argumentationem quamdam aliam instituere similis formae in indifferentis gratiae assertores. Nam qua ratione non totum negotium nostrae salutis miseranti Deo adscriberetur ex Augustino, si voluntas esset ex homine, cursus ex Deo miserante, ita etiam non totum negotium salutis nostrae miseranti Deo adscriberetur, si et voluntas salutaris tum a Deo miserante per indifferentem ab intrinseco gratiam, tum ab homine esset; et cursus a Deo esset per indifferentem gratiam miserante, tum etiam ab homine: ostenditur consecutio absurda, argumentando ea forma, qua Augustinus. Ideo voluntas, et cursus a congruistis assertoribus gratiae indifferentis Deo miseranti, non vero homini tribuuntur, quia homo non sufficit, nisi adsit Deus; atqui etiam per congruistas Deus non sufficit, nisi adsit homo; ergo qua ratione a congruistis dicitur: « non volentis neque currentis hominis, sed miserentis est Dei » dici etiam poterit: « et volentis, et currentis est hominis, non miserentis est Dei ».

At integra causalis non ea est, quam protulit argumentatio: imo haec: *quia homo non sufficit, nisi adsit miserans Deus:* quid est autem miserans Deus, nisi Deus conferens homini per Christum vires indebitas, ut velit et currat? Invertat iam (liceat enim uti Iansenii voce tom. III. quem citavi. l. II. de Gr. Chr. cap. XXIV. pag. mihi 201.) invertat Iansenius hanc causalem in congruistas, quod nunquam faciet; non enim homo requiritur, qui *vires Deo suppeditet*, ut operetur. Quae dicta sint *sine praeiudicio latentium causarum,* ut in simili dixit Augustinus alibi, nempe sine praeiudicio divinae electionis, atque propositi; nam de his hoc loco tacui, quemadmodum, et Augustinus.

Caeterum Iansenius impugnans defensores gratiae congruae et indifferentis refellitur quidem a nobis, sed non ut in hoc haereticus; cum constet hanc gratiae explicationem pro scholarum libertate impugnari aut defendi.

Cap. XXXIII. Homines natos omnes irae filios eguisse reconciliatore Christo.

XXXIII. Tenebatur itaque iusta damnatione genus humanum, et omnes erant irae filii. De qua ira scriptum est: *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus: anni nostri sicut aranea meditabuntur.* De qua ira dicit etiam Iob: *homo enim natus ex muliere brevis vitae, et plenus irae.* De qua ira dicit et Dominus Iesus: *qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui autem non credit in Filium non habet vitam, sed ira Dei manet super eum:* non ait, *veniet*, sed *manet.* Cum hac quippe omnis homo nascitur. Propter quod dicit Apostolus: *Fuimus enim et nos aliquando natura filii irae, sicut et ceteri.* In hac ira cum essent homines per originale peccatum, tanto gravius et perniciosius, quanto maiora vel plura insuper addiderant, necessarius erat mediator, hoc est reconciliator, qui hanc iram sacrificii singularis, cuius erant umbrae omnia sacrificia Legis et prophetarum, oblatione placaret. Unde dicit Apostolus: *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati nunc in sanguine eius salvi erimus ab ira per ipsum.* Cum autem Deus irasci dicitur, non eius significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo vindicta eius, quae nonnisi iusta est, irae nomen accepit. Quod ergo per mediatorem reconciliamur Deo, et accipimus Spiritum Sanctum, ut ex inimicis efficiamur Filii Dei: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi Filii sunt Dei:* haec est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Psal. LXXXIX. 9. Iob. XIV. 1. Ioan. III. 36. Eph. II. 3. Rom. V. 10. Rom. VIII. 14.

Cap. XXXIV. Christus mediator ineffabili Verbi incarnatione natus ex Maria.

XXXIV. De quo mediatore longum est, ut quanta dignum est, tanta dicantur, quamvis ab homine dici digne non possint. Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, ut crederemus in Dei Patris Omnipotentis unicum Filium natum ex Spiritu Sancto et Maria Virgine? Ita quippe Verbum caro factum est, a Divinitate carne suscepta, non in carnem Divinitate mutata. Carnem porro hic hominem debemus accipere, a parte totum significante locutione: sicut dictum est: *quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, idest omnis homo. Nam nihil naturae humanae in illa susceptione fas est dicere defuisse; sed naturae ab omni peccati nexu omni modo liberae: non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cuius reatus regeneratione diluitur; sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem fides matris, non libido conceperat: quo si vel nascente corrumperetur eius integritas, non iam ille de Virgine nasceretur; eumque falso, quod absit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia; quae imitans eius matrem quotidie parit membra eius, et virgo est. Lege, si placet, de Virginitate Sanctae Mariae meas litteras ad illustrem virum, quem cum honore ac dilectione, nomino Volusianum.

Ioan. I. 14. Rom. III. 20. Epist CXXXVII.

Cap. XXXV. Christus Deus simul et homo.

XXXV. Proinde Christus Iesus Dei Filius est et Deus et homo. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus, quia Dei Verbum, *Deus* enim *erat Verbum:* homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse et Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater maior est illo. Cum enim esset unicus Dei Filius non gratia sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est et hominis filius, idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus. Quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, quod natura erat, idest, *esse aequalis Deo. Exinanivit autem se, accipiens formam servi*, non amittens, vel minuens formam Dei. At per hoc et minor est factus et mansit

Ioan. I. 1. Phil. II. 6. et 7.

aequalis, utrumque unus, sicut dictum est: sed est aliud propter Verbum, aliud propter hominem: propter Verbum aequalis Patri, propter hominem minor est. Unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei Filius: non duo Filii Dei Deus et homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Iesus Christus.

Cap. XXXVI. Gratia commendata in homine Christo ad dignitatem Filii Dei nullis meritis evecto.

XXXVI. Hic omnino granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quae bona voluntas, cuius boni propositi studium, quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est, cum singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo coepit, non aliud coepit esse homo, quam Dei Filius; et hoc unicus et propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona Verbum et homo. Unde naturae humanae tanta gloria, nullis praecedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se iustificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum? Sic et eius matrem angelus salutavit, quando ei futurum adnuntiavit hunc partum: *Ave*, inquit, *gratia plena*: Et paulo post: *Invenisti*, ait, *gratiam apud Deum*. Et haec quidem gratia plena et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, immo omnium Domini mater esset. De ipso autem Christo Ioannes evangelista cum dixisset: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*: quod ait *Verbum caro factum est*, hoc est *plenum gratiae*: quod autem ait, *gloriam Unigeniti a Patre*, hoc est, *plenum veritatis*. Veritas quippe ipsa, Unigenitus Dei Filius non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personae, ut idem ipse esset etiam hominis filius.

Luc. I. 28. et 30.

Cap. XXXVII. Nativitas Christi eo quod est de Spiritu Sancto gratiam demonstrat.

XXXVII. Idem namque Iesus Christus Filius Dei Unigenitus, idest unicus, Dominus noster natus est de Spiritu Sancto et Virgine Maria. Et utique Spiritus Sanctus Dei donum est, quod quidem et ipsum est aequale donanti: et ideo Deus est etiam Spiritus Sanctus, Patre, Filioque non minor. Ex hoc ergo quod de Spiritu Sancto est secundum hominem nativitas Christi, quid aliud, quam ipsa gratia demonstratur? Cum enim Virgo quaesivisset ab angelo, quomodo id fieret, quod ei nuntiabat, quandoquidem illa virum non cognosceret: respondit ei angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et Ioseph cum vellet eam dimittere, suspicatus eam adulteram, quam sciebat non de se gravidam, tale responsum ab angelo accepit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*: idest, quod tu esse de alio viro suspicaris, de Spiritu Sancto est.

Luc. I. 35.

Matth. I 20.

Nota in caput XXXVI., et XXXVII.

His Enchiridii capitibus abutuntur Hexapla, aliique pro Quesnello libri, ut vindicent propositiones duas ex damnatis in Bulla *Unigenitus*: nempe XXI. « Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, « suprema, invincibilis, utpote quae est « operatio voluntatis omnipotentis, se- « quela et imitatio operationis Dei Incar-

« nantis et Resuscitantis Filium suum ». XXII. « Concordia omnipotentis opera-« tionis Dei in corde hominis cum libero « ipsius voluntatis consensu demonstratur « illico in nobis in Incarnatione, veluti « in fonte atque archetypo omnium alia-« rum operationum misericordiae et gra-« tiae, quae omnes ita gratuitae atque « ita dependentes a Deo sunt, sicuti ipsa « originalis operatio ». Si Gratia esset operatio voluntatis omnipotentis, sicuti operatio Dei Incarnantis, quemadmodum haec operata est in humanitate Christi unionem Hypostaticam, humanitate ipsa mere passive se habente, nihil cooperante, et sine potentia dissentiendi, ita gratia operaretur in corde hominis consensum salutarem, homine mere passive se habente, nihil cooperante Deo excitanti ac vocanti, et sine potentia dissentiendi, si vellet: in hoc enim constituitur paritas, quod gratia sit *fortis, potens, suprema, invincibilis sicuti* operatio Dei Incarnantis: quae omnia, addito etiam contextu praecedentium, et subsequentium propositionum Quesnelli clare repugnant Tridentino sess. VI. canone 4.

Ut constet, huic errori nihil suffragari haec duo Enchiridii capita, supponendum, quod secundum perpetuam Augustini doctrinam contra pelagianos, *utroque modo adiuvat gratia, et dimittendo quae male fecimus, et opitulando, ut declinemus a malis, et bona faciamus:* quae verba sunt Augustini l. II. Oper. imperfecti num. 227. et saepissime alias in iisdem libris contra Iulianum, caeterisque scriptis contra pelagianos. Posteriorem gratiam opitulantem sive adiuvantem non admittebant pelagiani; primam autem gratiam remissionis peccatorum agnoscebant pelagiani: hinc ibidem Augustinus: *Tu vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam, nisi in dimissione peccatorum;* in eo tamen errabant, quod putarent posse hominem suis viribus, suisque meritis parare se ad eam iustificationem. Hunc errorem impugnat Augustinus his Enchiridii capitibus. Patet id ex iis verbis capitis XXXVI. « Intelligant homines per « eamdem gratiam se iustificari a pecca-« tis, per quam factum est, ut homo « Christus nullum haberet peccatum »; ubi est parallelum inter gratiam iustificationis, et gratiam unionis; similitudo autem in hoc perpetuo statuitur ab Augustino in his capitibus, quod gratia unionis fuerit sine praecedenti *bona voluntate*, seu *studio boni propositi*, seu *bonis operibus*, seu *praecedentibus meritis*, sed *de Spiritu Sancto* fuerit *secundum hominem Nativitas Christi;* atque ita proinde ex dono Spiritus Sancti, non ex praecedentibus meritis sit gratia iustificationis. Ubi autem his in locis elucet paritas inter operationem Dei Incarnantis Filium suum, et operationem Dei auxiliantis ad bona opera? Multoque minus est paritas in eo, quod utraque operatio sit *fortis, potens, suprema, invincibilis.*

Eadem, quam diximus, mens est s. Augustini in l. de Praed. SS. cap. XV. n. 30. et de Dono persever. cap. XXIV. n. 67., et in libris Operis imperfecti, ubi eamdem, quam supra, paritatem instituit. Quae sane paritas inter gratiam unionis et gratiam iustificationis parvulorum satis clare elucet. Inter gratiam unionis, et gratiam iustificationis adultorum optima etiam est, quia utraque est ex dono Spiritus Sancti, non ex naturae meritis. Est aliqua dissimilitudo, quia gratia unionis nedum non fuit ex meritis naturalibus, sed neque ex meritis supernaturalibus humanitatis assumptae. Gratia autem iustificationis adultorum pendet ex dispositionibus per gratiam positis, quod ubique Augustinus docet, quamquam locus hic non postulabat, ut haec dissimilitudo indicaretur.

Cap. XXXVIII. Christus de Spiritu Sancto non ut de Patre natus sed de Maria ut de matre.

XXXVIII. Numquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris Filius secundum Verbum, et Spiritus Sancti Filius secundum hominem, quod eum Spiritus Sanctus tamquam pater eius de Virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando, quanta alia sequantur

absurda, cum hoc ipsum iam ita sit absurdum, ut nullae fideles aures id valeant sustinere. Proinde sicut confitemur, Dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu Sancto et Virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris Omnipotentis, de quo procedit Spiritus Sanctus. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu Sancto, si non eum genuit Spiritus Sanctus? An quia Spiritus Sanctus fecit eum? Quoniam Dominus noster Iesus Christus, in quantum Deus est, *omnia per ipsum facta sunt*: in quantum autem homo est, et ipse factus est, sicut Apostolus dicit: *Factus est ex semine David secundum carnem*. Sed cum illam creaturam, quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus Sanctus nominatus est? An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? Ita vero est, et exemplis doceri potest. Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud enim movet quomodo dictum sit, *natus de Spiritu Sancto*, cum filius nullo modo sit Spiritus Sancti. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo; sed factum vel creatum vel conditum vel institutum ab illo, vel si quid huiusmodi recte possumus dicere. Hic ergo cum confiteamur natum de Spiritu Sancto et Virgine Maria, quomodo non sit filius Spiritus Sancti, et sit filius Virginis Mariae, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut et de patre, sic autem de illa ut de matre natus est.

Ioan. I. 3.

Rom. I. 3.

Symbol.

XXXIX. Non igitur concedendum est, quidquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium esse nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, lumbricum, quorum nihil est filius; ut ergo, inquam, haec omittam, quoniam tantae rei deformiter comparantur; certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu Sancto, non aquae filios eos rite dixerit quispiam, sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiae. Sic ergo Christus de Spiritu Sancto natus est Filius Dei Patris, non Spiritus Sancti. Nam et illud, quod de capillo et de ceteris diximus, ad hoc tantum valet, ut admoneamur, non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium eius de quo nascitur posse dici. Sicut non omnes qui dicuntur alicuius filii, consequens est ut de illo etiam nati esse dicantur, sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennae, non ex illa nati, sed in illam praeparati, sicut filii regni, qui praeparantur in regnum.

Cap. XXXIX. Non quidquid ex aliquo nascitur eius filius dicendus est.

XL. Cum itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo, ut sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus, cuius dicitur filius; profecto modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto non sicut filius, et de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Deo copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui filius Dei; ac sic in naturae humanae susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum posset admittere. Quae gratia propterea per Spiritum Sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum. Unde sufficienter loqui (si tamen id fieri potest) valde prolixae disputationis est.

Cap. XL. Modus quo natus est Christus de Spiritu Sancto insinuat gratiam unionis hypostaticae.

Ioan. IV 10. Act. apost. VIII. 20.

Nota in caput XXXVIII. XXXIX., et XL.

Deservire potest loco commentarii ad haec capita Enchiridii s. Thomas III. parte qu. XXXII. art. 3 ubi quaerit: *Utrum Spiritus Sanctus dici debeat Pater Christi secundum carnem?* Sententiam Augustini in Enchiridio approbat et confirmat. Qui lectionem sanctorum patrum, etiam adolescentibus, commendant prae studio scholasticae theologiae, comparent, quaeso, haec Enchiridii capita cum articulo s. Thomae, ubi Doctor angelicus brevissimo articulo non eam tantum quaestionem expedit, an Christus ratione conceptionis dici possit Filius Spiritus Sancti, sed praeterea, an dici possit *ratione creationis*, an *ratione iustificationis*. Profecto spectato non tantum rationum robore, sed modo eas proponendi, totiusque tractationis methodo perspicua, deprehendent multum lucis patrum scriptis accessisse ex s. Thoma, s. Bonaventura, caeterisque gravibus theologis. Ut alia omittam, neque in his Augustini capitibus, neque in homil. II. Chrys. in Symb. Apost. neque in Concil. Tolet. XI. in quibus eadem sana doctrina traditur, invenies propriam huius rei rationem, qua infidelibus contra nos argumentantibus os obstruas. Eam breviter ac perspicue traditam invenis in s. Thoma ibidem ad I.m « Dicendum, quod Christus conceptus est « de Maria Virgine materiam ministran- « te in similitudinem speciei, et ideo dici- « tur Filius eius. Christus autem secun- « dum quod homo conceptus est de Spi- « ritu Sancto sicut de activo principio, « non tamen secundum similitudinem spe- « ciei, sicut homo nascitur de patre suo; « et ideo Christus non dicitur Filius Spi- « ritus Sancti ». Quam rationem indicaverat Rupertus in commentariis de SS. Trinitate parte III. quae est de operibus Spir. S. l. I. c. X. cuius Ruperti temporibus sub initia saeculi XII. theologica schola florere coeperat ante ipsum Sententiarum Magistrum.

Quod obiter insinuasse sufficiat contra Iansenium, qui tom. II. in libro proemiali, qui est *de Ratione, et auctoritate in rebus theologicis* cap. XXVIII. cui hunc titulum praefigit: *Quantum ab Augustini doctrina recentior theologia distet, tum rebus ipsis, tum docendi modo*, scribit: « Maxime vero ab omni spe profe- « ctus (in assequendo genuino Augustini « sensu) remotos esse, qui animo philo- « sophiae aristotelicae, vel scholasticae « recentioris praeoccupato, pelagus istud « ingressi fuerint..... » Addit « quod « recentiores isti profecto tantum ab ostio « verae theologiae, fide salva aberrave- « rint, ut neque fidem christianam, quam « animo ut catholici tenent, neque spem, « neque cupiditatem, neque caritatem, « neque naturam, neque gratiam, eam- « que neque angelorum, neque homi- « num, neque stantium, neque lapsorum « neque sufficientem, neque efficacem, « neque operantem, neque cooperantem, « neque praevenientem, neque subse- « quentem, neque excitantem, neque « adiuvantem, neque vitium, neque vir- « tutem, neque opus bonum, neque pec- « catum, neque originale, neque actua- « le, neque meritum, neque mercedem « eius, neque praemium, neque sup- « plicium creaturae rationalis, neque bea- « titudinem, neque miseriam eius, ne- « que liberum, neque servum arbitrium, « neque praedestinationem, neque effe- « ctum eius, neque timorem, neque a- « morem Dei, neque iustitiam, neque mi- « sericordiam, denique, neque vetus, ne- « que novum Testamentum intelligere vi- « deantur, sed babylonicam quamdam « confusionem, cimmeriasque quasi te- « nebras *in theologiae moralis*, (nempe « *etiam moralis*) *faciem*, nimium ratio- « cinationibus indulgendo intulisse ».

Et paulo post: « Cuius quidem aber- « rationis causa praecipua, ac pene dixe- « rim sola est, meo iudicio, ea quam di- « xi, nimia philosophia, cuius amore « quasi ebrii, neglectis Augustini monu- « mentis... arcana illa mysteria.... se- « cundum humanae rationis regulas erue- « re, penetrare, formare, et iudicare vo- « luerunt. Hinc ille ardor de quolibet dis- « putandi, quidlibet eorum in dubium « revocandi, quae iam semel definita esse « nesciebant. Hinc eorum theologia innu- « merabilium opinionum farragine refer- « ta est, per quas pene omnia quantum- « cumque contraria *facta sunt probabi- « lia, quae secundum eorum pronuntia- « ta cuilibet tueri licet*. Ita vix quidquam « certi, praeter fidem, formandarum no- « varum sententiarum promptitudo reli-

« quum fecit. Nihil enim naturalius, ac « vicinius, quam ut homines ex peripa- « teticis fiant academici ».

Brevius eadem Lutherus scripserat in confutatione rationis Latomianae sub finem. « Puto satis monstratum, theologiam « scholasticam esse aliud nihil, quam « ignorantiam veritatis, et scandalum « iuxta Scripturas positum . . . Thomas « (Aquinas) auctor est regnantis Aristo- « telis, vastatoris piae doctrinae . . . . . « *Videte ne quis vos seducat per philo- « sophiam, et inanem fallaciam* (ad « Colossens. cap. II.): hanc ego scholasti- « cam theologiam interpretor ... Meum « est consilium, ut adolescentes vitent « philosophiam, et theologiam scholasti- « cam ». Haec Lutherus.

Si qui autem ex tam malis institutoribus tam bene profecerit, ut similia in scholasticos iactet, is sibi habeat responsum ex Augustino l. II. Op. imp. contra Iul. n. 9.: « Me oportet cum talibus tua « convicia non solum patienter, verum « etiam gratulanter audire. Sed tu debes « in talibus lacerandis et humana erube- « scere, et divina iudicia formidare ».

Cap. XLI. Christus sine peccato, sed peccatum factus.

XLI. Nulla igitur voluptate carnalis concupiscentiae seminatus sive conceptus, et ideo nullum peccatum originaliter trahens, Dei quoque gratia, Verbo Patris Unigenito, non gratia Filio sed natura, in unitate personae modo mirabili et ineffabili adiunctus atque concretus, et ideo nullum peccatum et ipse committens, tamen propter similitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis: quod vere iste factus est, cuius umbrae erant illa. Hinc Apostolus cum dixisset: *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo:* continuo subiunxit, atque ait: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus iustitia Dei in ipso.* Non ait, ut in quibusdam mendosis codicibus legitur: *Is qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; tamquam pro nobis Christus ipse peccaverit, sed ait: *Eum qui non noverat peccatum*, id est Christum, *pro nobis peccatum fecit* Deus, cui reconciliandi sumus; hoc est sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari Deo valeremus. Ipse ergo peccatum, ut nos iustitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso; sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit: ut quoniam peccatum ei non inerat, ita quodammodo peccato moreretur, dum moritur carni, in qua erat similitudo peccati; et cum secundum vetustatem peccati numquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reviviscentem vitam novam sua resurrectione signaret.

Oseae IV. 8.

II. Cor. V. 20.

Cap. XLII. Baptismus datur ut moriamur et reviviscamus.

XLII. Ipsum est, quod in nobis celebratur, magnum baptismatis Sacramentum, ut quicumque ad istam pertinent gratiam, moriantur peccato, sicut ipse peccato mortuus dicitur, quia mortuus est carni, hoc est, peccati similitudini: et vivant a lavacro renascendo, sicut ipse a sepulcro resurgendo, quamlibet corporis aetatem gerant.

Cap. XLIII. In baptismo omnes mori peccato et parvulos et maiores.

XLIII. A parvulo enim recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo: sed parvuli tantum originali, maiores autem etiam iis moriuntur peccatis, quaecumque male vivendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.

Cap. XLIV. Figura qua numerus accipitur pro numero.

XLIV. Sed ideo etiam ipsi peccato mori plerumque dicuntur, cum procul dubio non uni sed multis peccatis, omnibusque moriantur, quaecumque iam propria commiserunt vel cogitatione vel locutione vel opere; quia etiam

Virg. AEn. II. v. 20.

per singularem numerum pluralis numerus significari solet: sicut ait ille, *uterumque armato milite complent;* quamvis hoc multis militibus fecerint. Et

Num. XXI, 7. sec. LXX.

in nostris litteris legitur; *Ora ergo ad Dominum, ut auferat a nobis serpentem:* non ait serpentes, quos patiebatur populus, ut hoc diceret; et innumerabilia sunt talia. Cum vero et illud originale unum plurali numero significatur, quando dicimus in peccatorum remissionem baptizari parvulos, nec dicimus in remissionem peccati; illa est e contrario locutio, qua per pluralem significatur numerus singularis. Sicut in Evangelio Herode mortuo

Matth. II. 20.

dictum est: *Mortui sunt qui quaerebant animam pueri:* non dictum est, *mor-*

Ex. XXXII. 31.

tuus est. Et in Exodo: *Fecerunt,* inquit, *sibi deos aureos,* cum unum vitulum fecerint, de quo dixerunt: *Hi sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti:* et hic pluralem ponentes pro singulari.

Cap. XLV. In primo hominis peccato plures peccati species.

XLV. Quamvis et in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, et in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se praecipitavit in mortem; et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est; et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; et avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit, appetivit: et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.

Cap. XLVI. Peccatis parentum non tantum primorum obligari filios probabile est. Ezech. XVIII.

XLVI. Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia: *Reddam peccata patrum in filios;* tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum novum incipiant pertinere. Quod Testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam illam: *Patres nostri manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt.* Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata, quae male agendo postea committuntur, possunt et poenitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio; usque adeo, ut etiam de legitimo matrimonio pro-

Psal. L. 7.

creatus dicat; *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea me in utero aluit.* Neque hic dixit: in iniquitate vel peccato, cum et hoc recte dici posset: sed iniquitates et peccata dicere maluit, quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut eo commutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata, et alia parentum, quae etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat.

Cap. XLVII. Quousque parentum peccata propagentur in filios non temere definiendum.

XLVII. Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam usque ad patrem suum progeneratoribus suis quisque succedit, non immerito disceptari potest: utrum omnium malis actibus, et multiplicatis delictis originalibus, qui nascitur implicetur, ut tanto peius, quanto posterius quisque nascatur; an propterea Deus in tertiam et quartam generationem de peccatis parentum eorum posteris comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis suae; ne

illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua aeterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium praecedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, et poenas pro eis debitas pendere: an aliud aliquid de re tanta, Scripturis sanctis diligentius perscrutatis atque tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temere affirmare non audeo.

Plura sunt in his capitibus, quibus mors Christi pro salute aeterna omnium hominum, etiam non praedestinatorum et probatur et vindicatur ab argumentis iansenianorum: plura Augustini testimonia pro catholica veritate protulere nostri scriptores: plurima habes apud eruditissimum p. de Champs de Haeresi ianseniana lib. III. tota disp. VII.: plura accuratissime selegit cl. auctor summae augustinianae par. I. qu. III. ar. 2. Satis praecipuum est ex l. VI. c. Iulianum c. IX. n. 24. ubi de Adamo, et Christo habet. *In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus*: cuius argumentationis fundamentum est illud Apostoli II. Cor. V. « *Unus* « *enim*, pergit Augustinus, *pro omni-* « *bus mortuus est, ergo omnes mortui* « *sunt, pro quibus Christus mortuus est.* « Nega igitur Christum etiam pro par- « vulis mortuum, ut eximas eos de nu- « mero mortuorum, hoc est de contagiis « peccatorum... Audis Iuliane haec Apo- « stoli verba, non mea sunt... qui de « Christo, et de his pro quibus mortuus « est Christus, mentiri potuit nullo mo- « do ». Nos paucis mutatis dicere contra Iansenium possumus: nega igitur Christum etiam pro *reprobis*, etiam *pro infidelibus* mortuum etc. Nam haec argumentatio et ratio pro omnibus concludit, cum et parvuli, et reprobi, et infideles mortui sint.

Scio unicam responsionem excogitatam a iansenianis, et quam exhibet Arnaldus Apologia I. Iansenii pag. 187. et seqq. «Augustinus non utitur his Apostoli « verbis (quemadmodum nonnulli falso « sibi persuadent) ut probet peccato ori- « ginali parvulos *omnes* esse contamina- « tos, sed tantum, ut vincat peccatum « originale in his parvulis reperiri, qui « baptizantur, quique proinde mortis « Christi participes sunt, cum ab illa « baptismus vim accipiat ». Quare sic exponunt s. Doctoris argumentationem: « s. Augustini argumentatio non est hu- « iusmodi: Christus mortuus est pro om- « nibus hominibus, igitur omnes mor- « te peccati mortui sunt: sed haec po- « tius: omnes homines, pro quibus Chri- « stus mortuus est, mortui sunt morte « peccati; at Christus mortuus est pro « parvulis, qui baptizantur; igitur par- « vuli, qui baptizantur mortui sunt « morte peccati ». Addit Arnaldus satis illud esse ad pelagianam haeresim evertendam: quia cum parvulorum omnium eadem sit conditio, inde sequitur alios quoque eodem crimine implicari.

Nota in caput XLI. ad XLVII

Ad hanc responsionem evertendam satis esset ex l. XX. de Civit. cap. VI. num. 1. pauca proferre: « De qua (impieta- « tis) morte ait Apostolus Paulus: *ergo* « *omnes mortui sunt, et pro omnibus* « *mortuus est, ut qui vivunt, iam non* « *sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus* « *est, et resurrexit*: omnes itaque mor- « tui sunt in peccatis, nemine prorsus « excepto, sive originalibus, sive etiam « voluntate additis ». Vides quomodo Augustinus exponat eam consecutionem Apostoli *ergo omnes mortui sunt?* Sic nempe « omnes itaque mortui sunt nemine prorsus excepto ». Non ergo ratiocinatio, et consequentia est de solis baptizatis.

Caeterum istam clausulam *nemine prorsus excepto* exhibent testimonia et citata et citanda, et universus ipsorum contextus, ut expendenti patebit. Inspice primum testimonium a nobis allatum ex lib. VI. c. Iul. c. IX. num. 24. *In illo uno* (Adam) *mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus.* Quis nisi pelagianus non intelligat de omnibus omnino illud primum: *in illo uno* (Adam) *mortui sunt omnes?* Quis illud limitet ad solos baptizatos? Similia per te ipsum observabis ad alia fere testimonia citanda, in quibus videas nullum habere locum eam miseram evasionem de *par-*

vulis baptizatis. Res esset plena taedii hanc observationem ad singulos fere textus exhibere.

Duo addenda videntur. Primum est : hanc argumentationem saepissime habet Augustinus, etiam in libris contra Iulianum, tum in libris Operis imperfecti contra eumdem. Hinc lib. VI. cap. XV. num. 48. « Scimus enim, ait Apostolus, « quod a nobis saepissime repetendum « est, quoniam unus pro omnibus etc.»

Alterum est: ne iansenistae eludant apostolicum hoc, atque augustinianum testimonium responsione Iuliani apud eumdem Aug. tum alias, tum l. VI. c. Iul. c. XXIV. num. 80. qui scilicet Iulianus observavit in eodem contextu vocem *omnes* accipi varia universalitate, sive modo magis, modo minus universaliter, animadverto Augustinum lib. VI. c. Iul. cap. IX. num. 27. hoc ipsum Pauli testimonium magis in specie atque in particulari aptare omnibus parvulis nondum renatis, de quibus est totus ille num. 27. Cum ergo praemisisset: « Non « habere parvulos vitam, nisi habeant « Christum (quod de omnibus parvu- « lis etiam non baptizatis verum est), « quem procul dubio habere non pos- « sunt, nisi induerint eum, eo modo, « quo scriptum est: *Quotquot in Chri- « sto baptizati estis, Christum indui- « stis*: » Tum subdit Augustinus: Me- « rito ergo intelliguntur mortui, qui non « habent vitam, pro quibus est Chri- « stus mortuus, ut habeant: *Unus enim « pro omnibus mortuus est, ergo omnes « mortui sunt* ». De omnibus ergo parvulis non habentibus vitam, cuiusmodi plures sunt praedestinati, innumeri sunt reprobi, docet Augustinus mortuum Christum, *ut habeant*. Nec praetermittenda quae subiicit: « Ideo autem mortuus est, « sicut legitur ad Hebraeos; ut per mor- « tem evacuaret eum, qui potestatem « habet mortis, idest diabolum ». Qui finis est universalis ad omnes se extendens.

Sed omissis plurimis Augustini pro hac veritate testimoniis, quae ex omnibus eius libris essent ad manum, quorum plurima habes apud auctores citatos, curandum nobis est, ut quantum per nos fieri potest, expediatur praecipua huius materiae difficultas, quae in eo sita est, ut haec concilientur cum iis Augustini testimoniis, quibus aperte docere videtur non pro salute omnium mortuum esse Christum; cuiusmodi plura congerit Iansenius tom. III. l. III. de Gratia Chr. cap. XXI. Addere potuisset ex cap. CXIX. Enchir. « *Nec tenebit regnum mortis eum, pro quo mortuus est ille liber in mortuis* ». Sciunt iansenianí et quesnellistae, haec ad speciem contraria testimonia conciliari a catholicis theologis distinctione s. Thomae tum in III. p. qu. XLIX. ar. 1. ad 3. et 4. tum in illud Pauli ad Hebr. c. II. vers. 9. *Pro omnibus gustaret mortem*. « *Pro omnibus* au- « tem, ait s. Th. dupliciter potest intel- « ligi, vel ut sit distributio accomoda, « scilicet pro omnibus praedestinatis: pro « istis enim tantum habet efficaciam; vel « absolute pro omnibus, quantum ad « sufficientiam: sufficiens enim, quan- « tum ad se, omnibus est I. Tim. IV. « *Qui Salvator est omnium hominum*, « *maxime autem fidelium* ». Sufficiens, inquam, non solum ex parte mortis, seu pretii; sed etiam ex parte seriae oblationis ipsius Christi: aliter Christus dici posset mortuus etiam pro daemonibus, pro quibus liberandis mors erat, quantum ex se, pretium sufficiens: quod animadvertit ipse Iansenius cap: citato. At dicunt iansenianí has similesque interpretationes esse a nobis confictas, nec fundamentum habere in ipsius s. Augustini libris, imo universae eius doctrinae adversari. Lege Ians. cap. citato, et saepe alibi. Huc igitur difficultas omnis revocatur, contra quam contendendum est, si quid contra iansenianos proficere volumus.

Ut ostendamus, hanc distinctionem a theologis usurpatam fundamentum habere in s. Augustino, duplicem methodum inibimus; aliam *indirectam*, aliam *directam*: indirecta haec est. Ea distinctio est ad mentem s. Prosperi strenuissimi scilicet defensoris augustinianae doctrinae de gratia; ergo est ad mentem s. Augustini, cuius sensus notior erat Prospero, quam Iansenio.

Antecedens ostenditur ex eius responsionibus ad capitula obiectionum vincentianarum. « Quidam, inquit in praef., « christianae ac fraternae caritatis obli-

« ti...contexunt, et qualibus possunt sen-
« tentiis comprehendunt ineptissimarum
« quarumdam blasphemiarum prodigio-
« sa mendacia, eaque ostendenda, et in-
« gerenda multis publice privatimque
« circumferunt, asserentes talia in no-
« stro sensu esse, qualia diabolico con-
« tinentur indiculo, quae falso in nos ad
« excitandam invidiam iactari facile et
« sufficienter subscriptione unius proba-
« remus anathematis etc. » Tum absoluta praefatione, sexdecim huiusmodi obiectiones recenset Prosper, quarum prima est. *Quod D. N. Iesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus.* Vel haec sola prima obiectio magnum est praeiudicium contra Iansenium. Cum enim series sexdecim obiectionum vocetur a s. Prospero *diabolicus indiculus*, cum vocentur *ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia*, cum se paratum scribat ad dicendum anathema iis obiectionibus, cum harum obiectionum prima sit transcripta propositio, vides quam certa erat vivente Augustino, aut paulo post eius obitum (nam ad hoc tempus pertinent istae responsiones) etiam inter Augustini discipulos doctrina contradictoria, nempe mors Christi pro omnium hominum salute. Quo nomine comprehenduntur non modo fideles, sed etiam infideles, ad quos mortem Christi non extendit Iansenius. Comprehenduntur etiam fideles reprobi, pro quorum fide, aliisque gratiis ad tempus habitis mortuum esse Christum concedit Iansenius, non vero pro eorum aeterna *salute*. Leg. Ians. lib. III. de Gr. cap. XXI.

Sed audiamus, quid ad hanc primam obiectionem vincentianam, seu ad hanc primam ineptissimam blasphemiam, et prodigiosum mendacium falso adscriptum s. Augustino respondeat s. Prosper. « Con-
« tra vulnus originalis peccati, quo in
« Adam omnium hominum corrupta et
« mortificata natura est, et unde omnium
« concupiscentiarum morbus inolevit,
« verum et potens ac singulare remedium
« est mors filii Dei D. N. I. Christi, qui
« liber a mortis debito, et solus absque
« peccato pro peccatoribus et debitoribus
« mortis est mortuus. Quod ergo ad ma-
« gnitudinem, et potentiam pretii, et quod
« ad unam pertinet causam generis hu-
« mani, Sanguis Christi redemptio est
« totius mundi. Sed qui hoc saeculum si-
« ne fide Christi, et sine regenerationis
« sacramento pertranseunt, redemptionis
« alieni sunt. Cum itaque propter unam
« omnium naturam, et unam omnium
« causam a Domino nostro in veritate su-
« sceptam recte omnes dicantur redem-
« pti, et tamen non omnes a captivita-
« te sint eruti, redemptionis proprietas
« sine dubio penes illos est de quibus
« princeps mundi missus est foras, et iam
« non vera diaboli sed membra sunt Chri-
« sti. Cuius mors non ita impensa est hu-
« mano generi, ut ad redemptionem eius
« etiam qui regenerandi non erunt, per-
« tinerent, sed ita ut quod per unicum
« exemplum gestum est, pro universis
« per singulare sacramentum celebrare-
« tur in singulis. Poculum quippe im-
« mortalitatis, quod confectum est de in-
« firmitate nostra et virtute divina, ha-
« bet quidem in se ut omnibus prosit,
« sed si non bibitur, non medetur ». Quae verba s. Prosperi exhibent pene verbis scholasticis distinctionem hac in re a theologis usurpatam.

Obiicit Iansenius lib. III. de Gr. Chr. c. XXI. Prosperum docere: « Quod Chri-
« stus dederit se pretium pro omnibus
« omnino sufficienter, quia sufficiens pre-
« tium obtulit, non tamen pro omnibus
« omnino efficienter, quia non omnibus
« applicatur ista redemptio..... » Subdit Iansenius: « Solutio ista facilis est, ex
« qua nullo modo sequitur, sufficiens
« adiutorium omnibus ex tali redemptio-
« ne omnium esse praeparatum ». Addit praeterea: quod licet haec distinctio s. Prosperi vera sit, non satisfaciat tamen verbis Pauli: « Sed quia inquit, ipsa phra-
« sis, qua quis dicitur se pro aliquo re-
« demptionem dare, praeseferre videatur
« redemptionem ex redimentis animo in
« usum ac liberationem captivorum of-
« ferri ac dirigi..... alioquin etiam pro
« daemonibus se dedisse redemptionem
« dici posset, quibus redimendis sine du-
« bio pretium sanguinis eius sufficiens
« est ». Idcirco profitetur Iansenius se hanc explicationem missam facere.

Caeterum Iansenius pervertit omnino mentem et verba s. Prosperi apologiam

pro Augustino scribentis et ex eius sententia. Nam Prosper non modo asserit mortem Christi pro omnibus, quantum ad sufficientiam pretii utcunque, sed quantum ad *sufficientiam pretii oblati* pro omnibus seria intentione illos iuvandi.

Ratio est. I. Ex ipso Iansenio. Nam mors Christi quantum ad sufficientiam pretii, fuisset pretium sufficiens ad redimendos daemones, si Deus voluisset illos damnare non definitive sed sub aliqua conditione pendente a morte Christi. Quis tamen proinde dicat Christum mortuum pro daemonibus? Quare igitur in sensu tam inepto Iansenius interpretatur apologiam Prosperi?

II. Pelagiani, qui calumniabantur Augustino, Prospero, et reliquis Augustini discipulis, ac si dicerent; quia D. N. I. Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus num solliciti erant de passione Christi pro hominibus, quantum ad sufficientiam pretii utcumque, quo pacto dici potest Passio Christi esse etiam pro daemonibus? An non unice solliciti erant de passione Christi pro omnibus in ratione pretii oblati ex seria voluntate iuvandi? Hoc calumniabantur negari ab Augustino, et discipulis. Negari ab Augustino, quod Passio Christi esset de se pretium sufficiens pro hominibus et daemonibus quis pelagianus somniavit?

III. Quam ineptam igitur apologiam scripsisset s. Prosper pro Augustino eiusque discipulis contra pelagianos aut semipelagianos? Istis enim invidiosissime clamantibus, et conquerentibus de negata per Augustinum Passione Christi pro omnium hominum salute, respondisset s. Prosper totum re ipsa concedendo. Nam de Passione Christi pro hominibus eo sensu, quo etiam est pro daemonibus, quis curabat?

IV. Tandem apertissimam violentiam facit Iansenius verbis s. Prosperi non modo pretium mortis Christi, sed pretium *pro* hominibus, et ipsorum salute praeseferentibus. Hinc illa: « *Pro peccatoribus et debitoribus est mortuus: quod ad unam causam pertinet generis humani* »: idest propter unam causam, seu corruptionem et perditionem generis humani tollendam: *propter unam omnium causam susceptam* idest propter unam omnium salutem: *mors ita impensa humano generi* idest non solum potuisset impendi, si Deus voluisset, sicut etiam daemonibus, sed re ipsa impensa est humano generi: *habet in se, ut omnibus prosit*, non inquit, ut prodesse posset, si Deus voluisset; quod velle poterat, etiam pro daemonibus; *habet in se, ut omnibus prosit*, idest quantum est de se ex parte Christi. Hoc uno, et obvio sensu erant haec omnia apta ad pelagianos, aut semipelagianos refellendos.

Caeterum etiam sola illa verba: *magnitudinem, et potentiam pretii*, rem conficiunt. Nam pecunia secundum se non dicitur pretium, sed ut substat voluntati, eam dantis vel offerentis pro re aliqua seria intentione emenda etc. Qui dat pecuniam pro agro, dicitur dare pro illo pretium, non vero dare pretium pro domo, quae in contractum non deducitur, quamvis pecunia pro agro de se esset sufficiens ad emptionem domus. Cum ergo s. Prosper respondens ex sententia Augustini dicit: *quod ad magnitudinem, et potentiam pretii ..... Sanguis Christi est redemptio totius Mundi*; magnitudo, et potentia pretii, correlativa sunt ad seriam Christi intentionem, qua sanguinem suum pro omnibus obtulit.

Eadem docet s. Prosper ad obiectionem IX. ex capitulis calumniantium gallorum, quae verba similiter pervertit Iansenius loc. cit.

Atque hactenus de methodo, quam diximus, *indirectam*. Iam vero methodus *directa* erit ostendere, quod in ipsis s. Augustini libris contineatur distinctio illa theologorum, quam ianseniani oppugnant.

Dico eam theologorum scholasticorum distinctionem de morte Christi pro omnibus, quantum ad sufficientiam pretii seria intentione oblati, pro electis vero quantum ad efficaciam, contineri in s. Augustino sub triplici verborum forma, quae scholasticae distinctioni apprime respondet.

Assero I. Theologicam distinctionem de morte Christi pro omnibus, quantum ad sufficientiam pretii seria intentione oblati, pro electis vero quantum ad efficaciam tradit sub aliis aequivalentibus

verbis Augustinus in his Enchiridii capitibus, quibus consonant alia s. Augustini testimonia.

Nam cap. XLI. Enchir. de Christo. « Dictus est et ipse peccatum sacrificandus « ad diluenda peccata ». Haec verba idem significant, ac sufficientiam tum ex parte sacrificii, tum ex parte sacrificantis, et offerentis. Id ipsum declarat similitudo, qua utitur. Addit enim: « In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia « pro peccatis, quod vere iste factus est, « cuius umbrae erant illa ». Certum est autem, quod ea vocabantur sacrificia pro peccatis, non quia semper in actu secundo efficaciam haberent, sed quia et ex parte offerentis eiusque intentionis, et ex parte victimae sufficientem aptitudinem habebant. Pergit Augustinus: « hinc Apostolus ..... ait: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus iustitia Dei in ipso* ». Quae verba Apostoli sic Augustinus interpretatur: *Eum qui non noverat peccatum*, « *idest Christum, pro nobis peccatum* « *fecit Deus*, cui reconciliandi sumus, « hoc est sacrificium pro peccatis, per « quod reconciliari valeremus ». Non ait, per *quod reconciliamur*, licet et hoc verissimum sit, et plurimis in locis ab Augustino doceatur, et pertineat ad efficaciam in actu secundo. Aliam hoc in loco veritatem praeterea docuit, nempe sufficientiam actus primi: *per quod*, inquit, *reconciliari valeremus*. Quod ergo dixerat Apostolus: « *ut simus iustitia Dei in ipso* » quae prima fronte sonare videntur *actum secundum*, sive actualem iustificationem, Augustinus universalius interpretatur: *Per quod reconciliari valeremus*: quae etiam ad non reconciliatos extendi possunt, et actus primi sufficientiam significant. Quae eadem sufficientia actus primi in sacrificiis veteribus reperiebatur, et saepe seiuncta ab efficacia actus secundi. Eamdem sufficientiam significant eae voces: *cui reconciliandi sumus*: neque enim significant reconciliationem absolute futuram, nam alloquitur omnes generatim, adeoque bonos et malos, electos et reprobos: sed possibilem ex parte sacrificantis, et sacrificii nisi per nos steterit; quo sensu non aliqui tantum, sed omnes homines reconciliandi dicuntur, nec daemones dici possunt reconciliandi. De efficacia autem mortis Christi in actu secundo innumera sunt in Augustino, cuiusmodi est in Enchir. c. LI. « Ex Adam neminem natum, nisi damna« tione detineri, et neminem nisi in Chri« sto renatum *a damnatione liberari*.

His consonant alia similia in reliquis Augustini libris. Nam lib. I. c. Iul. c. V. num. 33. docet cum Chrysostomo, quem citat: *Christus iis, qui ex ipso sunt, tametsi nihil iuste egerint*, (uti sunt parvuli) *factus est provisor iustitiae* (en efficacia actus secundi) *quam per crucem omnibus condonavit*. En donum generale per sufficientiam actus primi: ubi notanda vis discretivae propositionis qua discernitur inter *eos*, et *omnes*; quam iustitiam *omnibus* per crucem donavit (quod pertinet ad sufficientiam actus primi), eam re ipsa *iis* parvulis baptizatis, et non habentibus opera propria iusta providit, quod pertinet ad efficaciam actus secundi. Lib. I. c. Iul. cap. X. n. 23. « Qui « ergo generatur in Adam, regenerandus « in Christo, mortuus in Adam, vivifi« candus in Christo, ideo peccato est ob« strictus originis, quia de malo nascitur « etc. » Illae voces *regenerandus*, *vivificandus* in Christo, quae tribuuntur singulis nascentibus ex Adamo, correlativae sunt ad Christum, qui se omnibus dedit ad regenerationem et vitam: quare de universa humana natura, quam late patet, et humanis miseriis subiacet, ait lib. III. cap. III. n. 9. « Natura ista in tan« tas, ac tam manifestas collapsa miserias « salvatorem, liberatorem, mundatorem, « redemptorem Christum habet necessa« rium, non Iulianum, non Coelestium, « non Pelagium laudatorem ».

Sed manifestissimum est caput XXV. lib. III. ubi Iulianus pelagianus, et Augustinus conveniunt in hanc veritatem de morte Christi, quoad sufficientiam pro omnibus parvulis. Numero enim 58. inducitur Iulianus Augustinum redarguens quod: *parvulos, qui mundum impleverunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus, et de morbo natos, et ab exordio reos definierit*. Respondet Augustinus. « Parvuli opus diaboli substan« tialiter non sunt, sed opere diaboli ori« ginaliter rei sunt. Et ideo Christus,

« quod *et ipse confiteris*, etiam pro par-
« vulis mortuus est, quia et ad ipsos per-
« tinet sanguis, qui in remissionem fusus
« est peccatorum, a quo illos sanguine
« facitis alienos, cum eos negatis trahere
« originale peccatum ». Tum post pauca concludit: « exordium vero parvulorum,
« ex quo nascerentur, in Adam fuit, quo
« per peccatum vitiato atque damnato,
« alterum eis Christus, ex quo renasce-
« rentur, instituit ».

Nemo dubitaverit, quod Iulianus pelagianus, et fautores reliqui non agnoscerent Christum universaliter omnino fuisse mortuum pro omnibus non modo adultis, sed etiam parvulis, ut non modo vitam aeternam, sed Christi regnum acquirerent. Hoc ipso in loco clare dicit Christum mortuum pro parvulis, qui mundum impleverunt, iisdemque parvulis, quos Augustinus definiebat ex morbo natos, et reos ab exordio, cuiusmodi erant omnes parvuli nullo excepto. Augustinus autem dicit idem se in hoc fateri cum ipso Iuliano « ideo Christus, *quod et ipse con-*
« *fiteris*, etiam pro parvulis mortuus.. » quasi diceret: in hoc et ipse, et ego idem fatemur. Addit s. Doctor, et uberius declarat modum, quo mortuus est: « quia
« et ad ipsos pertinet Sanguis, qui in re-
« missionem fusus est peccatorum ». In quibus verbis indicatur non modo sufficientia, quantum ad mortem, et sanguinem, condignum scilicet pretium pro omnibus parvulis redimendis, sed etiam quantum ad seriam oblationem ex intentione morientis Christi et sanguinem fundentis: neque enim de daemonibus diceret Augustinus, et mortuum pro iis esse Christum, et ad ipsos pertinere sanguinem fusum in remissionem peccatorum. Licet enim mors par esset iis redimendis, non id tamen Christus intendit, neque ad eum finem ex seria intentione obtulit mortem. Quod Iulianus cum pelagianis non utcumque dicerent Christum mortuum pro parvulis omnibus, sed seria voluntate et quantum est ex se efficaci, non ignorabat Augustinus, cum potius sciret eos in hoc excedere, quum docerent omnia pendere etiam a naturalibus dispositionibus, etiam praevisis, de quo excessu non erat hic disputandi locus. Sed quod attinet ad mortem pro omnibus prorsus consentit nullumque dissensum indicat. Ingerit praeterea Iuliano tamquam absurdum, quod ipse et pelagiani singulos distributive parvulos *faciant alienos a Christi Sanguine*, *cum eos* (utique singulos distributive) *negant trahere originale peccatum*: quod certe de omnibus negabant: nullus itaque parvulus ex Augustino alienus est a Christi Sanguine. Tandem seriam intentionem Christi, et ex parte ipsius fructuosam declarant ea, quae sequuntur: « exordium parvulorum....
« alterum eis Christus, ex quo renasce-
« rentur, instituit ». Quod relate ad omnes dictum est, nempe ad natos ex Adam, quod omnes sunt, et omnibus convenit.

Hoc idem argumentum urget lib. VI. c. Iulianum cap. IV. num. 8. « Dixisti,
« inquit Augustinus, Christum etiam pro
« parvulis mortuum ». Iam vero omnes, et singuli, pro quibus mortuus est Christus, peccatores sunt; igitur omnes, et singuli parvuli peccatores. Lege totum hoc argumentum eloquentissime pertractatum ibidem, et in sequentibus ab Augustino.
« Impingo, inculco, infercio recusanti:
« accipe, salubre est, nolo moriaris.
« *Unus pro omnibus mortuus est*, *ergo*
« *omnes mortui sunt*. Vide quia conse-
« quens esse voluit, ut intelligantur *omnes*
« *mortui*, *si pro omnibus mortuus est*...
« Tu autem iam in primo tuo libro con-
« tra nos clamans dixisti, Christum etiam
« pro parvulis mortuum: nullo modo
« igitur negare permitteris eos trahere ori-
« ginale peccatum: nam mortui unde, si
« non inde? » Vides quantum roboris in hac argumentatione constituat Augustinus, quae tota pendet ex ea *omnino universali* propositione, in qua et Iulianus cum pelagianis, et Augustinus cum catholicis conveniebant. Si eam propositionem intelligas sub distributione accommoda, et pro generibus singulorum, non pro singulis generum, tota ratiocinatio inepta est ad evincendum in singulis parvulis originale peccatum. Quare iterum iterumque id inculcat Augustinus. « Propter
« quam mortem, inquit, parvulorum
« mortuus est, qui non est mortuus, nisi
« pro mortuis? Eumque tu mortuum pro
« parvulis confiteris: redi ergo mecum
« etc. ».

Saepe alias Augustinus utitur eadem

argumentatione, ut in libris Operis imperfecti c. Iul. quos sub mortem scripsit, idoneos utique testes s. Doctoris in eadem sententia perseverantis. Vide lib. II. n. 133., et 134., et num. 138., et iterum num. 162., ubi Iuliano usurpanti illud Apostoli : *traditus est propter delicta nostra :* respondet Augustinus. « Ab hac « gratia separatis parvulos, quos nullum « delictum ex origine tractum habere « contenditis ». Agere hic Augustinum de omnibus in suppositione distributiva completa non est dubium. Hanc enim universalitatem peccati originalis, et August. et fides docet secundum Tridentinum: iam audi, quid inferat». Unde sit « consequens, ut non ad eos pertineat be- « neficium , quo propter delicta nostra « est traditus Christus. Et haec sentien- « tes, et dogmatizantes christianos catho- « licos vos dicere audetis ? » Lege eamdem argumentationem lib. eodem n. 169., et 171., et 172., et 175., ubi Iuliano dicente : *Omnes pro multis poni innumera scripturarum exempla testantur;* copiose respondet Augustinus; tum probans in re praesenti perfectam universalitatem admitti debere, sic ait: Hinc te exue, si po- « tes, *quod unus pro omnibus mortuus est,* « et aude dicere non omnes mortuos, pro « quibus mortuus est Christus, cum sta- « tim tibi Apostolus fauces premat , et « opprimat audacissimam vocem , quid « sequeretur ostendens , et dicens : *Ergo* « *omnes mortui sunt.* Noli sic laudare Apo- « stolum , noli sic exponere, ut nolis au- « dire: *Si unus pro omnibus mortuus est,* « *ergo omnes mortui sunt...* Ibi sunt et parvuli, (utique omnes omnino distributive , hoc enim volebat cum catholicis Augustinus, et non contentus erat accommoda distributione), quia pro ipsis Chri- « stus mortuus est , qui propterea pro « omnibus mortuus est, quia omnes mor- « tui sunt. Quidquid argumenteris, quid- « quid tergiverseris , quidquid apostoli- « corum verborum coneris evertere sive « pervertere , a morte , quae in peccato « est , parvulos non ostendis immunes , « quia et pro eis Christum mortuum ne- « gare non audes ». Quam propositionem Augustino, et Iuliano communem in plerisque locis citatis contra Iulianum ingerit Augustinus.

Iam ut huic argumentationi maior etiam, si fieri potest, accedat evidentia, duo consideranda sunt: unum ex parte Augustini , alterum ex parte Iuliani. A primo ordiamur. Si Augustinus eam apostolicam propositionem : *unus pro omnibus mortuus est:* intellexisset in sensu Iansenii lib. III. de Gr. Chr. cap. XXI. *accomoda distributione* , hoc est, ait ibidem Iansenius, *pro universa sua Ecclesia toto orbe dispersa, et consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus , privatis , nobilibus, ignobilibus, itemque pro omnibus, hoc est pro hominibus omnium nationum, linguarum , gentium, iudaeis videlicet, et gentilibus , ex quibus congregatur universus populus Dei ,* si inquam , ita intellexisset Augustinus , proculdubio eius argumentatio contra Iulianum, ut saepe indicavimus, inanis fuisset, nulliusque roboris , nempe haec: Christus est mortuus pro omnibus distributione accommoda, ergo omnes mortui sunt, idque non solum in distributione accommoda sive pro generibus singulorum, sed etiam in distributione omnino completa, et pro singulis generum. Quid magis inefficax hac argumentandi forma? ac praecipue contra Iulianum , qui non in disparata aliqua controversia , sed in hac eadem, non agens de aliis Pauli testimoniis, sed de his ipsis hoc contendebat, ut *omnes mortui sunt* intelligeretur in accommoda distributione, idest *omnes* pro *multis.*

Ita passim Iulianus, idque prae oculis habebat Augustinus. Nam cum, ut ex plurimis unum seligam , l. II. Oper. imp. c. Iul. num. 135. Augustinus ad ea Pauli verba: *In Adam omnes moriuntur:* de more argumentatus fuisset n. 134. « Ibi videbis, et parvulos, quia et pro « ipsis etiam , te confitente, mortuus est « Christus: utique cum dixisset Aposto- « lus , quia unus pro omnibus mortuus « est , continuo quid necessario sequere- « tur ostendit dicens ; ergo omnes mortui « sunt , et pro omnibus mortuus est ». Iam Augustinus statim num. 135. obiicit sibi verba Iuliani: *Apostolus ad Scripturarum nos morem remittit, ut intelligamus omnes dici solere pro multis.* Hanc Iuliani responsionem , ac distinctionem , quae basis erat pelagiani systematis , ite-

rum sibi ex verbis Iuliani obiicit in sequentibus, nempe num. 145., et 147., 148., et 149. Quibus nihil obstantibus Augustinus repetit num. 169. consuetam suam argumentationem: «Pro impiis, in« quit, mortuus est: ut autem, et ipse « alibi confessus es, etiam pro parvulis « mortuus est, et tamen, (pergit Augu« stinus contra Iulianum), qua fronte « nescio, transiisse in eos originaliter im« pietatem primi hominis negas? Quo« modo ergo pertinent ad eum, qui pro « impiis mortuus est? » In quibus en tota absurditas, quam ingerit in Iulianum — Fateris pro omnibus omnino parvulis mortuum Christum, et tamen negas omnes omnino illos mortuos — Iterum autem sibi Augustinus opponit consuetam ex verbis Iuliani distinctionem, ut patet numer. 173., et 176., etc.

Revocemus itaque ratiocinationem nostram ad dilemma ex hypotesi iansenianа, quod Augustinus intelligeret verba Apostoli, *Christus pro omnibus mortuus est*, ex quibus infert ergo omnes mortui sunt: illa inquam *pro omnibus mortuus*, intelligeret de omnibus in accommoda tantum distributione: Augustinus Iulianum sic impugnans — Christus pro omnibus mortuus est (in distributione scilicet accommoda) ergo omnes mortui sunt (etiam parvuli in distributione scilicet omnino completa), vel non intellexit formam hanc argumentandi invalidam esse et ineptam, vel intellexit, sed ad impugnandum Iulianum et catholicos defendendos usus est hac ratiocinatione quantumvis sibi falsa ac sophistica.

Si primum dicas, maxime iniurius eris in Doctorem ingeniosissimum Augustinum, et favebis Iuliano, qui Augustini ingenium, scripsit *obtusius esse pistillo*: ita lib. II. Op. imperf. c. Iul. ipse Augustinus iocose refert num. 117., et 159.

Si alterum dicas, iniurius eris in Doctorem sanctissimum. Quid enim magis alienum a catholici doctoris et episcopi sanctitate, quam ut argumentationem sibi sophisticam usurpet, idque tam saepe, tantaque verborum gravitate, ut ex vi huius argumentationis ita in Iulianum et socios concludat lib. II. Op. imp. num. 162. *Et haec sentientes, et dogmatizantes christianos catholicos vos dicere audetis?* Et n. 175. *Aude dicere, non omnes mortuos, pro quibus mortuus est Christus, cum statim tibi Apostolus fauces premat, et opprimat audacissimam vocem, quid sequeretur ostendens, et dicens, ergo omnes mortui sunt.*

Iam aliud consideremus ex parte Iuliani, in quo, si Iansenii doctrinam sequamur de mente Augustini, aliquid admittere debemus, quod fidem omnem superat. Premebatur Iulianus argumento Augustini toties repetito; *Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, ideoque etiam parvuli, in quibus alia mors esse nequit, quam per originale peccatum. Quid facilius Iuliano, quam respondere per distinctionem consequentis: ergo omnes mortui sunt in distributione accommoda, et usurpando *omnes* pro *multis* concedo; in distributione omnino completa nego. Tu ipse, Augustine, ita intelligis antecedens enthimematis: *Christus pro omnibus mortuus est;* pro omnibus in distributione accommoda, idest pro multis, et mihi indignaris, quod eadem interpretatione intelligam consequens? quod si iure ita intelligam, actum est de tuo enthimemate. Tum antecedens, tum consequens propositio est utraque universalis, utraque apostolica; cumque tu cum tuis intelligas propositionem antecedentem in distributione accommoda, in me tot ac tanta iactas, quod eodem sensu intelligam consequentis propositionem? Miraris *me ista sentientem, ac dogmatizantem christianum catholicum* dici (lib. I. Op. imp. num. 142.), accusas *perversitatem haeresis meae* (n. 166.), *me sine fronte, et tortuosissime garrientem* vocas (num. 169., et 176.), appellas *grossum dialecticum, calumniosum, linguosum, insanum, contentiosum* (num. 159., 202., 222., 224.) tandem, ut innumera omittam, *meum vaniloquium irrides*, quod *per meam dialecticam gentes omnes non pro omnibus, sed pro multis, quae omnes non sunt, positas, atque intelligendas* putaverim; (ita num. 145.); et alibi in hunc modum exprobras ». Tu autem, « quos Apostolus dixit *omnes*, non po« tuisti, nisi contradicendo exponere, et « dicendo, *non sunt omnes* »: neque alia de causa, tam a te acerbe, vehementer-

que accusor, quod in consequente exponendo id faciam, quod tu in antecedente interpretando faciendum esse, et doces, et docuisti.

Haec Iuliano fuisset obvia responsio, atque ad manum: cum Iulianus saepissime oneret Augustinum falsis, et invidiosissimis opinionibus, ut passim legere est in sex libris c. Iul., et aliis sex Operis imperfecti, putabimus futurum fuisse, ut abstineret Iulianus ab ea, quam diximus, redargutione, quae verissima et ineluctabilis esset in hypothesi ianseniana? Cum Iulianus ad fulciendam suam illam interpretationem, quae usurpat *omnes* pro *multis*, corradat quaecumque potest contra Augustinum ex Scripturis testimonia, ut videre est lib. II. Op. imp. c. Iul. num. 135., et 175., putabimus futurum fuisse, ut exemplum tam causae proximum ab adversario suo Augustino usurpatum praetermitteret? Eoque magis, quod testimonia citata a iansenianis de morte Christi pro omnibus in distributione accommoda plurima sunt, et maxime obvia in libris Augustini.

Quare colligendum est mortem Christi pro omnibus, et pelagianis cum Iuliano, et catholicis cum Augustino fuisse ea aetate incontroversam, neque ea testimonia Augustini, quae pro se ianseniani citant, alicui in mentem venisse, ut ea quemadmodum ipsi faciunt, interpretaretur. Quod confirmari potest ex responsionibus Prosperi pro Augustino ad capitula calumniantium Gallorum; neque enim ea capitula a calumniantibus dicebantur totidem verbis esse in Augustino, sed contineri seu consequi ex eius doctrina. Obiectio autem IX. est: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus*. Quod Galli calumniantes non obiecissent tamquam absurdum, si in communi eius aetatis existimatione non fuisset absurdum, imo potius si, ut Iansenius vult, fuisset communis et certa catholicorum doctrina.

Assero II. Eamdem theologicam distinctionem contineri in libro VI. c. Iulianum, ubi etiam eam theologorum doctrinam de morte Christi omnibus sufficienti, pluribus efficaci, satis significari censemus. Est autem illud ipsum caput XV., unde Iansenius lib. III. de Gr. Chr. cap. XXI. nonnulla contra nos obiicit, tacitis aliis, atque dissimulatis; quare patebit tam infelici consilio nobis a Iansenio Augustinum obiici, quam a Iuliano fuit olim obiectus Chrysostomus Augustino, cum quo proinde lib. I. c. Iul. cap. VI. num. 26., et nos contra Iansenium usurpabimus, quod ipse contra Iulianum; « Ut quid inde verba quaelibet in« seruisti operi tuo? An forte ut nos to« tum legere commoneres, et invenire « unde tuas deprehenderemus et convin« ceremus insidias?

Itaque lib. VI. cap. XV. num. 48. haec habet, quae praemitti necesse est: « Propter hoc enim vinculum, quod con« nectitur ex primo Adam, nec solvi po« test nisi in secundo Adam, propter hoc « inquam vinculum mortis mortui repe« riuntur infantes, (utique omnes distribu« tive infantes) non ista morte notissima, « quae a corpore hominem separat, sed « ea morte, qua tenebantur omnes, pro « quibus (nempe iisdem omnibus) *mor« tuus est Christus* ». Et tamen ut verum est, et saepe dicunt tum Iulianus tum Augustinus, inter eos parvulos innumeri sunt a regno coelorum exclusi, nempe quotquot sine baptismo decedunt. Pergit Augustinus, et eamdem mortem pro omnibus inculcat: « Scimus enim, ait Apo« stolus, quod a nobis (scribit Augusti« nus) saepissime repetendum est, quo« niam *unus pro omnibus mortuus est*, « *ergo omnes mortui sunt, et pro omni« bus mortuus est* »: quae voces ita generalitatem mortis Christi pro omnibus omnino, praecipue parvulis, hoc loco declarant, ut quae sequuntur etiam sinceram Christi intentionem in oblatione mortis pro omnibus, quotquot per originale peccatum moriuntur, significent. Subdit enim « pro omnibus mortuus est, « ut qui vivunt, iam non sibi vivant, « sed ei, qui pro omnibus mortuus est, « et resurrexit ».

Iam illa consequuntur, quae Iansenius obiicit: « Illi ergo vivunt, pro quibus, ut « vivant, mortuus est, qui vivebat: quod « apertius ita dicitur: illi sunt a mortis « vinculo liberi, pro quibus mortuus est « inter mortuos liber: vel sic multo aper« tius: illi sunt liberati a peccato, pro « quibus mortuus est, qui nunquam fue-

« rat in peccato ». *Per quae significat*, inquit Iansenius lib. III. de Gr. Chr. cap. XXI. pag. mihi 387., *fieri nullo modo posse, ut Christus pro aliquo mortuus sit, ut vivat, quin ille vitam assequatur.* Respondeo: locutionem positivam esse s. Augustini, sed exclusivam esse Iansenii. *Qui vivunt regenerati pro iis, ut vivant, mortuus est Christus*: haec est veritas positiva, et augustiniana: *Qui autem non vivunt, pro iis, ut vivant*, non *est mortuus Christus:* haec est falsitas exclusiva, sed ianseniana, cum oppositum constet ex immediate antecedentibus verbis, quibus ex universalitate mortis Christi pro omnibus colligit universalitatem peccati originalis in omnibus omnino. Quid autem magis ineptum esset, quam ex universalitate mortis Christi pro omnibus distributione accommoda, et pro generibus singulorum inferre universalitatem originalis in omnibus sumptis in suppositione omnino completa? Igitur in antecedentibus verbis locutus Augustinus fuit de morte pro omnibus quantum ad sufficientiam, in sequentibus autem verbis de iis agit, in quibus mors fuit non modo sufficiens sed etiam efficax. Nam quoniam Iulianus, et pelagiani dicebant teste Aug. lib. VI. c. Iul. cap. XXIV. n. 81. *Salvi erunt aliqui sine Christo, iustificantur aliqui sine Christo:* infert Augustinus, *ergo Christus gratis mortuus est:* « Erat enim, et alius modus, sicut « vultis, in natura, in libero arbitrio, in « lege naturali, sive conscripta, quo pos- « sent salvi, et iusti esse, si vellent », nempe voluntate non accepta per Christum. Ex hoc testimonio Augustini, quod Iansenius aliique non attenderunt, constat, quare s. Doctor pugnet pro hac veritate respiciente efficaciam mortis Christi in actu secundo, ita ut quotquot re ipsa vivificantur, non nisi per Christum vivificentur.

His praemissis proferimus testimonium, quo sub alia forma traditur re ipsa distinctio theologorum de Christi morte, quoad sufficientiam, et quoad efficaciam. Subdit itaque Augustinus lib. VI. c. XV. n. 48.: « Et cum semel sit mortuus, ta- « men pro unoquoque tunc moritur, « quando in eius morte, quantaelibet « aetatis fuerit, baptizatur, idest tunc ei « proderit mors eius, qui fuit sine pec- « cato, quando in eius morte baptizatus « mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui « mortuus fuerat in peccato ». Habes claram distinctionem inter mortem Christi, qua *semel* pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt vita temporali ex Adam iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et mortem Christi, qua *pro unoquoque moritur*, cum baptizatur, ita ut ei prosit mors eius. Quod exempli causa dictum est de iustificatione per baptismum, idem autem servata proportione valet in iustificatione per poenitentiam, et denique quotiescumque meritum mortis Christi communicatur. Mors itaque priori sensu est mors quoad sufficientiam pro omnibus, posteriori sensu est mors quoad efficaciam pro multis.

Assero III. Eamdem theologicam distinctionem de morte Christi complectitur Augustini epist. ad Evodium CLXIX. al. CII. Haec illa ipsa est epistola, ex qua Iansenius l. III. de Gr. Chr. cap. XXI. intorquet in catholicos celebre illud testimonium Augustini: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus:* quod spectato toto contextu ita intelligendum esse contendo: non perit unus ex illis, pro quibus in *cruce Christi gloriantibus, et ab eadem via non recedentibus* mortuus est Christus: quo sensu tam non in nos quidquam valet, ut potius multum valeat in iansenistas.

Sed contextus spectandus est: quaesierat Evodius episcopus ab Augustino plura difficiliora, tum de Trinitate, tum de Columba, in qua Spiritus Sanctus demonstratus est, tum de aliis, quae solum in genere indicat Augustinus cap. IV. num. 12. Quaesierat autem, ac si illa essent ad salutem necessaria, cum scriptum sit I. Cor. XIV. 38. *Qui ignorat, ignorabitur.* Nimium huius episcopi in opinando rigorem refellendum sibi suscipit Augustinus c. I. n. 2: « Non enim, « ut scribis qui *ignorat, ignorabitur,* de « hac re dixit Apostolus, tamquam ista « poena ille plectendus sit, qui non valet « intelligendo sic discernere ineffabilem « Trinitatis unitatem sicut discernitur in « animo nostro memoria, intellectus, et « voluntas. Aliunde hoc dicebat Aposto- « lus ». Idque Augustinus probat nume-

ris 2. et 3. Tum etiam numero 4. in quo sic habet. « Nam si propter eos solos Chri-
« stus mortuus est, qui certa intelligentia
« possint ista discernere, pene frustra in
« Ecclesia laboramus. Si autem, quod
« veritas habet, infirmi populi creden-
« tium ad medicum currunt sanandi per
« Christum, et hunc Crucifixum, ut ubi
« superabundavit peccatum superabun-
« det gratia, miris fit modis per altitudi-
« nem divitiarum sapientiae, et scientiae
« Dei, et per inscrutabilia iudicia eius,
« ut et nonnulli a corporibus incorporea
« discernentes, cum sibi ex hoc magni vi-
« dentur, et irrident stultitiam praedica-
« tionis, qua salvi fiunt credentes, ab
« unica via longe exerrent, quae ad vi-
« tam aeternam sola perducit, et multi
« in cruce Christi gloriantes, et ab eadem
« via non recedentes, etiamsi ista, quae
« subtilissime disseruntur, ignorant, *quia*
« *non perit unus ex illis*, *pro quibus*
« *mortuus est*, ad eamdem perveniant
« aeternitatem ».

Haec est autem Augustini doctrina : si propter peritiores, et subtiliores tantum mortuus est Chistus, pene frustra in Ecclesia laboramus, cum ii sint minimo numero. Addit verum esse potius hoc aliud, quod scilicet multitudo infirmorum, et imperitorum populorum credentium *currat ad Christum*. Cum autem haec multitudo dicitur sananda *per Christum Crucifixum*, tamquam per medicum, ut ubi abundavit delictum superabundet gratia, iam hoc ipso proponitur nobis ab Augustino Christus, tamquam *communis* credentium populorum medicus, et infra proponitur tamquam *communis* via volentibus per illam ambulare. Quae omnia, quid aliud sonant, quam Christum pro omnibus christianis crucifixum, in quibus christianorum populis non solos praedestinatos, sed et reprobos reperiri certum est?

Pergit Augustinus, ac docet inde fieri, ut sapientes huius mundi exerrent a Christo, et via salutis. « At multi in cruce
« Christi gloriantes, et ab eadem via non
« recedentes, etiam si ista, quae subtilis-
« sime disseruntur, ignorant, quia non
« perit unus ex illis, pro quibus (ita scilicet in cruce Christi gloriantibus, et ab eadem via non recedentibus, etiamsi subtiliora ignorantibus) mortuus est,
« ad eamdem perveniant aeternitatem ». Mors haec est illa ipsa, quam theologi efficaciam mortis Christi dicimus. Si hoc pacto Augustinum intelligas, Evodius ab Augustino optime revincitur, ut patet, ostenditurque eos ignorandos a Christo, qui ignorant ea, quae aedificant fidem, vel mores multorum, non autem subtiliorem scientiam etiam theologicam.

Sin autem intelligas eam propositionem sensu iansenianо, ea causalis adducta ab Augustino, *quia non perit unus ex illis*, *pro quibus mortuus est Christus*, nihil omnino facit ad revincendum Evodium, eosque, qui cum illo sentiebant, subtiliorem scientiam Trinitatis aliarumque rerum evangelicarum necessariam esse ad salutem. Reposuisset enim Evodius cum suis, ne unum quidem perire ex illis, pro quibus mortuus est Christus. Sed in hoc numero non esse fideles imperitos in sacra scientia, cum scriptum sit, *qui ignorat*, *ignorabitur*. Vides illam Augustini causalem ineptissimam fore?

Sensum Augustini uberius declarat sermo CCCXLIV. al. XXXI. ex sirmondianis. Ita enim num. 4. « Adiutorium tuum
« vide. Redemit te a barbaris argentum
« tuum, redemit te a prima morte pecunia
« tua, redemit te a secunda morte sanguis
« Domini tui. Habuit ille sanguinem unde
« nos redimeret, et ad hoc accepit san-
« guinem, ut esset, quem pro nobis redi-
« mendis effunderet ». Huc usque est mors quantum ad sufficientiam. Pergit Augustinus. « Sanguis Domini tui, si vis, datus
« est pro te, si nolueris esse, non est datus
« pro te ». In quibus paucis verbis priora affirmant mortem, quantum ad efficaciam in bonum volentium, et posteriora negant mortem quantum ad efficaciam in malum nolentium. Tum sequuntur haec alia. « Forte enim dicis. Habuit sangui-
« nem Deus meus, quo me redimeret, sed
« iam cum passus est, totum dedit; quid
« illi remansit, quod det et pro me? Hoc
« est magnum, quia semel dedit, et pro
« omnibus dedit ». Observa quod Augustinus distinxerat homines in classes duas, volentes, et nolentes, et statim addit: *semel dedit, et pro omnibus dedit*. Num clarius exprimere poterat Augustinus Christum dedisse pro omnibus, et volentibus,

et nolentibus, et praedestinatis, et reprobis? Tandem concludit. « Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium ».

Constat itaque de Augustini sensu. Christus mortuus est speciali quodam modo pro volentibus, in cruce Christi gloriantibus, et a Christi via non recedentibus. Ista est mors quantum ad efficaciam. Pro reliquis non est datus in salutem, si nolunt, et datus est in supplicium. Haec omnia eo recidunt, ut significent mortem Christi, quantum ad sufficientiam pro omnibus. Vide paulo infra cap. XLIX. in fine: *ut unus peccatum tolleret mundi etc.* Quibus consonat s. Prosper in responsionibus pro s. Augustino ad capitula calumniantium gallorum obiectione IX. « Ut possit secundum hoc dici Redemptor mundi, dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit ».

Cap. XLVIII. Peccatum originale non aboletur nisi per Christum.

XLVIII. Illud tamen unum peccatum, quod tam magnum in loco et habitu tantae felicitatis admissum est, ut in uno homine originaliter, atque (ut ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur, non solvitur ac diluitur, nisi per unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum, qui solus potuit ita nasci, ut ei non opus esset renasci.

Cap. XLIX. Baptismo Ioannis non fiebat regeneratio. Matt. III. 13.

XLIX. Non enim renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, a quo et ipse baptizatus est Christus: sed quodam praecursorio illius ministerio, qui dicebat: *Parate viam Domino.* Huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Ioannis, verum etiam in Spiritu Sancto; ut de illo spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus generatus regeneratione non eguit. Unde vox illa Patris, quae super baptizatum facta est: *Ego hodie genui te:* non unum illum temporis diem, quo baptizatus est, sed immutabilis aeternitatis ostendit, ut illum hominem ad Unigeniti personam pertinere monstraret. Ubi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est. In aqua ergo baptizari voluit a Ioanne, non ut eius iniquitas ulla diluueretur, sed ut magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus quod ablueret, sicut mors nihil, quod puniret, invenit: ut diabolus veritate iustitiae, non violentia potestatis oppressus et victus, quoniam ipsum sine ullo peccati merito iniquissime occiderat, per ipsum iustissime amitteret, quos peccati merito detinebat. Utrumque igitur ab illo, idest, et baptismus et mors, certae dispensationis causa, non miseranda necessitate sed miserante potius voluntate susceptum est: ut unus peccatum tolleret mundi, sicut unus peccatum misit in mundum, hoc est, in universum genus humanum.

Psal. II. 7. Hebr. I. 2. et V. 5.

Cap. L. Per Christum tolli non tantum originale peccatum, sed et caetera superaddita Rom. V. 16.

L. Nisi quod ille unus unum peccatum misit in mundum, iste vero unus non solum illud unum sed cuncta simul abstulit, quae addita simul invenit. Unde dicit Apostolus: *Non sicut per unum peccantem, ita est et donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Quia utique illud unum, quod originaliter trahitur, etiam si solum sit, obnoxios damnationi facit: gratia vero ex multis delictis iustificat hominem, qui praeter illud unum, quod communiter cum omnibus originaliter traxit, sua quoque propria multa commisit.

Cap. LI. A damnatione Adae nemo liberatur nisi in Christo renatus.

LI. Verumtamen quod paulo post dicit: *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitae:* satis indicat, ex Adam neminem natum nisi damnatione detineri, et neminem nisi in Christo renatum a damnatione liberari.

Difficultas primo quidem aspectu gravis excitari posset ex hoc Enchiridii cap. LI. contra ea, quae diximus de Christi morte pro omnibus omnino hominibus. Quid enim ait Augustinus ad ea verba Apostoli ad Rom. V. *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius iustitiam in omnes ad iustificationem vitae?* Ac omnia quidem nobis faverent, si Augustinus exponeret; *per unius iustitiam* sin minus quantum ad efficaciam et re ipsa, saltem quantum ad sufficientiam ex parte Christi, *in omnes homines ad iustificationem*: tunc enim et *omnes homines* in priore parte periodi, et *omnes homines* in secunda periodi parte aequali universalitate usurparentur: et quemadmodum illud primum comprehendit et liberatos et non liberatos ab originali damnatione, ita illud secundum omnino omnes complecteretur.

At non ita explicat Augustinus in hocEnch. capite: *Satis* (inquit) *indicat* (Paulus) *ex Adam neminem natum nisi damnatione detineri, et neminem nisi in Christo renatum a damnatione liberari.* Qui sensus negativus comprehendit solos praedestinatos ad gratiam baptismi. Quod si sensus negativus positive exponatur, hoc significabitur. « Omnes, qui in Christo renascuntur, a damnatione originalis culpae liberantur ». Ex quibus tandem conficitur, quod ex Augustini interpretatione ad hunc Apostoli textum *iustitia unius Christi* (idest merita, ac Passio eius) dicantur a Paulo in bonum praedestinatorum saltem ad baptismum. Quid igitur iansenianos impediet, ne reliquos universales textus Scripturae de morte Christi pro omnibus, auctore Augustino, sub similibus limitationibus de solis praedestinatis interpretentur?

Gravis haec esset obiectio, sed quae rite intellecta erit pro catholico dogmate invicta demonstratio. Caeterum vis obiectionis illustranda adhuc magis est ex lib. VI. contra Iulianum c. XXIV. n. 80.; ex quo loco perspicua responsio elicietur, et ratio praeterea alia plura Augustini testimonia rite explicandi.

Agebatur inter Augustinum, ac Iulianum de verbis Pauli ad Rom. cap. V. « *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem,* (quibus universalibus verbis ad universalitatem condemnationis etiam in parvulis probandam, et adstruendam utebatur Augustinus) *sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* « Sicut « enim per inobedientiam unius hominis « peccatores constituti sunt multi, ita et « per unius obeditionem iusti constituen- « tur multi ». Dicebat autem Iulianus ideo in versu posteriore dictos esse *multos* peccatores per inobedientiam unius Adae, ne in versu priore vox *omnes* ibi posita universaliter omnino intelligeretur. Quod si non omnino universaliter intelligebatur, nihil necesse erat, eum de omnibus parvulis in Adam peccantibus intelligi. Totum hoc percommode dicebat Iulianus posse exponi de magna multitudine adultorum imitantium Adam in peccando, quod peccatum non *originale* etiam in parvulis, sed *imitatorium* in solis adultis propugnabat Iulianus.

Nota in caput XLVIII. ad LI.

Respondet Augustinus. « Cum dictum « est per unum in *omnes* transisse pecca- « tum, et postea per unius inobedientiam « peccatores constitutos *multos*, ipsi sunt « *multi*, qui et *omnes*. Similiter cum di- « ctum est, per unius iustificationem in « *omnes* homines ad iustificationem vitae, « et rursus dictum est, per unius obedien- « tiam iusti constituentur *multi*, non ali- « quibus exceptis sed eosdem *multos*, « *omnes* oportet intelligi ».

At hic statim gravis occurrebat difficultas: quo pacto *omnes* iustificantur, cum tam multi numquam veniant ad fidem?

Explicat se Augustinus, atque in his verbis sita est obiectionis vis. « Non quia, « inquit, *omnes* homines iustificantur in « Christo, sed quia *omnes qui iustificantur*, non aliter possunt iustificari, quam « in Christo; sicut possumus dicere, in a- « liquam domum per unam ianuam in- « trare *omnes*, non quia *omnes homines* « *intrant* in eamdem domum, sed quia « nemo intrat, nisi per illam ».

Addit haec alia. « *Omnes* ergo ad « mortem per Adam, *omnes* ad vitam « per Christum; quia sicut in Adam *omnes* « moriuntur, ita ei in Christo *omnes* vi- « vificabuntur; idest ex prima origine ge- « neris humani nemo ad mortem nisi per « Adam, et nemo per Adam nisi ad mor- « tem; et nemo ad vitam nisi per Chri-

« stum, et nemo per Christum nisi ad « vitam ».

Quantumvis igitur eae propositiones (omnes ad vitam per Christum etc.) dicantur ab Augustino universales et sint universales, tamen magis restrictae sunt: « Omnes, *quotquot iustificantur et vivi-* « *ficantur*, per Christum iustificantur « et vivificantur; omnes, *quoquot ad vi-* « *tam transeunt*, per Christum trans- « eunt ». Hanc igitur *certi generis* universalitatem Augustinus dici potest admittere in hac propositione: « Christus « pro omnibus mortuus est ».

Respondeo apertam esse dissimilitudinem inter has propositiones: omnes in Christo vivificantur; pro omnibus mortuus est Christus; desperandumque esse de hac dissimilitudine comprobanda per ambages argumentationum, *si eam non agnoscit sensus humanus nullis adminiculis cuiusquam disputationis adiutus*, ut in simili ait Aug. l. I. de Pecc. mer. cap. XVII. n. 22. Exponis priorem propositionem omnes in Christo vivificantur, nempe, *quotquot vivificantur*; quandoquidem non per alium, quam per Christum vivificari possunt. Planus est hic sensus, et neminem offendit. Numquid dices: mortuus est Christus pro omnibus, *pro quibus* scilicet *mortuus* est? Si non statim apparet absurditas, *quid ultra quaerimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuae veritatis intendat?* ait Aug. *lib. I. de Pecc. mer. cap.* XX. n. 26.

Caeterum, licet eam limitationem aptare posses propositioni, *Christus pro omnibus mortuus est*; tamen, ne hoc fiat, impediret illatio Apostoli: *Christus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*, nempe per originale peccatum; impediret usus, quem de hac illatione facit Augustinus. Si enim propositio antecedens non complectitur omnes omnino homines, neque propositio consequens eos complectetur; quare non probabitur in omnibus omnino peccatum originale, omnibus omnino, inquam, tum parvulis tum adultis, uti intendebat Augustinus.

Satis ista sunt, ne verba Augustini difficultatem catholicis faciant. Caeterum in iis praeterea latet invicta *probatio*, qua evincatur, mortuum pro omnibus quantum ad sufficientiam tum pretii tum oblationis; nam sufficientiam quantum ad pretium concedit ipse Iansenius l. III. de Gr. Chr. cap. XXI.; sed ibidem observat per hoc non rite explicari Scripturas; nam cum mors Christi sit sufficiens ad redimendos daemones etc. (adde etiam, ad sanctitatem obtinendam creaturis possibilibus si crearentur), dici posset, Christum mortuum pro daemonibus redimendis, et sanctificandis possibilibus. Haec dici non possunt, quia non *pro his* mortem obtulit Christus.

Ut intelligatur vis probationis, quae latet in citatis Augustini verbis, distinguenda in iis est duplex veritas; alia est quae in iis verbis *asseritur* et *docetur*, alia est quae in iisdem *praesupponitur*, non asseritur aut docetur; quandoquidem de ea plane constabat inter Augustinum et Iulianum, inter catholicos et pelagianos.

Veritas *asserta* est necessitas mortis Christi pro omnibus et singulis hominibus. Haec autem necessitas fundatur in originali damnatione singulorum, quae non potest auferri nisi per Christum. Hinc Augustinus post citata verba (c. Iul. lib. VI. c. XXIV. n. 81.) haec subiicit: « Vos « autem, dum non *omnes*, sed *multos*, « sive per Adam condemnatos esse, sive « per Christum liberatos vultis intelligi, « horrenda perversitate christianae reli- « gioni estis infesti. Si enim salvi erunt « *aliqui sine Christo*, et iustificantur *ali-* « *qui sine Christo*, ergo Christus gratis « mortuus est. Erat enim et alius modus, « sicut vultis, in natura, in libero arbi- « trio, in lege naturali sive conscripta, « qua possent salvi et iusti esse, qui vel- « lent »: qui vellent, inquam, sine Christo. Atque haec necessitas mortis Christi ad expianda peccata, et nova in posterum praecavenda, spiritu facta carnis mortificando, haec inquam erat cardo dissensionis inter Augustinum et Iulianum aliosque pelagianos; eam *necessitatem* adstruebant catholici cum Augustino pro ea pugnantes tamquam pro aris et focis: eam pelagiani cum Iuliano pernegabant.

Veritas autem, quae in verbis s. Augustini *praesupponitur*, est *universalitas* mortis Christi pro omnibus, quam pelagiani non negabant, et ut toties testatur

Augustinus locis supra indicatis, ultro extendebat Iulianus ad omnes etiam parvulos: eam universalitatem, (quam iansenianis invisam nos propugnamus) *praesupponi* ostendit ipsum Augustini exemplum l. c. n. 80: « Sicut possumus di-« cere; in aliquam domum per unam « ianuam intrare omnes, non quia omnes « homines intrant in eamdem domum, « sed quia nemo intrat, nisi per illam ». Quae voces, *nemo intrat nisi per illam*, significant assertive necessitatem eius ianuae, quippe quae una est, nec per aliam aditus patet: at proculdubio praesupponitur eam ianuam universalem esse ad omnes indiscriminatim et sine exceptione excipiendos. Nam si fingas eam ianuam non esse universalem omnibus excipiendis, sed ex. gr. solis parvulis minoris staturae, non autem viris staturae procerae, *non possemus dicere, in aliquam domum per unam ianuam intrare omnes*. Esto ea ianua unica sit, ideoque necessaria, ut *nemo intret nisi per illam*. Facta autem praesuppositione, quod ianua *universalis* ad omnes sit, restat inquirendum, num sit una vel duplex etc. Si enim duae sint ianuae, falsum erit, *per unam ianuam intrare omnes*: utcumque ea ianua *universalis* sit. Si una tantum sit, ideoque omnino *necessaria* (praesupposita eius *universalitate* ad omnes excipiendos), verissimum erit, per unam ianuam intrare omnes, quoniam nemo intrat nisi per illam.

Ad rem nostram: Christum eiusque mortem esse ianuam vitae ac salutis *universalem ad omnes*, sine dubio admittebat Iulianus cum pelagianis, idque in controversia praesupponebant. In idipsum consensisse Augustinum, et supra probatum est et ex proxime dictis evincitur. Sed utrum mortuus pro omnibus Christus sit ianua *necessaria* sive *unica*, nec alia aliqua sit sive *natura*, sive *liberum arbitrium* sive *lex*, in hoc erat contentio. Hinc Augustinus clamat: *omnes ad vitam per Christum... nemo ad vitam nisi per Christum*.

Argumentum ex ea paritate *ianuae* ductum eo est efficacius, quo saepius Augustinus sive illo sive aliis similibus utitur, quorum nulla vis esset, nisi *universalitas* ad omnes *supponeretur*.

1. Ad similes apostoli Pauli textus in lib. I. de Pecc. mer. et remiss. c. XXVIII. n. 55. « Tamquam si dicamus, verbi « gratia, *una est obstetrix in hac civita-« te, quae omnes excipit, et unus est hic « literarum magister, qui omnes docet*: « neque ibi intelligi possunt omnes, nisi « qui nascuntur, neque hic omnes nisi « qui discunt; non tamen omnes qui na-« scuntur litteras discunt. Sed cuivis cla-« ret, quod et illic recte dictum est *omnes « excipit*, praeter cuius manus nemo na-« scitur, et hic recte dictum est, *omnes « docet*, praeter cuius magisterium nemo « discit ».

Intelligis, in his exemplis *asseri* quidem necessitatem, ut omnes excipiantur ab una *obstetrice*, omnes doceantur ab uno *magistro*: at *praesupponitur*, eam obstetricem atque hunc magistrum esse cum animi praeparatione ad inserviendum omnibus. Si ponas, eam *unam* obstetricem paratam esse ad solos divites excipiendos, exclusis reliquis, eum *unum* magistrum ad solos divites erudiendos, non vero pauperes, ea *universalitate* deficiente, falsum erit: *una est obstetrix in hac civitate, quae omnes excipit; et unus est hic literarum magister, qui omnes docet*: licet verum sit, *quod praeter unius manus nemo nascatur, et praeter unius magisterium, nemo discat*.

2. In libro de Nat., et gr. cap. XLI. n. 48. ad eosdem Pauli textus exponendos: « Sicut enim, inquit, uno litera-« rum magistro in civitate constituto, « rectissime dicimus, *omnes iste hic lite-« ras docet*, non quia omnes cives lite-« ras discunt, sed quia nemo discit, nisi « quem ille docuerit: sic nemo iustifi-« catur, nisi quem iustificaverit Chri-« stus ». At, ut vides, praesupponitur, quod is literarum magister sit *in civitate constitutus*, sive sit *ex se universalis* ad omnes; secus non esset vera propositio, deficiente tantummodo ea praesuppositione universalitatis.

3. In lib. II. de Nupt. et concup. c. XXVII. num. 46. « Sicut sine Adam « nullus ad mortem, ita sine Christo « nullus ad vitam; sicut diximus de li-« terarum magistro, si in civitate solus « est: *omnes iste hic literas docet*, non « quia omnes discunt, sed quia nemo nisi « ab ipso ». Non sufficit, quod solus sit,

ut si in una privata domo et in usum illius paratus sit; opus est, ut praesupponatur constitutus in usum civitatis.

4. In libro II. Operis imper. contra Iulianum num. 144. ubi de interpretatione eorumdem apostolicorum verborum: « *omnes* dixit, atque *omnes*, quia « sicut sine Adam nullus ad mortem, ita « sine Christo nullus ad vitam, sicut di- « cimus de literarum magistro, si in ci- « vitate solus est: *omnes iste hic literas* « *docet*, non quia omnes discunt, sed « quia nemo nisi ab ipso ». Ex quibus idem argumentum conficitur, quod saepe exposuimus, quodque satis aperte evincitur.

5. Ex lib. II. contra Iulianum n. 209. « Quid est ergo, omnes in Christo vivi- « ficabuntur, nisi quia nemo vivificabi- « tur, nisi in illo? Cuius rei similitudi- « nem de magistro posui literarum: si « unus sit in civitate, a quo ibi dicantur « omnes literas discere, non quia omnes « discunt, sed quia nemo nisi ab ipso. « Quam locutionem (addit Augustinus) « nec tentasti refellere, quia vidisti esse « rectissimam, et omnibus notam ». Haec ultima clausula videtur esse demonstratio doctrinae supra traditae. Haec propositio: *magister in hac civitate omnes docet* (et aliae similes) si intelligatur unum *affirmare*, aliud *supponere*, affirmare *necessitatem*, supponere *universalitatem*, *affirmare necessitatem* huius magistri ad discendum, quia solus est, *supponere universalitatem*, quod ad omnes quotquot venerint, paratus sit, profecto hae ac similes locutiones rectissimae sunt, omnibus notae, et ita notae, ut mirum non sit Iulianum cum suis pelagianis, quorum ingenia saepe laudavit Augustinus, non tentasse ista refellere. At si intelligamus has atque huiusmodi propositiones solum *affirmare necessitatem*, non praesupponere *universalitatem*, est haec doctrina ita aperte falsa obviis, vulgaribus, tritissimisque exemplis, ut nemo sanae mentis sibi suadere possit, et catholicos cum Augustino in his exemplis tam sese iactasse, et pelagianos ingeniosissimos adversarios, quod responderent, non invenisse. Si satis sit illud Augustini, *nemo nisi ab ipso*, vide quae consequantur: nemo in ecclesia hipponensi clericus, nisi per Augustinum; ergo *omnes* per Augustinum in ecclesia hipponensi sunt clerici: nemo in familia haeres ex filiis, nisi ex. gr. per patrem; ergo *omnes* filii per patrem sunt haeredes, sicuti ob eamdem rationem *omnes* in Christo vivificabuntur: nemo in regno munus publicum habet nisi per regem; ergo *omnes* per regem decorantur his muneribus publicis. Similia habes quam plura: nemo eques velleris aurei, nisi per regem Hispaniae; ergo *omnes* per regem Hispaniae sunt equites velleris aurei: nemo eques Spiritus Sancti nisi per Regem Galliae, ergo *omnes* per Regem Galliae sunt equites Spiritus Sancti; nemo creatur comes S. R. Imperii nisi per Imperatorem; ergo *omnes* per Imperatorem S. R. I. comites sunt: nemo cardinalis aut praelatus romanae curiae nisi per Pontificem; ergo *omnes* per Pontificem sunt praelati romanae curiae, omnes sunt cardinales. Infirmitatem huius argumentationis neque animadvertisse catholicos cum Augustino neque pelagianos cum Iuliano, qui fieri potuit? At invictissimum erat exemplum ex illis locutionibus de ianua, de magistro, de medico, de obstetrice, si *praesupposita* universalitate ianuae ad *omnes*, quantum ex se est, admittendos, magistri ad omnes, quantum ex se est, docendos, medici ad omnes, quantum ex se est, curandos, obstetricis ad omnes, quantum ex se est, excipiendos, deinde *affirmetur* necessitas et ianuae eo quod una in domo sit, et magistri eo quod unus in civitate sit, et medici eo quod unus sit, et obstetricis eo quod una sit; tunc enim ea *universalitate praesupposita*, per hanc *necessitatem* habetur formalissime quidquid necessarium est ad veritatem generalium locutionum; per ianuam omnes intrant, magister in hac civitate constitutus omnes docet, medicus huius urbis omnes curat, obstetrix huius oppidi omnes excipit. Eodemque sensu verissimum erit: *In Christo omnes iustificabuntur*, usurpando *omnes* non pro *multis*, ut volebat Iulianus excludens parvulos, quos negabat egere vivificatore, sed vere pro *omnibus*: nam et *praesupponitur* mors Christi universalis ad omnes, et asseritur necessitas eius mortis pro quocumque, qui salvandus sit, ita ut non sit alius modus conse-

quendae vitae et salutis, nisi per Christum, non per naturam, non per arbitrium, non per legem, ut volebant pelagiani. Contra vero falsae sunt similes propositiones in exemplis per nos productis: omnes per Augustinum in ecclesia hipponensi clerici, omnes filii per patrem haeredes sunt, omnes per regem decorantur muneribus publicis, omnes per regem Hispaniae sunt equites velleris aurei, omnes per regem Galliae sunt equites Spiritus Sancti, omnes per Imperatorem sunt comites S. R. Imperii, omnes per Pontificem sunt praelati aut cardinales: nam licet Augustinus necessarius sit ad hipponensis ecclesiae clericatum obtinendum, et nemo in ea clericus nisi per Augustinum, non tamen Augustinus paratus ex se universaliter erat ad omnes in clericatum admittendos. Idem repetas in aliis exemplis, in quibus concurrit *necessitas*, sed deficit *universalitas*; nam ii, quos nominavimus parati non sunt, quantum est ex se, ad eas utilitates vel dignitates omnibus conferendas.

Stat itaque firmissimum Augustini argumentum probans universalitatem peccati in omnibus etiam parvulis *ex universalitate mortis Christi etiam pro parvulis*, quam Iulianus et pelagiani ex una, Augustinus et catholici ex alia parte concorditer agnoscebant, nos autem nostra hac aetate propugnare cogimur contra iansenianos abusus scripturarum et patrum ac praecipue sancti Augustini. Hinc ea praeclara verba l. II. Op. imperf. contra Iulianum num. 133. « Si autem « secundum Apostolum, sicut putas, « nullum delictum habent parvuli, unde « ergo secundum Apostolum mortui sunt? « Quia et secundum te (audiat Iansenius Augustinum cum Iuliano consentientem in universalitate mortis Christi pro omnibus etiam parvulis), etiam pro « ipsis mortuus est Christus: *Unus enim « pro omnibus mortuus est, ergo omnes « mortui sunt, et pro omnibus mortuus « est.* Iuliane, non hoc Augustinus, sed « Apostolus dixit; imo ipse per suum « Apostolum Christus: cohibe te a va- « niloquio: cede Deo ». Hactenus Augustinus.

Cap. LII. Baptismus Mortis ac Resurrectionis Christi similitudo in parvulis perinde ac in maioribus.

LII. De qua per unum hominem poena, et per unum hominem gratia cum locutus fuisset, quantum illi epistolae suae loco sufficere iudicavit, deinde sacri baptismatis in cruce Christi grande mysterium commendavit eo modo, ut intelligamus nihil aliud esse in Christo baptismum, nisi mortis Christi similitudinem; nihil aliud autem mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem, ut quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio. Ait enim: *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Dixerat enim superius: *Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Et ideo quaestionem sibi ipse proposuit, utrum propter abundantiam gratiae consequendam, in peccato sit permanendum. Sed respondit: *Absit.* Atque subiecit; *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Deinde ut ostenderet nos mortuos esse peccato: *An ignoratis fratres,* inquit, *quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Si ergo hinc ostenditur mortuos esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus; profecto et parvuli, qui baptizantur in Christo, peccato moriuntur, quia in morte ipsius baptizantur. Nullo enim excepto dictum est: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus;* et ideo dictum est, ut probaretur mortuos nos esse peccato. Cui autem peccato parvuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt? Ac per hoc etiam ad ipsos pertinet quod sequitur dicens: *Consepulti sumus ergo illi per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul*

Rom. VI. 1.

Rom. V. 20.

Rom. VI. 2. etc.

Rom. VI. 4 etc.

et resurrectionis erimus: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo: scientes, quia Christus resurgens a mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate mortuos quidem vos esse peccato, vivere autem Deo in Christo Iesu. Hinc enim probare coeperat, non esse nobis permanendum in peccato, ut gratia abundet, et dixerat: *Si mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Atque ut ostenderet, mortuos nos esse peccato, subiecerat: *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Sic itaque totum locum istum clausit, ut coepit. Morte quippe Christi sic insinuavit, ut etiam ipsum mortuum diceret esse peccato. Cui peccato, nisi carni, in qua erat non peccatum, sed similitudo peccati? et ideo nomine appellata est peccati. Baptizatis itaque in morte Christi, in qua non solum maiores, verum etiam parvuli baptizantur, ait: *Sic et vos*, idest quemadmodum Christus, *sic et vos existimate vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo Iesu.*

Rom. VI. 11.

Nota in cap. LII. Tractationi de morte Christi pro salute humani generis satis affinis est tractatio de voluntate salvandi homines. Ac sane in hoc Enchir. c. LII. ea verba: « quemadmodum in illo vera mors facta est, *sic in nobis vera remissio peccatorum,* et quemadmodum in illo vera resurrectio, *ita in nobis vera iustificatio* »: non significant tantummodo finem universalem remissionis et iustificationis intentum a Christo ut homine, sed etiam ut Deo per divinam voluntatem; neque enim eae phrases ex se generales arbitrario limitandae sunt. Quae autem de morte Christi dicta sunt, ad haec intelligenda plurimum faciunt. Plura vero reservamus in alia Enchiridii capita, in quibus de hac divina voluntate copiose agit Augustinus.

Verborum Pauli I. Timoth. II. *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,* explicationem omnino generalem, et prout verba sonant, traditam fuisse ab Augustino « *cum in semipelagianorum errore fuit* » nempe ante episcopatum, fatetur totidem verbis Iansenius tom. III. lib. III. de Gr. Chr. capite XX. collat. 330. Ab episcopatu autem suscepto tres explicationes, quae minus generaliter ea verba accipiant, esse traditas ab Augustino convenimus omnes, tum ianseniani cum Iansenio tom. III. lib. III. de Gr. Ch. cap. XX. tum catholici quarumcumque scholarum.

Prima est explicatio aequivalenter negativa: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, hoc est quotquot salvantur, eo volente salvantur, sive nemo salvatur nisi Deo volente: sic explicat in hoc Enchiridii cap. CIII., l. IV. contra Iul. c. VIII. n. 42., in ep. ad Vitalem CCXVII. al. CVII. c. VI. n. 19., lib. de Praed. SS. cap. VIII. n. 14.

Secunda explicatio est omnino positiva, qua *omnes* intelligit *pro omni hominum genere:* hanc tradit in hoc ipso Enchiridii cap. CIII. a num. 27., et lib. de Correpl. et Gr. cap. XIV. n. 44.

Tertia explicatio intelligit verba Apostoli in sensu causali: Deum velle omnes salvos fieri, idest Deum facere, ut homines velint omnes salvos fieri. Ita l. XXII. de Civ. cap. II., et lib. de Correpl. et gr. cap. XV. n. 47.

At ianseniani nullam aliam praeterea seriam divinam voluntatem *salvandi* homines agnoscunt circa reprobos post peccatum originale praevisum, nullamque aliam esse putant ex mente s. Augustini. Dixi *salvandi:* cum enim plures reprobi accipiant quasdam, ut loquitur Iansenius, *temporales gratias* fidei, baptismi, poenitentiae etc., quamvis deinde in peccato decedant, ut fidelibus reprobis contingit; Deus vult iis temporales eas gratias conferre, non vero, ut ipse ait, salutem. Catholici autem omnium scholarum aliam quamdam seriam voluntatem de reproborum salute docent in Deo esse, eamque

satis communiter consentiunt esse ex mente s. Augustini. Dixi satis communiter: nec enim defuere catholici, de quibus conqueritur card. Norisius in *Vindiciis augustinianis*, qui victi difficultate interpretandi testimonia quaedam s. Augustini, asseruere s. Doctorem coarctasse ad solos electos divinam voluntatem de salute hominum, et declinasse in errorem oppositum pelagianis: quod procul dubio et iniuriosum tanto doctori censemus, et omnino falsum. Caeterum sunt inter catholicos subalterna quaedam in scholis dissidia. Utrum et quomodo voluntas divina de salute hominum extendenda sit non modo ad reprobos fideles, sed etiam infideles? Utrum ad solos omnes adultos, an etiam ad omnes parvulos etc. Nos Augustinum interpretabimur ea ratione, quae et magis consentanea videatur menti s. Doctoris, et opportunissima ad iansenianos refellendos, nihil succensentes aliis catholicis, qui in iis, in quibus scholarum libertatem Ecclesia permittit, diversa sibique bene visas interpretationes sequuntur. Duobus assertis hanc rem concludimus.

Assertum primum est. S. Augustinus praeter tres expositiones supra transcriptas voluntatis Dei de salute hominum, iam antea non modo presbyter, sed et episcopus, etiam ab inchoata contentione cum pelagianis agnoverat, et docuerat seriam voluntatem salvandi omnes, etiam reprobos, non modo fideles sed infideles quoque, non modo adultos sed et parvulos. Id scilicet docuerat tum in libro de Catechizandis rudibus, tum in libro de Spiritu et litera: reliquas deinde tres expositiones superaddidit ad impugnandos pelagianos docentes voluntatem divinam *aequaliter*, et *indifferenter* ad omnes extendi; non tamen eas interpretationes superaddidit sive *exclusive* respectu primae traditae *libro de Cat. rud. et lib. de Sp. et lit.*, sive *disiunctive* permittendo scilicet legentibus libertatem, ut vel illam tenerent, vel alias superadditas amplecterentur reiecta prima, sed *cumulative*, ut iuristae loquuntur, nempe et illam primam et alias tres superadditas.

Assertum alterum est. In iis tribus expositionibus posterioribus, quas superaddidit Augustinus, ea vel inseruit, vel praesupposuit, quae divinam voluntatem generalem salutis hominum confirmant ex eius mente semper fuisse.

Assertum primum, ut demonstretur, exponendum in primis est, quod indicavimus ex chronologia operum s. Augustini, maximique momenti est ad rem nostram.

Ex libris duobus, in quibus probabitur contineri mentem Augustini de divina voluntate generali salvandi omnes, prior qui est de Catechizandis rudibus, scriptus est anno circiter 400., quinquennio fere ab episcopali ordinatione suscepta, quo proinde tempore nihil habebat Augustinus semipelagiani erroris: *quem meum errorem*, ait August. lib. de Praed. SS. cap. III. n. 7. *nonnulla opuscula mea satis indicant ante episcopatum meum scripta.* Praeterea iam anno 397. scripserat libros ad Simplicianum, de quibus lib. I. de Praed. SS. cap. IV. n. 8. « Invenissent, « inquit, istam quaestionem (de fide, et « operibus .... de commendanda gratia « Dei), *secundum veritatem* divinarum « Scripturarum solutam in primo libro « duorum, quos ad B. M. Simplicianum « scripsi ». Nec omittendum, quod liber de Catechizandis rudibus scriptus fuit ab episcopo Augustino ad Deogratias diaconum carthaginensem, qui rogabat doceri artem catechizandi in primaria sua ecclesia: in quo librorum genere, si quo unquam alio, accuratissime loqui episcopus debet. Alter liber, qui est de Spiritu et litera, continens, ut videbimus, eamdem de generali divina voluntate doctrinam, scriptus est anno 412., quo pelagiana haeresis iam in publicum vulgata proscripta fuerat in Coelestio per Paulinum accusato, et condemnato in concilio carthaginensi anni eiusdem. Imo ipse Augustinus contra eamdem haeresim antea iam scripserat anno eodem 412. libros tres *de Peccatorum meritis, et remissione, et de Baptismo parvulorum.*

Iam vero reliqui libri, qui tres expositiones complectuntur de voluntate salvandi, easdemque diversas a prima expositione, omnes sunt posteriores.

Nam libri de Civitate Dei inchoati sunt ab anno 413., et non absoluti ante annum 426.

Liber Enchiridii scriptus est anno 421.

Libri sex contra Iulianum scripti sunt anno 421., aut paulo post.

Liber de Correpl. et gratia anno 426. aut 427.

Epistola ad Vitalem anno 427.

Liber de Praedestin. SS. anno 428. aut 429., quo etiam tempore scripti fuerunt libri sex Operis imperfecti contra Iulianum, in quibus quoque aliquid insinuat ex tribus iis superadditis interpretationibus, ut lib. 1. num. 103. Quae chronologice dicta sunt, probata invenies apud pp. Maurinos in ed. opp. s. August.

His positis accipe testimonium ex libro de Catechizandis rudibus cap. XXVI. ubi n. 52. forma quaedam brevior instruendi catechizandum sic incipit: « Vere, frater, « illa magna et vera beatitudo est, quae « in futuro saeculo sanctis promittitur. « Omnia vero visibilia transeunt, et omnis huius saeculi pompa, et deliciae, « et curiositas interibunt, et secum ad interitum trahunt amatores suos: a quo « interitu, hoc est poenis sempiternis, « *Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et « non resistant misericordiae Creatoris « sui misit Unigenitum Filium suum* ». En voluntas generalis conditionata. Falsum est igitur, quod iactat Iansenius tom. III. lib. III. de Gr. Ch. cap. XX., et saepe alias, pelagianum esse ac semipelagianum dicere Deum velle salvos homines, *si ipsi velint*. Non in hoc, sed in eo haeresis est, ut intelligatur, si ipsi velint *sine Dei adiutorio*, si velint voluntate *non praeparata a Domino*: secus autem ubi agatur de voluntate per Dei misericordiam adiuta. Hinc lib. III. Oper. imperf. contra Iul. n. 116: *Sed quod vos non vultis praeparatur voluntas a Domino*; et l. I. Retract. cap. X. n. 2. retractans quae dixerat lib. I. de Gen. contra manich. cap. III. « Se ad eius praecepta servanda convertunt, quod *omnes* homines possunt, *si velint*. . . non « existiment novi haeretici pelagiani secundum eos esse dictum: verum est « enim omnino *omnes* homines hoc posse, *si velint*; sed praeparatur voluntas a Domino ».

Obiicit Iansenius tom. III. lib. III. cap. XX. verba Pelagii in commentario Epist. I. ad Timoth. cap. II. in ea verba: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire:* « Si « ipsi tamen, inquit Pelagius, vocanti « Deo consentire voluerint ». Respondeo 1. non esse tutum iudicare de mente Pelagii ex commentariis eius in s. Paulum: nam licet Vossius, et qui Vossium exscripserunt dicant dogmata de quibus Pelagius redargutus fuit, pleraque clarissimis verbis sine ullis ambagibus in iis brevissimis expositionibus contineri, tamen id esse falsum non modo assero ex propria lectione eorum commentariorum, quae habentur in appendice ad opera s. Augustini tom. XI. per D. le Clerc, sive Ioannem Phereponum, sed gravissimo testimonio cl. viri p. Ioannis Garnerii in dissertationibus ad histor. pelagianam pertinentibus append. ad disser. VI. cap. II. Lecta quidem sunt haec commentaria diligenter ab Augustino, qui plura hinc et inde decerpsit; at nonnisi duo fere reprehendit: alterum, quod aliena persona dictum est contra peccatum originale, alterum quod propria de iis verbis, *non est volentis etc.* Vide August. lib. III. ad Marcellinum cap. I., et lib. de Gestis Pelagii cap. XVI. Nihil in iis commentariis reprehendit de gratia et libero arbitrio, nihil de lege et perfectione iustitiae, nihil de concupiscentia aliisque principalioribus controversiis. Adde haec commentaria lecta fuisse a Cassiodoro, et ex parte emendata: credibile esse, si non certum, eos, quos habemus, sive in editis sive in mm. ss. codicibus commentarios ex correctione Cassiodori, atque discipulorum exscriptos esse. Vide plura apud Garnerium diss. cit.

Respondeo 2. Etiam Augustinus cum presbyter detineretur errore, qui deinde semipelagianismus dictus est, utebatur verbo, *vocatio*, sed pro vocatione externa. Vide illum in Expos. quar. prop. Epist. ad Rom., et compara cum iis, quae habet libro de Praed. SS. cap. III. Quare Augustinus deinde, licet sit usus verbo *vocatio*, adiunxit tamen saepissime quae determinarent significationem vocis ad sensum vocationis *intrinsecus* operantis, ut habet de Spir. et lit. c. XXXIV. n. 60., et similia passim. Mirum proinde non esset, (si Pelagii sunt voces a Iansenio obiectae,) quod sub aequivoco *vocationis*

verbo occultaverit errorem suum. At hoc aequivocationis periculum satis cavent catholici defensores voluntatis generalis de salute omnium.

Alterum testimonium copiosissimum est ex cap. XXXIII. a n. 57. libri de Spiritu et litera. « Sed consequens est paulu« lum quaerere, utrum voluntas illa, qua « credimus, etiam ipsa Dei donum sit, « an ex illo naturaliter insito libero adhi« beatur arbitrio. Si enim dixerimus eam « non esse donum Dei, metuendum est « ne... (contra Apost. I. Corinth. IV.) « respondere possimus : ecce habemus « voluntatem credendi, quam non acce« pimus... Si autem dixerimus etiam e« iusmodi voluntatem non esse nisi do« num Dei, rursus metuendum est, ne « infideles atque impii non immerito se « veluti iuste excusare videantur, ideo « non credidisse, quod dare illis Deus i« stam noluit voluntatem. Nam illud « quod dictum est: *Deus est enim, qui « operatur in nobis velle et operari pro « bona voluntate*, iam gratiae est, quam « fides impetrat, ut possint esse hominis « opera bona, quae operatur fides per « dilectionem, quae diffunditur in corde « per Spiritum Sanctum qui datus est « nobis. Si credimus, ut impetremus hanc « gratiam (Spiritus Sancti), et utique « voluntate credimus, de hac quaeritur, « unde sit nobis? Si natura, quare non « omnibus? Si dono Dei, etiam hoc qua« re non omnibus, cum *omnes homines « velit salvos fieri, et ad agnitionem ve« ritatis venire?* »

Vides difficultatem ab Augustino accuratissime propositam in infidelibus atque impiis circa ipsam intelligentiam textus apostolici I. ad Tim. II. Summa responsionis et solutionis est, ut incipiens a secunda parte quaesiti ostendat infideles atque impios non esse excusabiles, quia fides est ex libero arbitrio adiuto per vocationem Dei etiam infidelibus datam penes quos liberum arbitrium adiutum est credere et non credere etc. Inde accedens ad primam quaesiti partem etiam explicat, quod fides sit Dei donum, cum habeatur ex arbitrio, sed pér vocationem excitato : non enim s. Augustinus post episcopatum nomine vocationis intelligebat exteriorem vocationem dumtaxat, sed praecipue interiorem, ut disertissime hoc loco explicat.

Audiamus verba Augustini l. c. n. 58. « Prius igitur illud dicamus et videamus « utrum huic satisfaciat quaestioni, quod « liberum arbitrium naturaliter attribu« tum a Creatore animae rationali illa me« dia vis est, quae vel intendi ad fidem, « vel inclinari ad infidelitatem potest, « et ideo nec istam voluntatem, qua cre« dit Deo, dici potest homo habere quam « non acceperit; quandoquidem *vocante « Deo surgit de libero arbitrio*, quod na« turaliter, cum crearetur, accepit. *Vult « autem Deus omnes homines salvos fie« ri, et in agnitionem veritatis venire, « non sic tamen, ut eis adimat liberum « arbitrium, quo vel bene vel male uten« tes iustissime iudicentur* ».

En ad difficultatem responsio Augustini : fides est ex natura liberi arbitrii coadiuti a Deo *vocante:* quare fides est Dei donum : non omnes autem habent hanc fidem, quia Deus vult salutem omnium, sed cum indifferentia, non imponendo necessitatem, ut detur locus merito ac demerito, praemio ac supplicio. Aliter : Deus vult salvos fieri eos omnes homines, *qui* habentes liberum arbitrium, *vel bene vel male utentes iustissime iudicantur*, atqui hi sunt omnes adulti ratione utentes in distributione completa: omnes omnino vel bene vel male utentes libero arbitrio sunt iustissime iudicandi, ergo Deus vult salvos fieri adultos omnes ratione utentes in distributione completa. Maior constat ex contextu verborum: *vult salvos fieri omnes homines ut eis* (quae vocula *eis* relativa est ad *omnes homines*) *non adimat arbitrium*, (quo ii, scilicet omnes homines liberi arbitrii) *vel bene vel male utentes etc.*

Pergit Augustinus : « Quod cum fit, « infideles quidem contra voluntatem « Dei faciunt, cum eius Evangelio non « credunt... experturi in suppliciis po« testatem eius, cuius in donis misericor« diam contempserunt ». Si etiam infideles reprobi contra voluntatem Dei faciunt, voluntas igitur divina salvandi homines non ad praedestinatos tantum extenditur, sed etiam ad reprobos, et reprobos infideles et quidem omnes : nempe quotquot *sunt experturi in suppliciis*

potestatem eius. Praeterea qui infideles dicuntur facere contra voluntatem eius, iidem dicuntur contemnere misericordiam divinam in eius donis, ergo voluntas illa divina de salute omnium etiam reproborum, etiam infidelium in infidelitate perseverantium, non est voluntas quaedam sterilis antecedens, qualem concedit etiam Iansenius circa reprobos post originale praevisum. « Postquam peccata ait Iansenius tom. III. lib. III. de « Gr. Ch. cap. XX. sub finem, iam ab « hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola praecisione « mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiae causante consistere potest. Quod ex eo manifestissime patet, quia talem antecedentem « voluntatem etiam erga damnatas creaturas, sive hominum, sive angelorum « Deus habet ». Vide plura alia in hanc rem apud Iansen. loc. cit. Contra autem Augustinus eam Dei voluntatem circa reprobos, etiam infideles, vocat misericordiam, neque hoc tantum, quod certe non congruit sterili cuidam velleitati, sed praeterea vocat *misericordiam in donis.*

Subdit Augustinus exemplum huius divinae voluntatis in Domino dicente: « Volo, ut hi omnes servi mei operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, (quod idem est ac « *si laboraverint, requiescentes epulentur*) ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat »: quam voluntatem supponit Augustinus ab aliis servis impleri, ab aliis contemni. Egregium sane exemplum divinae seriae voluntatis conditionalis tum in reprobos tum in electos. Eamdem doctrinam de divina voluntate habes Enchir. cap. C.

Attende sequentia de Sp. et lit. l. c. « Unde scriptum est, semel locutus est « Deus, hoc est incommutabiliter: quamquam et de unico verbo possit intelligi. « Deinde subiungens, quid incommutabiliter sit locutus: *duo haec*, inquit, « *audivi, quoniam potestas Dei est, et* « *tibi Domine misericordia, quia tu redades unicuique secundum opera sua.* Ille igitur reus erit ad damnationem sub « potestate eius, qui contempserit ad credendum misericordiam eius ». Memineris, hic agi de infidelibus et de excusatione, quam obtendere possent: illis applicari generalem sententiam: *reddes unicuique secundum opera sua*: illos universaliter, atque indefinite declarari *reos damnandos, qui contempserint ad credendum misericordiam eius.* Potuit ne clarius significare Augustinus, quod erga omnes infideles damnandos sese extenderit *misericordia in donis*? Neque solum ita reipsa contigisse significat, sed ita necessario esse debere, siquidem *reddendum unicuique sit secundum opera sua*: ita esse debere consentanee ad id, quod *semel, et incommutabiliter locutus est Deus.*

Tum haec alia sequuntur: « Quisquis « autem crediderit, eique se a peccatis « omnibus absolvendum, et ab omnibus « vitiis sanandum, et calore ac lumine « eius accendendum illuminandumque « commiserit, habebit ex eius gratia opera bona: ex quibus etiam secundum « corpus a mortis corruptione redimatur, « coronetur, bonisque satietur, non temporalibus, sed aeternis ». Hoc loco supponitur, lumine ac calore eius in infideles diffuso, alios quidem non se tradere illuminandos, accendendos, sanandos, alios autem id praestare: quod confirmat misericordem Dei voluntatem etiam in reprobos protendi.

Probat haec Augustinus toto num. 59. ex Scripturis, tum num. 60. confirmat et vindicat disputationem factam. « Haec « disputatio, inquit, si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat ». Quoniam autem vidit eam alicui videri posse non omnino sufficientem propter quamdam obiectionem, quam excitari posse sentiebat, ideo illam proponit ac solvit, quemadmodum eam sibi proposuerat ac solverat eodem anno 412. in lib. II. de Pecc. mer. et remiss. cap. XVII. et XVIII. Accipe obiectionem contra disputationem quam peregerat Augustinus totis numeris 58. et 59: « Si autem respondetur « cavendum esse, ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo « quod dicitur, *quid habes, quod non* « *accepisti*? propterea etiam voluntas, « qua credimus, dono Dei tribuitur, quia « de libero existit arbitrio, quod, cum « crearetur, accepimus ». Vis huius obiectionis in paritate sita est, quam sic

efferre possumus : quia voluntas , qua credimus de libero existit arbitrio , quod cum crearemur accepimus , ideo ea voluntas dono Dei tribuitur; ergo quoniam peccatum existit etiam de libero arbitrio quod cum crearemur accepimus , ideo etiam peccatum dono Dei tribuendum erit. Huic qui ita obiiceret respondet Augustinus in favorem disputationis, quam scripserat numeris 58. et 59. « Attendat et videat non ideo tantum istam « voluntatem divino muneri tribuendam « quia ex libero arbitrio est , quod nobis « naturaliter concreatum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit « Deus ut velimus et ut credamus , sive « extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, « si ad hoc admonent hominem infirmitatis suae , ut ad gratiam iustificantem credendo confugiat , sive intrinsecus ubi nemo habet in potestate quid ei « veniat in mentem: sed consentire, vel « dissentire propriae voluntatis est ». Haec Augustinus omnino consentanee iis, quae paulo supra dixerat num. 58. « Ideo « nec istam voluntatem, qua credit Deo, « dici potest homo habere , quam non « acceperit, quandoquidem vocante Deo « surgit de libero arbitrio ». Non dixerat tantum surgere de libero arbitrio, sed *vocante Deo surgere de libero arbitrio*.

Hanc autem *vocationem*, quam breviter insinuaverat num. 58. iis verbis *vocante Deo*, latius describit sequenti numero 60. ea enumeratione: *visorum suasionibus agit Deus etc*. Atqui ea *vocatio* insinuata num. 58. eadem omnino est cum *misericordia ad credendum* concessa infidelibus , de qua tam multa eodem numero 58. verbis paulo supra transcriptis ; ergo *misericordia ad credendum* concessa infidelibus, de qua tam multa eo n. 58., eadem inquam latius describitur ab iis verbis num. 60.: *visorum suasionibus agit Deus etc.* nempe iis verbis, quibus gratia auxilians adeo ornate copioseque describitur , ut clariorem vix liceat desiderare. Haec ergo infidelibus datur.

Pergit adhuc Augustinus eodem n. 60. « His ergo modis quando Deus agit cum « anima rationali ut ei credat (neque « enim credere potest quodlibet libero « arbitrio si nulla sit suasio vel vocatio , « cui credat) , profecto et ipsum velle « credere Deus operatur in homine, et in « omnibus misericordia eius praevenit « nos: consentire autem vocationi Dei, « vel ab ea dissentire , sicut dixi, propriae voluntatis est ».

Hoc pacto absolvit tandem Augustinus quaestionem, quam sibi proposuerat initio capitis XXXIII. n. 57: « Consequens « est paululum quaerere utrum voluntas « illa qua credimus etiam ipsa donum « Dei sit, an ex illo naturaliter insito libero adhibeatur arbitrio ». Solutio tradita duobus numeris 58. et 59. , ut vindicata atque illustrata toto numero 60. est eam voluntatem esse ex libero arbitrio, sed non solo , imo vero ex ipso et Dei suasionibus agentibus etiam intrinsecus ut velimus. Quare haec suasio ac vocatio (quibus vocibus promiscue hoc loco utitur) diversa est ab ea vocatione tantum externa, seu *in praeconio veritatis* , ex qua vocatione putabat esse initium bonorum operum, cum ante episcopatum errabat , quemadmodum ex ipso Augustino lib. de Praed. SS. c. III. supra animadvertimus. Sic definita secunda parte quaestionis definiebatur etiam prima, *Voluntatem illam scilicet qua credimus*, *esse Dei donum*. Quare utrumque quod in quaestione propositum fuerat, verum esse Augustinus docet, sive utramque quaestionis partem , nempe et voluntatem qua credimus esse donum Dei, et ex libero arbitrio esse sed per Deum adiuto; quod adiutorium, seu ut ait Augustinus *misericordiam ad credendum* etiam ad infideles extendit s. Doctor , ut vidimus, ne quis diceret eos ab infidelitate excusari ; idque totum docet interpretans verba Pauli: *Vult omnes homines salvos fieri ;* et respondens iis , qui obiiciebant , videri negatam infidelibus facultatem fidei et salutis adipiscendae.

Reliquum est, ut unum, aut alterum in citatis ex num. 60. verbis animadvertamus, et ad rem, quam habemus prae manibus necessarium , et aliis plurimis Augustini testimoniis intelligendis opportunissimum, tum contra haeresim iansenianam, tum contra nodos quosdam occurrentes in scholasticis de gratia dispu-

tationibus. Dico itaque : gratia qua fit ut bona voluntas (etiam rei maxime supernaturalis, cuiusmodi est voluntas *habendae fidei*) bona, inquam, haec voluntas *tribuatur Dei dono, et divino muneri*, gratia qua *Deus agit, ut velimus,... agit cum anima rationali, ut ei credat*, gratia... qua ipsum *velle credere Deus operatur in homine, qua misericordia eius in omnibus praevenit nos*, haec inquam gratia non est in scriptis s. Augustini, etiam contra pelagianos, semper et universaliter *gratia efficax*; sed potius gratia, quae tamquam genus, comprehendit sub se et efficacem et sufficientem. Patet hoc legenti praesentem contextum. Nam gratia habens huiusmodi characteres significatur subdividi in eam, cui plures consentiunt, plures dissentiunt : hinc de gratia eos characteres habente non semel, sed bis Augustinus habet: *Sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est*. Et iterum : « consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriae voluntatis est ».

Quoniam autem *misericordia ad credendum* infidelibus concessa eadem est cum hac gratia, ut ostensum est, et legenti patet, hinc fit, quod misericordia ad credendum infidelibus concessa, quaeque est effectus divinae voluntatis volentis homines salvos fieri, sit gratia, seu genus gratiae et efficacem et sufficientem comprehendens, quod maxime ad rem nostram facit.

Castigandus propterea Iansenius, qui l. V. de Gr. Chr., qui totus est de effectibus gratiae Christi a primo ipso capite: « Demonstrandum est, inquit, solam vi« delicet caritatis inspirationem qua fiat, « ut Deum vere, sincere, et ut oportet, « diligamus, esse ex Augustini sententia « proprie gratiam Salvatoris... Primo « quidem, quia gratia, de qua s. Augu« stinus satagit, et de qua proprie cum « pelagianis controversia fuit, est illa, « qua fit ut homo, qui ante fuit volun« tatis malae, habeat voluntatem bonam.. « Inde est quippe, quod (Augustinus) « sexcenties utatur illa Scriptura Pauli: « *Deus est, qui operatur in vobis velle*; « *et perficere pro bona voluntate* » : Atqui ostensum est quod Augustinus a primo ipso anno pugnae suae contra pelagianos, quo *librum de Spir. et lit.* scripsit nomine gratiae *operantis, ut velimus etc.* non semper intelligat determinate gratiam efficacem, sed praeterea genus gratiae comprehendentis et efficacem et etiam sufficientem. Quare *operari ut velimus* est non solum efficere ut re ipsa velimus, sed ad volendum interius excitare et allicere, etiamsi nostra culpa dissentiatur.

Sed audi sequentia in hoc lib. de Sp. et lit. num. 60: « Quae res, ait Augusti« nus, non solum non infirmat, quod di« ctum est: *Quid enim habes, quod non* « *accepisti*; verum etiam confirmat. Ac« cipere quippe et habere anima non po« test dona, de quibus hoc audit, nisi « consentiendo, ac per hoc quid habeat, « et quid accipiat Dei est; accipere au« tem et habere, utique habentis et acci« pientis est ». Subtiliter Augustinus distinguit inter *donum Dei*, quod habetur et accipitur, et ipsum *habere* atque *accipere*: illud *solius Dei esse*, ait: habere autem et accipere, quod inquit, *consentiendo* fit, hoc dicit esse rationalis creaturae *accipientis et habentis*, quaeque consentiendo formaliter facit suum sibique proprium, sive sibi utile donum Dei. Si autem *consentire* Dei dono est *habere et accipere*, *dissentire* utique erit *nec habere nec accipere*. Quapropter qua ratione per Augustinum verum est, quod consentire vel dissentire propriae voluntatis est, ita et eodem verborum rigore verum est, quod *habere* vel *non habere Dei donum*, *accipere illud vel non accipere* propriae voluntatis est, pro sua libertate habentis aut non habentis, accipientis vel non accipientis Dei donum. Ex quibus confirmatur, quod supra dicebam : gratiam Dei, de qua hoc loco, quemadmodum et *Dei donum*, esse genus quoddam comprehendens tum efficacem tum sufficientem gratiam.

Iterum castigandus hoc loco Iansenius est, qui eodem tom. III. lib. V. de Gr. Ch. cap. I. ad probandum non dari ex Augustino veram aliam gratiam, nisi efficacem : « Unus igitur (inquit) aut al« ter locus Augustini apertissimus suffi« ciet, ut probemus totam gratiae adiu« vantis oeconomiam ad bonam unam « voluntatem dandam augendamque ver-

« sari. Primus habetur in lib. II. de « Pecc. mer. et remiss. c. XVIII. *Quapropter, nisi obtineamus non solum « voluntatis arbitrium, quod huc atque « illuc liberum flectitur, atque in eis na- « turalibus bonis est, quibus et male uti « malus potest; sed etiam voluntatem bo- « nam, quae iam in eis bonis est, quo- « rum usus esse non potest malus, nisi « ex Deo nobis esse non posse, nescio « quemadmodum defendemus, quod di- « ctum est: quid enim habes, quod non « accepisti?* ». Hos libros *de Peccatorum meritis et remissione*, et *Baptismo parvulorum* scripsit eodem anno 412., quo deinde sub anni finem scripsit *librum de Spiritu et litera*. Eamdem autem omnino doctrinam de insufficientia solius naturalis arbitrii et necessitate gratiae, quam tradit in libris de Peccat. mer. et remiss. verbis a Iansenio obiectis, eamdem, inquam, cum eadem Pauli interpretatione iteravit *libro de Spiritu et litera*, quem paulo post edidit, uti constat ex verbis per nos transcriptis: quare sicuti in hoc libro, ita et alio priore unice docet gratiam generice acceptam, quae *operatur, ut velimus etc.*, sive alliciendo tantum, sive etiam re ipsa efficiendo.

Ex iisdem verbis libri de Spir. et lit. num. 60. regula elucet Augustini plura testimonia interpretandi. Cum Augustinus dicit: hic, sive ille, sive aliqui, sive multi *non habent, non accipiunt Dei gratiam*, Iansenius semper intelligere solet, quod in illo, aut illis *non sit* Dei gratia, non eam Deus illis largiatur. Verumtamen ex citatis Augustini verbis in libro *de Spiritu et litera*, qui secundum opus Augustini est ex scriptis contra pelagianos anno primo publicae huius in Ecclesia contentionis, longe aliter sese explicat Augustinus, qui proinde exponendus non est secundum morem loquendi nostro saeculo usurpatum. Itaque *non habere*, *non accipere Dei donum*, sive Dei gratiam, sive suasionem, sive vocationem, nihil est aliud ex mente Augustini se ipsum exponentis, quam *non consentire*; esto in homine *sit* Dei donum gratia, suasio, vocatio. Dissentiens ergo habet et accipit Dei donum, gratiam, suasionem, vocationem internam quantum ad entitatem, sed non habet et accipit quantum ad effectum salutaris consensus, propter quem datur. Cum autem non habeat et non accipiat quantum ad effectum, Augustinus dicit simpliciter, quod non habet Dei donum neque accipiat. Hinc multa lux existit exponendo libro s. Augustini de Dono perseverantiae, ubi de acceptis aut non acceptis, Dei donis multiplex mentio.

Quod si donum Dei ex Augustino *est* in multis, qui non *accipiunt* neque *habent illud*, multo magis ex Augustino *erit gratia* in multis eorum, qui ea non iuvantur neque sanantur. Male itaque Iansenius ubi legit ex. gr. libro de Spir. et lit. cap. VIII. num. 13. *Quicumque faciebant quod lex iubebat, non adiuvante spiritu gratiae etc.* statim intelligit in iudaeis *non fuisse* spiritum gratiae. Atqui hoc non dicit Augustinus neque isto textu neque aliis sexcentis similibus; sed dicit eum spiritum non fuisse iuvantem: sicuti ergo duo sunt ex Augustino satis diversa, nempe donum Dei *esse*, et *haberi*, ita spiritum gratiae *esse*, et eo spiritu *iuvari*.

Tandem Augustinus ita concludit eum numerum 60. capitis XXXIV. *libri de Spir. et litera*. « Iam si ad illam pro- « fundidatem scrutandam quisquam nos « coarctet, cur illi ita suadeatur, ut per- « suadeatur, illi autem non ita: duo so- « la occurrunt interim, quae respondere « mihi placeat: *O altitudo divitiarum!* « *et numquid iniquitas apud Deum?* Cui « responsio ista displiceat, quaerat doc- « tiores, sed caveat, ne inveniat prae- « sumptiores ». Quibus confirmantur, quae diximus de gratia in hoc Augustini loco et similibus comprehendente tamquam sub genere veluti duas species efficacem ac sufficientem. Distinguit Augustinus *suasionem a persuasione* tamquam genus a sua specie. Est igitur *suasio* genus quoddam, quod subdividitur in eam, quae *ita suadet* ut *persuadeat*, et in eam quae *ita suadet* ut *non persuadeat*. Observa quoque, non proponi ab Augustino hanc interrogationem, quare uni suadeatur, alteri non suadeatur? Nam aliqua suasio omnibus communis est, etiam infidelibus; sed solum proponi, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi non ita? Non satis ergo

Iansenius animadvertit, quantum eius haeresis de sola gratia efficaci everteretur ab hoc libro *de Spir. et lit.*, cum adeo se in eius verbis ex eo referendis iactavit tom. III. lib. IX. de Gr. Chr. cap. XXIV. col. 499. et alibi.

Infertur praeterea. Cum suasio de qua August. totis iis Capitibus XXXIII. et XXXIV., dicatur etiam *vocatio*, *Dei donum*, *divinum munus*, dicatur id *quo agit Deus ut velimus*, dicatur id *quo agit Deus cum anima ut credat*, dicatur *id quo Deus ipsum velle credere operatur in homine*, dicatur *misericordia praeveniens nos*, dicatur *misericordia quam infideles contemnentes rei sunt ad damnationem sub potestate eius*; hinc sequitur et clarius comprobatur, quod gratia hos characteres habens non est sola gratia efficax, sed etiam sufficiens; quodque hac gratia tum efficacem tum sufficientem comprehendente, et usque ad infideles diffusa explicet Augustinus verba Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*; haec enim verba exponuntur in his capitibus.

Ex dictis praecipuum aliud corollarium existit. Cum enim *consentire*, ac *dissentire* vocationi idem sit, ac vocationem in *actu secundo efficacem* aut *inefficacem* esse secundum scholam Societatis, hinc sequitur, quod qua ratione, inhaerendo doctrinae sancti Augustini lib. de Spir. et lit. num. 60. propriae voluntatis est consentire vel dissentire, eadem ratione propriae voluntatis est facere Dei vocationem efficacem in actu secundo, vel inefficacem. Praeterea. Per vocationem ita *illi suadere, ut persuadeatur, illi autem non ita* suadere, ut persuadeatur, idem est in schola Societatis ac dare illi gratiam *in actu primo efficacem*, illi autem gratiam *inefficacem in actu primo*. Inde vero sequitur, quod qua ratione inhaerendo doctrinae s. Augustini, pertinet ad illam profunditatem divinae misericordiae et divinae iustitiae *ita illi suadere, ut persuadeatur, illi autem non ita*; eadem ratione ad eam profunditatem pertinet *dare* gratiam in actu primo vel efficacem vel inefficacem. Quapropter falsum est non aliam in schola Societatis doceri et propugnari re ipsa (quidquid sit de vocibus) efficaciam gratiae, quam quae talis sit a consensu vel dissensu liberi arbitrii. In qua falsitate persuadenda multus est Iansenius tom. III. lib. III. cap. III. per totum, et lib. VIII. cap. I. et passim alibi. Id etiam nobis appingunt Paulus Irenaeus in Disquisitionibus (Vide disq. XIV. pag. 103. et 116.) Arnald. in Diss. th. *de Gratia, quae s. Petro defuit* etc., et alii post ipsos ad nostra haec tempora, qui congruistas confundunt cum *Philippo Limborck*, ceterisque Remonstrantibus non aliam efficacem gratiam agnoscentibus quam ab eventu, seu efficaciam actus secundi. At nos utrumque dicimus cum Augustino: *consentire vel dissentire vocationi, propriae voluntatis est:* en efficacia actus secundi, et ab eventu ipso: gratuitae divinae misericordiae est *ita suadere*, *ut persuadeatur*, cum posset non ita suadere: en efficacia vocationis in actu primo. Quam tam saepe repetit l. I. ad Simplicianum quaest. II. num. 13. » *Non volentis*, inquit, *ne-* « *que currentis, sed miserentis est Dei*, « qui hoc modo vocavit, quomodo a- « ptum erat eis, qui secuti sunt vocatio- « nem » .... Et paulo post: « Si vellet « etiam ipsorum misereri, posset ita vo- « care, quomodo illis aptum esset, ut et « moverentur, et intelligerent, et seque- « rentur: verum est ergo *multi vocati*, « *pauci electi*. Illi enim electi, qui con- « gruenter vocati; illi autem, qui non « congruebant, neque contemperabantur « vocationi, non electi, quia non secuti, « quamvis vocati. Item verum est: *Non* « *volentis, neque currentis sed miseren-* « *tis est Dei*, quia etiamsi multos vocet, « eorum tamen miseretur, quos ita vo- « cat, quomodo eis vocari aptum est, ut « sequantur. Falsum est autem, si quis « dicit: Igitur *non miserentis Dei*, *sed* « *volentis*, *ac currentis* est hominis: quia « nullius Deus frustra miseretur; cuius « autem miseretur sic eum vocat quomo- « do scit ei congruere, ut vocantem non « respuat ». Quae omnino consonant doctrinae Societatis cum Suarez in opusculo de Concursu, motione, et auxilio Dei lib. III. cap. XIV. num. 9. « Omnimo- « dam efficaciam huius vocationis in hoc « consistere, quod Deus infinita sua sa- « pientia praevidens, quod unaquaeque

« causa seu voluntas in omni eventu, et « occasione operatura sit, si in ea con« stituatur, etiam cognoscit, quando et « cui vocationi sit unaquaeque voluntas « assensum praebitura, si ei detur ».

Vocatio hoc sensu efficax, idest in actu primo, non ita denominatur ab eventu, imo infallibiliter infert et causat eventum bonum sive consensum: per eam Deus, cuius vult miseretur, facit ut faciamus, et in praeceptis eius ambulemus, discernit operantem; per eam, ut loquitur Aug. de Corr. et gr. cap. XII. n.38. subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, per eam dat vires efficacissimas voluntati, ut alibi ait August., per eam habet cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem: quae omnia, aliaque sexcenta sive ex Augustino sive ex aliis patribus, conciliis, pontificibus cum ab annis centum sexaginta et amplius tum calamo, tum voce usurpemus, mirum est Iansenium, Paulum Irenaeum, Arnaldum, aliosque plures tam abuti patientia nostra, ut haec auribus nostris aut oculis ingerant tamquam obiectiones nobis infestas, cum sint et adhibeantur a nobis tamquam invictae doctrinae nostrae probationes.

Eam, quam exposui, duplicem efficaciam gratiae, idest non eam tantum, quae est in consensu, sed et eam quae infallibiliter praevenit, infert, et causat consensum, antiquissimam esse in schola nostra ab ipso initio controversiae de auxiliis constat ex eximio Suarez opusculo *de Concursu, motione, et auxiliis* edit. lugdunensis anni 1600. idest triennio ante disputationes coram Clemente VIII. coeptas. Legatur lib. III. capitibus VI., et XIV. Legatur etiam lib. de vera intelligentia auxilii efficacis cap. II., ubi praeterea eam efficaciam gratiae, quae non tantum sumitur ab effectu, a consensu, ab eventu, et quam haeretici Remonstrantes seu arminiani cum Philippo Limborck solam agnoscunt, sed etiam aliam se tenentem ex parte praevenientis auxilii sequuntur, ait Suarez, *quantum experientia, et relatione mihi constare potest, fere universi theologi Societatis*. Scribit *fere*; nam Lessius cum paucis dicebatur docere gratiam solum efficacem ab eventu, quam opinionem nulla *censura*, et *nota* dignam, ait ibidem eximius doctor. Caeterum ipse Lessius opusculo de Praedest. et reprob. sect. IV. in appendice, declaravit se et suos ab aliis Soc. theologis *re non discrepare, sed solis verbis*, dissertissimeque utramque gratiae efficaciam tum actus primi tum actus secundi eo loco se agnoscere professus est, imo hos ipsos terminos efficaciae in *actu primo* et *in actu secundo*, qui ad usus scholasticos academiarum faciles et expeditissimi sunt, non tam ex Suarez quam ex Lessio mutuati sumus, ut patebit Lessium et Suarezium comparanti citatis in locis.

Neque mirum esse debet theologos nostros non statim in usu earumdem vocum convenisse circa gratiae efficaciam, licet in re ipsa convenirent. Nam ipsamet gratiae divisio in sufficientem et efficacem, quantum ad hos terminos, teste ipsomet Arnaldo in dissertatione theolog. *de Gratia, quae s. Petro defuit*, nova est, neque in Scripturis neque in Augustino aliisque patribus aut conciliis, neque in ipso s. Thoma diserte reperitur. Haec monuisse necesse fuit contra tam multa, quae in Iansenio leguntur, et in disquisitionibus Irenaei, et citata Arnaldi dissertatione, aliisque multis. Nam nostra et impugnare volunt, et intelligere nolunt: qua de re antiquissima est nostrorum querela. Quare cum Eximius Suarez opusculum anno 1600. scripsisset de Concursu, motione, et auxilio Dei, et quaestionem de vera intelligentia auxilii efficacis disputasset, et illam: « iuxta inquit sinceram « Scripturarum veritatem, patrumque, « et conciliorum traditionem definire cu« raverim .... tam firma et inconcussa « sit veritas ibi stabilita, ut non solum « labefactari non potuerit, verum etiam « neque apparenter impugnari, nisi varia « confingendo, nobisque adscribendo er« rorum monstra, in quae tela argumen« torum dirigant ». Vide haec apud Suarez in prooemio libri *de Vera intellig. auxilii efficacis.*

Unica Iansenii responsio refellitur et data doctrina confirmatur.

At nondum protuli argumentationem invictam, qua probetur Augustinum hoc

libro de Spiritu et litera sub initium pelagianae contentionis scripto, asserere generalem voluntatem divinam salvandi omnes. Totus hic locus, quo docetur ea voluntas, adeo clarus est et perspicuus, ut Iansenius lib. II. de Gr. Ch. cap. XXX. alium exitum non repererit, quam ut diceret, toto eo loco non contineri doctrinam Augustini, sed pelagianorum : *Augustinum in isto loco nihil asserere, sed aliorum* (nempe pelagianorum) *tamquam dubiam proferre responsionem, et examini subiicere... Augustinum responsionem pelagianam, quae postea massiliensium fuit, disputando ventilasse ac propugnasse.* Cum autem rationes Iansenium deficiant, declamatorio dicendi genere usus, tragoedias movet toto eo capite suo XXX., *quod ita*, inquit, *manifestum est, ut mihi prodigii loco sit, quomodo in mentem alicui erudito venire possit verba quae ex illa disputatione decerpserunt, Augustini sensum continere.*

Hoc Iansenii mirabile paradoxum sola Augustini lectione refellitur. At in re tanta maiori contentione catholicis opus est. Nam rem, quam hoc loco discutiendam suscipimus, esse magni momenti fatetur Iansenius tom. III. lib. III. de Gr. Ch. cap. XXX. in fine, ubi postquam dixit : « Augustinum in loco, qui « obiectus fuit (lib. de Spir. et lit. « cap. XXXIII.) non tradere doctrinam « suam sed adversariorum, non docere « sed disputare, non asserere sed refelle- « re, adeoque mirabili hallucinatione re- « centiores nostros, (nempe Bellarminum « Suarez, Molinam et Lessium, quos no- « minaverat initio capitis) obiectionem « pro solutione, pelagianam responsio- « nem pro Augustini doctrina, errorem « pro veritate accepisse ». Quibus haec statim Iansenius subiicit. « Ut nemini « profecto mirum videri debeat, si post « istam capitalem offensionem, qua iugu- « lum divinae gratiae petitur, tota illius « intelligentia perturbata sit, et loco gra- « tiae, quae sibi humanam, cui datur, « subiicit voluntatem, gratias congruas « et sufficientes, et omnibus hominibus « communes, quae suis effectibus ex ar- « bitrii libertate frustrentur, iam olim ex « adversariis verae gratiae excogitatas, « defendi audiamus ».

Plurima habet in hanc rem ad revincendum Iansenium egregia p. de Champ. l. III. disp. VII. cap. XIII. Nonnulla addi possunt, et debent. Sed supponendum totum eum August. locum cap. XXXIII. et XXXIV. contineri quatuor numeris 57. 58. 59. 60.

Primo numero 57. continetur propositio quaestionis. *Sed consequens est paululum quaerere, utrum etc.* cum reliquis supra transcriptis.

Duobus numeris mediis 58. et 59. continetur disputatio Augustini, quam nos totam catholicam dicimus, Iansenius totam dicit pelagianam, et ex pelagianorum mente. *Prius igitur illud dicamus et videamus, utrum huic satisfaciat quaestioni etc.* cum reliquis supra transcriptis.

Postremo numero 60. confirmatur et vindicatur disputatio facta. *Haec disputatio si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat. Si autem respondetur etc.* cum reliquis, quae supra dedimus. Iam vero.

1. Ideo dicit Iansenius, *nihil evidentius, quam Augustinum in isto loco nihil asserere, sed aliorum tamquam dubiam proferre responsionem, et examini subiicere* : quia exordium disputationis contentae duobus mediis numeris 58. et 59. ita habet : *Prius igitur illud dicamus et videamus, utrum huic satisfaciat quaestioni, quod etc.* At hoc levissimum est: nihil enim frequentius, quam his aut similibus exordiis proponere propriam sententiam. In hoc ipso *libro de Spiritu et litt.* lege numerum 25. *Quem totum locum*, inquit Augustinus, *attende, et vide utrum quidquam propter circumcisionem etc.* : neque est dubium, quod ibi tradat August. propriam sententiam. Lege n. 53. *Quaerat aliquis utrum fides ipsa etc., quod facilius videbimus, si prius quid sit potestas etc.*; nec est dubium tradi propriam sententiam. Sed invictum erit contra Iansenium exemplum ex cap. XXVI. n. 43. *Videndum est autem, quomodo dicat Apostolus: Cum enim gentes, quae legem non habent etc. Pertractanda igitur haec quaestio etc. An forte eas gentes commemorawit Apostolus... quae ad novum pertinent Testamentum.* Si quo in loco, certe in isto dubitari posset, an Augustinus ex propria sententia loquatur. Et tamen Iansenius

tom. II. libro III. cap. VI. col. 573. « Augustinus respondet primo ex propria « sententia, totoque cap. XXVI. probat « Apostolum loqui de gentibus iam cre- « dentibus ». Vide itaque quanto magis dicendum sit, Augustinum ex propria sententia loqui in disputatione, quam versamus, et in qua non occurrunt hae vel similes formulae *An forte etc.*

2. Cum haec disputatio satis longa et prolixa sit, quippe quae versibus constet nonaginta tribus, si ea pelagiana fuisset, debuisset Augustinus de hoc monere lectorem. Exemplum est in hoc eodem libro cap. XIII. num. 21., ubi ex aliena persona male disputat per tres lineas: *Cito enim quippe dixerit etc.* At peracta tam brevi disputatiuncula, statim addit: *Sed quantum fallat ista discretio etc.* Ac sane ita iubet lumen ipsum naturae, praecipue cum haereses propositae sunt. At hoc non modo non facit August. post tam longam eam disputationem, de qua controvertimus, imo eam probat iis vocibus: *Haec disputatio si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat.* Ita ne doctor catholicus dixerit de pelagiana disputatione? neque de disputatione quacumque, sed de ea, qua quaerebatur, *utrum voluntas illa qua credimus, etiam ipsa donum Dei sit?* Quid enim illa significant: *haec disputatio, si quaestioni illi solvendae sufficit, sufficiat?* nempe ac si dixisset: qui hac disputatione contentus est, eam sibi habeat, eique adhaerat. Idne pronunciaverit Augustinus de pelagiana doctrina ac disputatione?

At cur ea moderatione utitur Augustinus: *Haec disputatio, si quaestioni solvendae sufficit, sufficiat?* Nempe quia perpicacioribus non sufficiebat. Praesto enim erat obiectio, quam statim sibi Augustinus proponit in doctrinam disputatione traditam, et statim solvit ex iis ipsis, quae in disputatione tradiderat. Obiectionem, et responsionem supra retulimus.

3. Quid est pelagianum in tota ea prolixa disputatione? «Nempe, ait Iansenius, « docetur, quod voluntas credendi surgat « de libero arbitrio, quod naturaliter, « cum crearetur, accepit ». At Augustinus addit: *Vocante Deo.* Vocatio autem sin minus in opusculis ante episcopatum scriptis, in hoc certe libro, imo hoc ipso loco, sumitur ab Augustino promiscue cum *suasione*, uti habes hoc numero 60.: *Suasio, vel vocatio, cui credat*; quid sit autem *Suasio* hoc ipso loco explicat per eas voces: « Suasionibus agit « Deus, ut velimus et ut credamus, sive « extrinsecus... sive intrinsecus etc. ». An haec pelagiana sunt? neque Iansenius hoc putat, qui doctrinam numeri 60. vere augustinianam putat.

4. Quia praeterquamquod tota ea disputatio optimam doctrinam praefert, et praecipue totus numerus 59. ex Scripturis contextus est divinae gratiae commendationem, satis fuerit ea verba proferre, quibus concluditur disputatio, si Iansenio credimus, pelagiana; « Ita nec « arbitrium liberum tollimus, et bene- « dicit anima nostra Dominum non ob- « liviscens omnes retributiones eius, nec « ignorans Dei iustitiam suam vult con- « stituere; sed credit in eum, qui iusti- « ficat impium, et vivit ex fide, donec « perveniat ad speciem, fide scilicet, quae « per dilectionem operatur. Quae dile- « ctio diffunditur in cordibus nostris, nec « per sufficientiam bonae voluntatis, nec « per literam legis, sed per Spiritum « Sanctum, qui datus est nobis ». Quisquis mediocriter versatus sit in lectione librorum s. Augustini contra pelagianos videt in paucis his lineis Augustinum contra eos pugnantem, videt praecipuos textus, quibus utitur Augustinus. Praecipue ultimus textus de dilectione diffusa non per sufficientiam bonae voluntatis, sed per Spiritum Sanctum, est fortasse omnium frequentissimus in ore s. Augustini contra pelagianos: quare ipsi iansenianí epigraphen inde confecerunt quam inscriberent trium tomorum Iansenii frontispitio. Pelagiani vero, tam ab hac doctrina abhorruere, ut non modo anno 412., quo scriptus est lib. de Sp. et lit. sed etiam sub obitum Augustini 430., sub quod tempus scripsit libros sex Operis imperfecti, neque, inquam, per ea tempora adducerentur ad confitendum, quod Deus donaret nobis caritatem. Hoc enim saepe in iis libris exprobrare Iuliano solet Augustinus. Satis sint ad aperte revincendum Iansenium, et ostendendum, quod eius una responsio ad tam gravem nostram argumentationem ex Augustino non tam

ratiocinantis, quam desperantis hominis est, satis inquam haec sint ex l. III. Op. imper. c. Iul. num. 106: « Tam multa « dicis (Iuliane), quibus nos adiuvat Deus, « idest, *praecipiendo, benedicendo, san-* « *ctificando, coercendo, provocando,* « *illuminando*, et non dicis caritatem « dando... In hac caritate, quae cordi « humano, spiritu non litera datur, e- « tiam potestas illa intelligitur, de qua « idem ipse in Evangelio suo, *dedit eis*, « inquit, *potestatem filios Dei fieri.* « Hanc vos ab homine esse dicitis homi- « ni per liberum arbitrium, spiritum ha- « bentes huius mundi, non eum, qui ex « Deo est, propter quod nescitis, quae a « Deo donata sint nobis. Ideo nec pacem « habetis cum Ecclesia de qua existis, « nec caritatem quam Dei esse donum « negatis, nec fidem, quia haeretici estis; « quoniam *pax fratribus*, et caritas cum « fide non ab humano libero arbitrio, « sed *a Deo Patre, et Domino Nostro* « *Iesu Christo.* Si agnoscis in his verbis « dogma Apostolicum, et in verbis tuis « agnosce te haereticum ». Et n. 114. « Cum quaeritur a vobis, quae sint ista « adiutoria gratiae Dei, edicitis quae su- « pra commemorasti, Deum adiuvare « *praecipiendo, benedicendo, sanctifi-* « *cando, coercendo, provocando, illumi-* « *nando*, quae omnia etiam per homines « fiunt secundum Scripturas...: non ta- « men, qui plantat est aliquid, sed qui « incrementum dat Deus...; quod non « fit... nisi caritate... Istam caritatem « non dat, nisi Deus, caritas enim ex Deo « est. *Hanc vos inter adiutoria gratiae*, « *quae commemoratis, nominare non vul-* « *tis*, ne hoc ipsum, quod obedimus Deo « eius esse gratiae concedatis. Putatis « quippe isto modo auferri voluntatis ar- « bitrium ». Haec scripsit Augustinus septemdecim fere annis post scriptum librum de Spiritu et litera, nempe scripsit sub finem vitae. Et tamen Iansenius putat esse pelagianam eam disputationem, in qua tam magnifice praedicatur Deus donator caritatis?

Haec autem omnia multo magis deservient iis iansenianis refellendis, qui plus aliquid ausi sunt magistro suo, et in libro, cui titulus, *de Initio piae voluntatis* pag. 16. docent Augustinum toto fere eo num. 60. nempe ad ea verba: *Iam si ad illam profunditatem etc.* loquutum fuisse de fidei dono, non secundum suam, sed secundum sententiam semipelagianorum. Quae responsiones iansenistarum desperantium de meliori responsione testantur, quantum sit roboris in testimoniis adductis.

Pars altera primae assertionis positae ostendenda est, in qua non eo solum sensu dicimus Augustinum progressu temporis post scriptum anno 412. librum de Spir. et lit. superaddidisse tres alias explicationes verborum Pauli *Qui vult omnes homines salvos fieri*, quod prima non improbata, tres alias proposuerit, omnes tamen non nisi disiunctive tenendas pro libito eligentium unam earum, reliquis missis. Non hoc tantum intendimus; sed Augustinum quatuor interpretationes diversis temporibus proposuisse, uti simultanee, sive forensi verbo, *cumulative* tenendas. Fundamentum ita asserendi est, quod Augustinus ab ipsis initiis episcopatus sui sibi firmissime persuaserit omnia et singula vera, quae quisque posset sub una litera intelligere, ad sensum Sacrae Scripturae literalem pertinere. Ita fuse lib. XII. Confess. (quos August. ordinatus episcopus anno 395. exeunte, scripsit anno 400.) a cap. XXIII. sed praecipue c. XXXI. n. 42. « Cum alius « dixerit: Hoc sensit (scriptor canonicus) « quod ego; et alius: imo illud, quod ego; « religiosius me arbitror dicere: cur non « utrumque potius, si utrumque verum « est? Et si quid tertium, et si quid quar- « tum, et si quid omnino aliud verum « quispiam in his verbis videt, cur non « illa omnia vidisse credatur, per quem « unus Deus sacras literas vera et diver- « sa visuris multorum sensibus tempe- « ravit? Ego certe, quod intrepidus de « corde meo pronuntio, si ad culmen au- « ctoritatis aliquid scriberem, sic mal- « lem scribere, ut quod veri quisque de « his rebus capere posset, mea verba re- « sonarent, quam ut unam veram sen- « tentiam ad hoc apertius ponerem, ut « excluderem ceteras, quarum falsitas « me non posset offendere. Nolo itaque, « Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc « illum virum de te meruisse non cre- « dam: sensit ille omnino in his verbis,

« atque cogitavit, cum ea scriberet, quid-
« quid hic veri potuimus invenire, et
« quidquid nos non potuimus, aut non-
« dum possumus, et tamen in eis inveni-
« ri potest ».

Haec est celebris s. Augustini sententia. Atque ab Ecclesia quidem hactenus definitum non est, plures sensus literales eidem literae aliquando convenire. Et quamvis patres aliquos locos varie interpretentur, et unusquisque suo modo mentem Spiritus Sancti conetur investigare, variisque modis eumdem locum explicet; nullus tamen patrum praeter Augustinum, quemadmodum observat p. Vasquez in I. p. disp. XVII. cap. III. n. 9., hactenus affirmavit eos omnes sensus ex intentione Spiritus Sancti eidem literae convenire. S. Augustinum, non sine tamen aliqua moderatione, secutus est s. Thomas I. p. q. I. art. 10.: « Non est inconveniens, inquit si etiam secundum literalem sensum in una litera Scripturae plures sint sensus ». Licet non defuerint ex scholasticis, qui sententiam s. Augustini diserte reiecerint: tamen propter Augustini auctoritatem communiter eam Scholastici secuti sunt, saltem temperamento aliquo adhibito, ut habes apud Vasquez loco citato.

Ceterum sive sequaris Augustini sententiam, sive ab ea recedas, perspicuum est quale systema sibi ab initio praescripserit Augustinus in interpretanda ad literam sacra Scriptura. Cum ergo quatuor sensus sive literales interpretationes proponat verborum Pauli, *Vult omnes homines salvos fieri*, non singulas disiunctive lectoribus exhibet, sed omnes complexive tenendas. Habes exemplum eodem lib. XII. Confess. c. XX. ubi quatuor literales sensus eorum verborum recitat, *In principio creavit Deus Coelum, et Terram*; et cap. XXI. quinque literales sensus earum vocum, *Terra autem erat invisibilis, et incomposita*. Et tamen eos omnes non ut disiunctive, sed ut *simul* veros, et a Moyse literaliter intentos approbat capite XXXI. Nec minus, imo magis inter se differunt, quam quatuor interpretationes verborum Pauli de divina voluntate salutis hominum, quas legimus in Augustino. Non ergo s. Doctor, quod maxime in hac re tenendum est, profert eas quatuor interpretationes verborum Pauli, *Vult omnes homines salvos fieri*, ut delectum permittat legenti, qui pro arbitrio unam seligat aliis reiectis; quod systemati Augustini in Scripturis literaliter explicandis omnino contrarium est. Neque mirabimur, quod aliqua interpretationum ab Augustino propositarum non videatur ita adaequata, ut verbis omnino satisfaciat. Cum enim eam proponit, non eam *solam* teneri posse dicit, neglectis aliis. Quod si omnes simul teneas interpretationes, verbis omnino satisfacies.

Assertum secundum, quod proposuimus, ut integra doctrina repraesentaretur, ne prolixitas taedium afferat, in alium commodiorem locum reiicimus.

Cap. LIII. Crux Christi, sepultura resurrectio etc. figura vitae christianae.

LIII. Quidquid igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in adscensione in coelum, in sede ad dexteram Patris, ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita christiana, quae hic geritur. Nam propter eius crucem dictum est: *qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis*. Propter sepulturam: *consepulti sumus Christo per baptismum in mortem*. Propter resurrectionem: *ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*. Propter adscensionem in coelum, sedemque ad dexteram Patris: *si autem resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram: mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*.

Rom. VI. 4.

Coloss. III. 1. etc.

Cap. LIV. Iudicium ultimum pertinens ad res in fine saeculi gerendas.

LIV. Iam vero quod de Christo confitemur futurum, quoniam de coelo venturus est vivos iudicaturus ac mortuos, non pertinet ad vitam nostram, quae hic geritur; quia nec in rebus gestis eius est, sed in fine saeculi ge-

Coloss. III. 4. rendis. Ad hoc pertinet quod Apostolus secutus adiunxit: *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria.*

Cap. LV. Iudicare vivos et mortuos duplici modo intellectum.

LV. Duobus autem modis accipi potest, quod vivos et mortuos Christus iudex iudicabit: sive ut vivos intelligamus, quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes inventurus est eius adventus; mortuos autem, qui de corpore, priusquam veniat ad iudicium, exierunt vel exituri sunt: sive vivos iustos, mortuos autem iniustos, quoniam iusti quoque iudicabuntur. Aliquando enim iudicium Dei ponitur in malo, unde illud est: *qui autem male egerunt in resurrectionem iudicii*: aliquando et in bono, secundum quod dictum est: *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua iudica me.* Per iudicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorumque discretio, ut liberandi a malo, non perdendi cum malis, boni ad dexteram segregentur. Propter quod ille clamabat: *iudica me Deus*: et quid dixerat velut exponens: *et discerne,* inquit, *causam meam de gente non sancta.*

Psal. LIII. 3.

Psal. XLII. 1.

Nota in cap. LV. Quae capite Enchiridii LIII. et tam saepe in praecedentibus dicuntur de perfecta efficacia baptismi ad remittendum peccatum originale, et alia quaecunque in baptizando inveniantur, gravissimam iterum difficultatem in scholis excitant, quomodo componi possint cum sententia celeberrima, quae s. Augustino tribuitur, reprobos baptizatos reprobari propter originale, utcumque in baptismo dimissum. Eos reprobari propter peccata personalia, quae, ut aiebat Aug. supra in cap. XXIV. Enchir. *emanant tamquam ex fontibus morborum ab errore, et concupiscentia,* poenis scilicet originalis peccati, imo quae ad partem materialem ipsius peccati originalis pertinent, iam dictum est *in nota* ad illud cap. XXIV. Sed plus aliquid alii volunt.

Quo in loco exponenda est Iansenii sententia de reprobatione propter peccatum originale: in qua involvi puto specialem quamdam erroneam falsitatem, quam praetermissam video a cl. p. de Champs in libris *de Haeresi iansenia-na,* longeque diversa est ab ea reprobatione propter originale, quam tuentur plures ex nostris, plures etiam ex schola thomistica et augustiniana cum cl. card. Henrico Noris; quamvis non ita obvium sit hoc discrimen afferre sane a plurimis non animadversum tum ex iis, qui impugnant, tum ex iis qui propugnant sententiam de reprobatione propter originale. Ceterum dum haec contra Iansenium disserimus, non novam quamdam haeresim illi obiicimus (haec enim declaratio ad Ecclesiae auctoritatem pertinet), sed difficultatem theologicam argumentando opponimus, et specialem in eo contrarietatem cum decreto Tridentini de efficacia baptismi asserimus.

I. Docet Iansenius tom. III. lib. X. de Gr. Chr. cap. II. Deum ante peccatum originale voluisse omnes homines salvos fieri per media, et gratias indifferentes: at post peccatum *illa*, inquit, *Dei aequabilitas erga omnes et singulos non amplius locum habuit:* aliquos mere gratuito praedestinavit, idest a statu damnationis, in quo per originale erant, liberare decrevit per remedium originalis, et adiutoria per se efficacia victricis delectationis.

II. « Hoc ipso, inquit, quod Deus non « omnes, sed certos tantum, et peculia- « riter selectos ex perditione seu damna- « tione, quam incurrerant, liberandos « esse decrevit, et illis solis beneficia li- « berationis danda praeparavit, iam ce- « teros exclusos esse et negative repro- « batos.... »

III. « Hoc ipso reliquos, qui sic ab illo « numero liberandorum beatissimo se- « clusi sunt et negative reprobati, etiam « positive reprobatos dici posse. Non enim « sic praeteriti sunt a Deo, ut quodam- « modo manserit voluntas eius de ipso- « rum salute vel perditione suspensa, « sed sic, ut fuerit voluntas eius fixa eos « relinquendi in illo statu, ex quo cete- « ros liberare statuebat. Ille autem citra « dubium perditionis ac damnationis est « status ». Huc faciunt, quae habet

Iansenius cap. III. « Si, inquit, respi-
« cias statum reprobationis, ex quo li-
« berandum est genus humanum, unde
« proprie hominum praedestinatio et re-
« probatio incipit, iam hoc ipso, ut di-
« ximus, quo quis a Deo alios liberan-
« dos praedestinante praeteritur, etiam
« velut indignus reiicitur, et proinde po-
« sitive reprobatur. Unde in s. Augusti-
« ni doctrina, etsi recte dici possit, ali-
« quos non esse praedestinatos, nullus
« tamen istius negativae reprobationis
« est usus, quia semper ei in omni signo
« divinae rationis positiva coniuncta est
« propter conditionem obiecti seu perso-
« nae, super quam utralibet cadit ». Ex
quibus vides quam distet Iansenius ab
iis theologis, qui docent Deum in primo
signo reprobare negative propter origi-
nale, in secundo negare auxilia efficacia,
in tertio reprobare positive etc.

IV. Idea autem clara ac distincta hu-
ius fixae voluntatis eos relinquendi in
statu damnationis pendet ex doctrina fun-
damentali, quam non solum libris prae-
cedentibus exposuerat Iansenius, sed hoc
ipso capite II. tamquam fundamentum
dicendorum praemisit. Ait igitur: « Non
« posse statui voluntatem quamdam ge-
« neralem qua Deus velit omnes ho-
« mines in damnatione primi peccati po-
« sitos salvos fieri; ex qua voluntate non
« solum generalia redemptionis remedia,
« sed etiam sufficientia adiutoria omni-
« bus etiam reprobis praeparaverit. Si-
« cut enim talia sufficientia adiutoria non
« dantur omnibus, imo nulla omnino
« post lapsum sunt, ita nec voluntas illa
« generalis ex qua promanare dicuntur».
Quibus consonant alia, quae praemise-
rat: « Adiutorium quo fit executio (me-
« riti, operis, voluntatis bonae) iam es-
« se tale, ut per hoc Deus in eis (electis)
« velle et operari, surgere et stare, me-
« ritum et perseverantiam, vitam et
« mortem in eis sub caritate operetur,
« nec ullum praeterea nunc dari medi-
« cinale Christi, quasi potentiale adiu-
« torium, quod sufficiens dicunt, cum
« quo, tamquam in libera sua volunta-
« te constituto, possit surgere aut stare,
« aut operari aut perseverare, si velit ».
Ex his constat secundum Iansenium idem
esse voluntatem fixam relinquendi illos
in sua damnatione, ac voluntatem relin-
quendi illos sine ullo remedio et sine ullo
auxilio tum efficaci, quod iis negat, tum
sufficienti, quod locum non habet post
lapsum Adae, ut docet Iansenius etiam
in verbis citatis.

V. « Porro ista positiva reprobatio
« (pergit Iansenius eodem cap. II.) non
« sic intelligenda est, quasi Deus hoc
« ipso quo quosdam liberandos ad aeter-
« nam vitam eligit, ceteros positive ad
« poenas omnes sensus, quas in inferno
« re ipsa pro peccatis omnibus passuri
« sunt, reprobando damnaverit. Hoc enim
« decretum sine dubio posterius est, et
« omnium futurorum peccatorum ipsius-
« que mortis in peccatis praesupponit
« praescientiam: sed ita potius, ut hoc
« ipso ceteros praeteritos positive volue-
« rit excludere ab aeterna vita, quae est
« in regno suo... Quod sane (ait) non est
« aliud, quam velle damnare, quatenus
« exclusio a vita aeterna et regno Dei
« gravissima creaturae rationalis est dam-
« natio ». Haec distinctio inter poenam
damni et poenam sensus est maxime no-
tanda, ne sententiam imponamus Iansenio
ab eius mente alienam, in quo plures
errarunt.

VI. « Secundum hoc igitur non est
« obscurum (ait Iansenius seq. cap. III.)
« quid de causa reprobationis positiva
« dicendum sit. Nam si de illa loquamur,
« qua Deus in eo signo, quo aliquos a
« perditione liberandos elegit, ceteros
« tamquam indignos liberatione vult in
« perditione relinquere et ab aeterna vita
« excludere; vera reprobationis istius
« causa est peccatum originale, quo pe-
« riisse et damnationem istiusmodi me-
« ruisse praevidentur... Eam s. Doctoris
(Augustini) indubitatam esse sententiam
« iusto pene volumine ostendi potest ».

VII. « Peccatum originale (inquit infra
eodem capite) esse causam reprobationis
« positivae, qua tamquam indignus re-
« pellitur ab aeternae vitae beneficio, si-
« ve iste parvulus vel adultus fuerit, sive
« ad tempus iustificandus (per baptis-
« mum etc.) sive in inquitatibus tota
« vita mansurus. Nam ut aliquis ex per-
« ditionis massa liberetur, ita videlicet
« ut non pereat, nec a regno Dei realiter
« adipiscendo divinae reprobationis de-

« creto exclusus esse censeatur, ad tem-
« pus iustitiam accepisse non est satis,
« sed eam ad finem usque retentam esse
« oportet ».

VIII. « Quod igitur obiiciunt (pergit paulo post) ex Tridentino.... *Nihil dam-*
« *nationis esse iis, qui sunt in Christo*
« *Iesu*, ac proinde non posse dici, quod
« reprobi, quibus istud peccatum dimis-
« sum fuerit, propter peccatum origi-
« nale damnentur, nihil, inquit Ianse-
« nius, isti doctrinae nocet. Nam quam-
« vis verum sit in multis culpam origi-
« nalem Christi baptismate deleri, cul-
« pamque semel deletam non iterum re-
« labendo reviviscere, nec propter illam
« iam deletam immediate posse eos regno
« coelestis haereditatis excludi, simul ta-
« men stabile verissimumque manet, pro-
« pter illam culpam, cui obnoxius homo
« iacuit, noluisse Deum ipsi totale bene-
« ficium liberationis decernere, et a per-
« ditione, sic ut eam reipsa evadat, libe-
« rare, hoc est secundum Augustini
« phrasim, noluisse ipsum a perditionis
« massa, gratiae seu beneficiorum suorum
« praedestinatione discernere, et proinde
« voluisse eum finaliter in perditione re-
« linquere ».

Haec est sententia Iansenii, quam dico specialem falsitatem continere Tridentino repugnantem *de efficacia baptismi* in originali delendo. Quod leviter rem consideranti difficile videbitur, cum videatur recidere in sententiam Suarez, Vasquez Simonnet, aliorumque plurium etiam ex nostra Societate, quos sequitur Noris in Vindiciis cap. IV. §. 10. Caeterum opinio haec catholica rite intellecta deteget errorem Iansenii.

Suarez de Praedest. l. V. cap. VI. n.5. sibi obiicit peccatum originale esse causam motivam, ob quam Deus iuste vult non dare illis hominibus congrua auxilia ad non committenda talia peccata, vel ad non perseverandum in illis usque ad mortem: in qua voluntate perseverat Deus, etiamsi remittat originale peccatum. Addunt alii exemplum aliarum poenarum, ut mortis, concupiscentiae etc., quas Deus, remissa culpa originali, non remittit. Totum hoc concedit Suarez. Addit tamen non sequi originale peccatum esse causam (etiam) partialem reprobationis, quando ipsum remittitur, sed ad summum esse quamdam occasionem remotam et removentem prohibens. « Nam, inquit, illa negatio auxilii congrui non est causa peccati; ergo neque est causa reprobationis, cuius peccatum est propria causa, ergo nec peccatum originale remissum dici potest causa reprobationis, etiamsi fuerit causa illius negationis auxilii ». Haec Suarez. Similia dicere possunt alii catholici, qui praeter auxilia efficacia admittunt auxilia sufficientia sive proxime sive remote, in quibus est card. Norisius.

Vis responsionis, quam eximius Doctor adhibet, in eo est, quod negatio auxilii congrui non sit causa peccati nec damnationis; quod verissime sumit Suarez: quippe qui cum catholicis praeter auxilium efficax agnoscit aliud proxime vel remote sufficiens, quo quis salvari potest.

Cum autem Iansenius unum agnoscat auxilium efficax, non autem praeterea alia sufficientia, uti ex verbis citatis et aliis hoc loco supponendum est, omnino diversa est Iansenii doctrina, et ex ea aliae consecutiones existunt, per quas, ut in aliis exemplis contingere solet, ex una falsitate in aliam velut per gradus delabitur. Ita enim in Iansenium argumentor.

Error est, te fatente ex dictis tuis ut patet num. 8., error est contra Tridentinum, quod propter culpam iam deletam in baptismo *Deus immediate excludat a regno coelestis haereditatis.*

Atqui hoc ipsum dicere convinceris, etsi fortasse erroneam hanc consecutionem ex tua doctrina descendere non animadverteris, et cum catholicis ac Tridentino efficaciam baptismi contra originale profitearis.

Nam haec tua sunt verba: « Stabile,
« verissimumque manet propter illam
« culpam (originalem immediate), cui
« obnoxius homo iacuit *noluisse* Deum
« ipsi totale beneficium liberationis de-
« cernere, et a perditione sic, ut eam re
« ipsa evadat, liberare, hoc est secundum
« Augustini phrasim, *noluisse* ipsum a
« perditionis massa gratiae seu beneficio-
« rum suorum praedestinatione discer-
« nere, et proinde *voluisse eum finaliter*
« *in perditione relinquere* ». Atqui hoc totum ex ipsis terminis est formaliter excludere positive a regno coelestis hae-

reditatis; ergo stabile verissimumque manet propter illam immediate culpam originalem, cui obnoxius homo iacuit, Deum a regno coelestis haereditatis hominem excludere, quod tu fateris esse contra Tridentinum et baptismi efficaciam in originali delendo.

Minor ex ipsis, ut dixi, terminis clara est: sed praeterea etiam tua est toto capite secundo et tertio, ex quo iam plura transcripsi, quae ad demonstrationis evidentiam iterum repraesento.

Cap. II. « Hoc ipso quoque reliquos, « qui sic ab illo numero liberandorum « beatissimo seclusi sunt et negative re- « probati, etiam positive reprobatos dici « posse. Non enim sic praeteriti sunt a « Deo, ut quodammodo manserit volun- « tas eius de ipsorum salute vel perdi- « tione suspensa, sed sic, ut fuerit *vo- « luntas fixa eos relinquendi in illo sta- « tu*, ex quo ceteros liberare statuebat. « Ille autem citra dubium *perditionis* ac « *damnationis* est status .... Hoc ipso « igitur, quo relinquuntur in statu dam- « nationis, positive quoque reprobati « sunt (idest positive exclusi a regno), « quia Deus non solum eos non vult libe- « rare, sed etiam positive vult in damna- « tione relinquere ». Igitur tu ipse confiteris, quod *velle finaliter in perditione relinquere*, idem sit ac positive reprobare seu excludere a regno.

Eodem cap. II. paulo post: « Porro « (inquis) ista positiva reprobatio non sic « intelligenda est, quasi Deus hoc ipso quo « quosdam liberandos ad aeternam vitam « eligit, ceteros positive ad poenas omnes « sensus, quas in inferno re ipsa pro pec- « catis omnibus passuri sunt, reproban- « do damnaverit: hoc enim decretum « sine dubio posterius est, et omnium fu- « turorum peccatorum ipsiusque mortis « in peccatis praesupponit praescientiam: « sed ita potius, ut hoc ipso ceteros prae- « teritos positive *voluerit excludere dum- « taxat ab aeterna vita*, quae est in regno « suo, seu, quod idem est, *positive no- « luerit* eos a toto statu perditionis, in « quo eos iacere videt, hoc est *finaliter « a perditione liberare*: quod sane non « est aliud, *quam velle damnare*, quate- « nus exclusio a vita aeterna et regno Dei « gravissima creaturae rationalis est damnatio ». Habemus igitur, quod ex tua sententia et explicatione *velle finaliter in perditione relinquere* idem est, ac « positive nolle finaliter liberare a toto perditionis statu, nolle liberare finaliter a perditione, positive velle excludere a vita quae est in regno, velle positive reprobare, velle damnare ».

Licet ergo tota reprobatio positiva ad poenam damni et ad poenam sensus secundum Iansenium dici possit sive mediate sive immediate ex originali culpa contingere, uti loquitur c. III. columna 1023., quoniam reprobatio ad poenam sensus est *mediate* tantum propter originale, immediate autem propter actuale grave; attamen reprobatio ad poenam damni est secundum Iansenium *immediate* propter originale etiam remissum, ut ostensum est: nam propter illud immediate non vult *totaliter a massa perditionis liberare et ex integro*, quae sunt voces ipsius Iansenii eodem cap. III. Ac sane inter peccatum originale etiam remissum et decretum nolens totaliter liberare baptizatum sed finaliter illum in perditione relinquere, quid est quod mediet in sententia Iansenii?

Id ipsum confirmo ex tua probatione, Ianseni, qua capite III. columna 1018. probas universalem hominum reprobationem propter originale peccatum: « Si « Deus (inquis) universum genus huma- « num in illa primae praevaricationis « iniquitate relinquere, et propter illam « damnare statuisset, nulla amplius de « quorumlibet reprobatione quaestio es- « set reliqua: nam perspicuum esset om- « nes ex illa prima, quae omnium fuit, « praevaricatione velut vera causa fuisse « reprobatos, ubi nulla alia causa fuit. « Cum igitur Deus quosdam tantum ex « illo genere in illa primae iniquitatis « damnatione relinquere, altissimo iustis- « simoque iudicio suo constituerit, pro- « fecto sic se cum istis relictis gerit, ac « si neminem inde liberare voluerit, et « proinde ipsos ibi relictos ex illa primae « originalis iniquitatis culpa reprobavit ». Atqui ista omnia aeque comprehendunt et qui nunquam ab originali iustificantur, et qui iustificantur per baptismum; ergo omnes ex illa culpa tamquam immediata causa reprobantur sive non tota-

liter liberantur, ideoque finaliter in perditione relinquuntur.

Vidit Iansenius dici posse, non omnes reprobos ita relictos in illo statu perditionis, quandoquidem post praevisum originale decreta illis fuit sufficientia ad salutem. Praeoccupat statim hanc responsionem Iansenius; cuius verba libenter repraesento, ut videas, quod teste ipsomet Iansenio, haec controversia de reprobatione propter originale omnino dependet in systemate ipsius ab haeresi eius negante auxilia sufficientia: « Nam quod, inquit, « scholastici plerique putant Deum post « lapsum habere adhuc voluntatem sal« vandi omnes omnino, nemine excepto, « et ex illa voluntate omnibus etiam re« probis sufficientem non solum redem« ptionem sed etiam gratiam praeparasse, « ab Augustini doctrina prorsus dissen« taneum est ».

Haec contra Iansenium. Quamvis autem his argumentis non impetantur ii catholici, qui docent Deum propter peccatum originale remissum negare in poenam gratias efficaces, concessis tamen sufficientibus, hoc enim non est positive damnare et excludere a regno Dei (quod est indicium certum odii, et irae in peccatorem, adeoque peccati non vere remissi); sed permittere ut homo id faciat culpa sua: negari tamen non potest, quod id maximam habeat arduitatem, fatente ipso card. Norisio aliisque ex eadem schola. Quare bene merebimur de s. Doctore, si s. Augustinum ab hac difficili opinione vindicemus.

Ut difficultas appareat eius sententiae, nonnulla distinguenda sunt. 1. Si Deus post Adae culpam nullum hominem reparare voluisset, sed omnes in poenam reliquisset sine originali iustitia, sine immortalitate, sine gloria coelesti etc., id non difficulter intelligitur ab agnoscentibus possibilem statum purae naturae: quid enim hoc est aliud, quam propter crimen capitis et principis familiae spoliare successores bonis indebitis et redigere ad statum sibi proprium ac naturalem?

2. Si Deus remisisset omnibus hominibus culpam originalem, restituta gratia sanctificante, imo originali iustitia cum adnexis privilegiis; noluisset tamen concedere perseverantiam cum gratiis efficacibus, sed tantum largiri inefficaces gratias sed verissime sufficientes, idque quia dominus est donorum suorum, secundum illud Evangelii: *Tolle, quod tuum est, et vade*: et illud Apostoli: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei*? si, inquam, ita Deus agere voluisset neque hoc praeseferret specialem arduitatem: id enim sequitur ex idea summi Domini, qui et nulla, et pauca, et plura pro suo libito potest dona concedere.

3. Longe tamen aliud est remittere originale, et deinde concessis solis vere sufficientibus negare efficaces gratias, non titulo summi Domini nihil cuicumque debentis, sed in *poenam* remissi peccati originalis. Si rex neget alicui magnum quemdam principatum, quia dominus est doni sui, aliud nihil ab eo quaeritur: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*. At si id neget in poenam, sive ut malum infligendum, profecto necessaria est culpa et quidem proportionata tanto bono, quo homo privatur. Quare si id rex faceret in odium peccati remissi, videretur pugnantia loqui. Quid enim esset aliud retinere regiam iram et odium erga hominem, si hoc non esset?

Similia dixeris in re nostra. Negatio auxiliorum efficacium res est momenti gravissimi, ut omnes sciunt. Si infligatur ut poena, idest ut malum vindictae, erit utique gravissimum poenae malum. Si ergo dicas inferri propter peccatum remissum, videberis ludere in vocibus. Est ne hoc remittere sincere peccatum, in eius odium infligere reconciliato homini tantum malum?

At inquit Norisius cum aliis. Propter originale remissum Deus punit nos poena mortis, poena concupiscentiae etc.

Respondetur: non ita difficile intelligitur, Deum vere remittere peccatum originale, et tamen irrogare nobis poenam concupiscentiae ac mortis: nam haec sunt et materia doloris et materia meriti; praeterea non sunt nisi breve et temporale malum: quamobrem ita relictam concupiscentiam, ait August. l. IX. de Gen. ad lit. cap. X. n. 18. « ut quemadmodum de « peccato factum est supplicium, sic de « supplicio fiat meritum ». Lib. autem II. *de Pecc. mer. et rem. cap. XXXIII.* n. 53. pelagianis obiicientibus: *Si pec-*

cato mors ista corporis accidisset, non utique post remissionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit, mereremur: respondet Augustinus: « Non intel- « ligunt quomodo res, quarum reatum, « ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, « tamen eas ad certamen fidei sinit mane- « re, ut per illas erudiamur, et exercean- « tur proficientes in agone iustitiae ». Quae doctrina complectitur non mortalitatem tantum, sed etiam concupiscentiam et reliquas poenalitates. Ac sane qui legerit Augustinum capitibus XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. eius libri secundi: qui consideret quanta contentione doceat non repugnare perfectae remissioni peccati originalis, quod post remissionem homo affligatur, quia scilicet mala haec sunt *universim* materia meriti: quam insistat huic rationi et in loco hoc et in reliquis libris: omnino sibi suadebit, quam alienus Augustinus ab eo sit, qui asserat, post remissionem puniri originale ea poena gravissima negati auxilii congrui etiam finalis; qua poena nemo uti ad meritum potest. Dixi supra *universim:* nam ut recte monet Augustinus lib. III. c. Iulian. cap. III. n. 9. *malis in virtute exerceri infantilis aetas non potest:* et tamen etiam post remissum originale affligitur; quamquam et id deserviat exercendae virtuti adultorum. Quare exempla haec de poena concupiscentiae, poena mortis etc. video potius retorqueri in adversarios posse.

Erit ergo utilissimum amovere hanc invidiam ac difficultatem a doctrina s. Augustini, quam Norisius ipse in praef. *ad Vindicias* merito dolet traduci a multis minus modestis censoribus *ut implexam et inextricabilem*: quarum censurarum meritum non in Augustino est, me iudice, sed in interpretibus nonnullis, qui alienas ab Augustino opiniones, easdemque satis duras tanto doctori affingunt.

Sedulo itaque expensis iis omnibus libris, in quibus multi eum censent doctrinam tradere de propria reprobatione aut negatione gratiae efficacis finalis propter originale remissum, cuiusmodi sunt praecipue epistola CLXXXVI. ad Paulinum al. CVI., epistola CXC. ad Optatum al. CLVII., ep. CXCIV. ad Sixtum al. CV., libro II. ad Bonifacium capite VII., l. III. contra Iul. cap. III., Enchir. cap. XCVIII. et XCIX. quae a Norisio aliisque citantur, assero, Augustinum in his aliisque omnibus locis, *ubicumque agit de punitione peccati originalis per negatam gratiam*, agere de peccato originali non remisso.

Ut itaque Augustinus probet contra pelagianos gratiam dari et non ex meritis, constantissime ex eo argumentatur locis indicatis aliisque, quod ex una eademque massa peccato originali infecta alios per supplicium debitum relinquat in damnatione a regno Dei (ibi enim non agi solere ab Augustino de damnatione ad graves poenas sensus debitas peccatis actualibus, fatetur ipse Iansenius l. X. de gr. Chr. cap. III.), alios per indebitam misericordiam liberet: quae liberatio in *spiritualiter renatis, carnalibus, parvulis, lactentibus in Christo fit per gratiam inchoatam*, ut diserte habet, et maxime notandum est lib. I. ad Simplic. qu. II. n. 17., qui liber ipse est, quem primo loco Iansenius opponit lib. X. de Gr. Chr. c. III. In horum autem numero sunt *proficientes* ut ibidem loquitur, et quorum gratia *in spiritualem consurgit aetatem*, sunt etiam alii, qui ab accepta iustificatione deficiunt.

At ubi Augustinus agit de duobus iam regeneratis et iustificatis, quorum unus perseverando proficiat, alter ab accepta iustitia deficiat, nunquam hoc refundit in peccatum originale in utroque remissum tamquam in causam, ob quam unum cadere sinat, cum alterum a lapsu liberat. Dixi tamquam in *causam*. Nam si quando agens de duobus ab originali culpa iustificatis nominat massam originali infectam seu damnatam, ea non sumitur in motivum deserendi iustificatum, sed ut principium argumentandi hoc pacto. Si uterque iustus olim erat in massa damnata, in qua poterat relinqui, si deinde ex ea utrumque extrahat, sed uni perseverantiam concedat, alterum sinat ad eamdem damnationem reverti, idest unum perpetuo extrahat, alterum veluti ad tempus; minus hoc mirari debemus, minusque de Deo conqueri. Huiusmodi aliquid indicat Augustinus l. II. Op. imp. c. Iulian. num. 142.

Hos esse Augustini sensus experiamur

obiter in ep. CXC. al. CLVII. ad Optatum, ubi c. III. n. 9. « Merito autem (inquit) « videretur iniustum, quod fiunt vasa « irae ad perditionem, si non esset ipsa « universa ex Adae massa damnata ». Nempe sicut Deus non potuit primum hominem in statu peccati creare, ita ut ab initio esset vas irae, ita neque fieri possent vasa irae illi qui nascuntur, si non ab alio, quam a Deo traherent peccatum, idest si non esset ipsa universa Adam massa damnata. Pergit: « Quod ergo fiunt in« de nascendo vasa irae, pertinet ad de« bitam poenam; quod autem fiunt rena« scendo vasa misericordiae pertinet ad « indebitam gratiam » : idest nascuntur homines in originali ex debita poena, regenerantur autem quicumque regenerantur ex indebita misericordia. Sermo est igitur de infectis originali peccato, et ratiocinatio Augustini fluida ac liquida est, non salebrosa non impedita. Vide etiam Aug. l. II. Op. im. c. Iul. n. 212., qui est appositissimus in hanc rem.

Dices: Augustinus hic nominat *vasa irae* idest reprobos, *vasa misericordiae* idest praedestinatos in gloriam; ergo docet omnes reprobos, etiam regeneratos per baptismum, reprobari propter originale. Respondeo: Ecce tibi, quam impedita et inextricabilis fiat ex tua hac interpretatione ratiocinatio Augustini: quam hic vocat *debitam poenam*, post duas lineas vocat *iustam fixamque vindictam, quia de stirpe inobedientiae ducitur propago peccati atque supplicii.* Quis autem comprehendat, quod Deus sincere remittat originale regeneratis, et habeat erga illos propter originale *iustam fixamque vindictam ad perditionem?* Haec et similia in causa sunt, ut detur ansa censoribus obloquendi de doctrina Augustini.

At quid dicendum ad illa *de vasis irae de vasis misericordiae?* Respondeo esse plusquam falsum, quod *vasa irae* apud Augustinum universaliter significet reprobos, *vasa misericordiae* significet praedestinatos in gloriam. In lib. I. ad Simpl. q. II., quem librum primo loco obiicit nobis in hac controversia Iansenius, omnes corinthios a Paulo baptizatos, utcumque *carnales, parvulos, lactentes*, dicit ex ipsa regeneratione factos *vasa in honorem*, et id saepe habet. Putas omnes fuisse praedestinatos? Ita loquebatur Augustinus sub initium episcopatus sui, cum eos libros scripsit an. 397.; neque hunc loquendi modum improbavit deinde in Retractationibus. Verum quid alios libros quaerimus? Nonne id apparet in ipsis citatis huius epist. ad Optatum verbis? « Fiunt, inquit, nascendo vasa « irae... fiunt renascendo vasa miseri« cordiae » : hoc catholice dici potest de solis vasis irae secundum praesentem iniustitiam, et de vasis misericordiae secundum iustitiam quoque praesentem: si vasa irae hoc loco sunt reprobi, quotquot ex Adae massa nascuntur, reprobi sunt: si vasa misericordiae hoc loco vocantur electi, omnes regenerati electi sunt. Quo quid magis erroneum, et repugnans?

Videamus sequentia ep. cit. n. 10.: « Deus.... ostendit et potentiam suam, « qua bene utitur etiam malis ad exer« cendos et comparatione admonendos « bonos accommodans, ut in eis discant « agere gratias Deo, quod ab eis non suis « meritis, quae in eadem massa paria « fuerunt, sed illius miseratione discreti « sunt ». Et hoc loco sermo est de malis in massa originali secundum statum praesentem relictis, et de christianis per regenerationem discretis ab eadem massa infecta; ad eos enim omnes tum perseveraturos, tum non perseveraturos *exercendos et comparatione admonendos* ordinatur multitudo illa infidelium non regeneratorum: omnes regenerati tum perseveraturi tum non perseveraturi, neque soli invisibiles praedestinati, qui nec sibi nec hominibus noti sunt, discere debent agere gratias Deo, quod ab infidelibus divina miseratione discreti sint.

Dices repugnare Augustino, quod omnes regenerati dicantur discreti a massa perditionis. Nam l. de Cor. et gr. c. VII. n. 12. soli regenerati et habituri donum perseverantiae dicuntur discreti a massa damnata secundum praescientiam et praedestinationem. Respondeo: imo hoc totum stare a me; omnes regenerati per baptismum discernuntur in *praesenti* a massa damnata: soli autem perseveraturi dicuntur discreti cum addito, nempe *secundum praescientiam, et praedestinationem* quae respiciunt statum futurum. Nam regenerati sine dono perseverantiae *nunc*

quidem discreti sunt a massa damnata, sed ad eamdem revertentur; *nam secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis*, ait Aug. l. de Dono persev. cap. IX.

Simile quid habes l. de Corr. et gr. c. IX. n. 20. ubi docet de non perseveraturis, quod cum pie vivunt, dicuntur Filii Dei (quae appellatio de praesenti propriissima est secundum Scripturas, Ecclesiam, ipsumque Augustinum): « sed quo« niam, inquit, victuri sunt impie, et in « eadem impietate morituri, non eos dicit « filios Dei praescientia Dei ». Ceterum dicere, quod hi *non sint* Filii Dei non est absolute verum, sed cum addito *secundum praescientiam*. Similia dicit Augustinus de filiis diaboli transferendis ad filios Dei.

Quod autem Augustinus agens de duobus iam regeneratis, quorum unus perseverat, alius non perseverat, derelictionem huius non refundat in peccatum originale remissum, frequentissima quidem inductione probari posset, sed satis sit liber de Dono perseverantiae, ad quem adversarii provocant.

Cap. VIII. num. 16. « Sed cur, in« quit pelagianus, gratia Dei non secun« dum merita hominum datur? Respon« deo, quoniam Deus misericors est. Cur « ergo, inquit pelagianus, non omnibus? « Et hic respondeo; quoniam Deus Iudex « est.... Qui ergo liberatur, gratiam di« ligat, qui non liberatur, debitum agno« scat ». Et hoc quidem numero agit Augustinus de reprobatione absoluta. Pergit num. 18. de reprobatione comparativa: cur in eadem causa me, quam illum potius puniet, aut illum, quam me potius liberabit? Respondet Aug. « Quia in « hac re sicut iusta est ira eius, sicut ma« gna misericordia eius, ita inscrutabilia « iudicia eius ». In his agitur de reprobatione positiva propter originale, sed eorum, in quibus non fuit remissum: ubi obiter vides eodem modo loqui de absoluta, et de comparativa reprobatione.

Audi sequentia ibid. n. 19: « Adhuc « pergat, et dicat pelagianus: cur quibus« dam, qui eum coluerunt, bona fide per« severare usque in finem non dedit? » Iam vero non invenies Augustinum recurrere ad iram Dei debitam massae perditae, sed ad alia confugit: puta ad bonorum timorem, non tamen ad Deum iratum propter massae peccatum. Et iterum infra cap. IX. n. 21 utrumque complectitur: « Ex duobus itaque parvulis origi« nali peccato pariter obstrictis, cur iste « assumatur, ille relinquatur, et ex duo« bus aetate iam grandibus, cur iste ita « vocetur (ab infidelitate ad fidem), ut « vocantem sequatur, ille autem aut non « vocetur (nempe ab infidelitate ad fi« dem), aut non ita vocetur, inscrutabi« lia sunt iudicia Dei (quia ut supra di« xerat n. 18. *in hac re sicut iusta est ira « eius, sicut magna misericordia eius, ita « inscrutabilia sunt iudicia eius*). Ex « duobus autem piis, cur huic donetur « perseverantia usque in finem, illi non « donetur, inscrutabiliora sunt iudicia « Dei ». Ubi hic recursus ad poenam debitam massae perditae? Imo vides recurrere ad alium, atque diversum iudiciorum Dei ordinem.

Dices 1. ex Norisio: Aug. l. I. q. II. ad Simplicianum et alibi docet Deum odio habuisse Esau peccatorem, cuius tamen originale peccatum remissum fuit per circumcisionem octavi diei. Resp. Deus odio habuit Esau peccatorem sive relate ad illud tempus, quo reus erat originalis non remissi, sive relate ad illud tempus, quo iam ratione utens reus fuit actualium. Quod autem Deus odio habuerit Esau relate ad illud tempus intermedium, quo mundus erat et ab originali et ab actualibus, et quidem odio habuerit propter originale remissum, nullibi dicit aut insinuat Augustinus. Ac sane secundum fidem et eumdem Augustinum a peccato remisso non denominatur homo peccator.

Dices 2. ex eodem: Augustinus l. de Corr. et gr. cap. XI. n. 32: « Si autem « hoc adiutorium vel angelo vel homini, « cum primum facti sunt, defuisset . . . « non utique sua culpa cecidissent:... nunc « autem, quibus deest tale adiutorium, « iam poena peccati est ». Ergo negatio auxilii proxime sufficientis, cuiusmodi erat illud Adae, deest modo in poenam peccati, et quidem originalis, quod in multis nempe in regeneratis remissum est. Respondetur: adiutorium illud Adae constituebatur praecipue gratia sanctificante, et habituali caritate in creatione

accepta, quae modo deest vel in poenam originalis in nondum regeneratis, vel si quis a iustificatione accepta decidit, in poenam actualis.

Dices 3. ex docto recentiore tom. I. l. VI. de Theologicis disciplinis cap. 18. Augustinus in Epist. ad Sixtum: *Quaerimus,* inquit, *causam praedestinationis, et invenire non possumus; quaerimus causam derelictionis, et invenimus eam causam esse peccatum originale.* Respondeo cl. hunc auctorem ex minus quodam accurato scriptore, eius fidem secutum, ista transcripsisse non enim ista reperiuntur in ea epistola, sed prorsus alia, ubi loquitur de prima Iustificatione c. III. n. 12. « Fides igitur ad Christum nos trahit, quae « nisi desuper gratuito munere nobis dare- « tur, non ipse diceret, *nemo potest veni- « re etc.* » et infra num. 14. « Quaerimus « namque meritum obdurationis, et inve- « nimus (loquitur autem de obduratio- « ne infidelitatis sine baptismate): merito « namque peccati universa massa damna- « ta est; nec obdurat Deus impertiendo « malitiam, sed non impertiendo miseri- « cordiam. Quibus enim non impertitur « nec digni sunt, nec merentur, at potius « ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc « merentur. Quaerimus autem meritum « misericordiae, nec invenimus, quia nul- « lum est, ne gratia (primae iustifica- « tionis ab originali) evacuetur, si non « gratis donatur, sed meritis redditur ». Hinc statim haec alia subiicit n. 15. « Si « enim dixerimus fidem praecessisse, in « qua esset meritum gratiae (ita enim dicebant plures, ut patet ex Exposit. ep. ad Galatas l. I. ad Simpl. q. II. ex Enchiridio etc. de Gratia primae Iustificationis), quid « meriti habebat homo ante fidem, ut ac- « ciperet fidem »? Haec planissima sunt in nostra sententia; si haec transferas ad iustos decidentes a iustitia, culpa erit non Augustini, sed interpretis, cum omnia implexa atque difficilia senseris.

Cap. LVI. De Spiritu Sancto et Ecclesia recto ordine dictum in symbolo.

LVI. Cum autem de Iesu Christo Filio Dei unico Domino nostro, quod ad brevitatem confessionis pertinet, dixerimus, adiungimus sic credere nos et in Spiritum Sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quae Deus est: deinde Sancta commemoratur Ecclesia. Unde datur intelligi rationalem creaturam ad Ierusalem liberam pertinentem, post commemorationem Creatoris, id est summae illius Trinitatis fuisse subdendam. Quoniam quidquid de homine Christo dictum est, ad unitatem personae Unigeniti pertinet. Rectus itaque confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subiungeretur Ecclesia tamquam habitatori domus sua, et Deo templum suum, et conditori civitas sua. Quae tota hic accipienda est, non solum ex parte quae peregrinatur in terris, a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, et post captivitatem vetustatis cantans canticum novum; verum etiam ex illa, quae in coelis semper, ex quo condita est, cohaesit Deo, nec illum malum sui casus experta est. Haec in sanctis angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti, sicut oportet opitulatur: quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo caritatis, quae tota instituta est ad colendum unum Deum. Unde nec tota nec ulla pars eius vult se coli pro Deo, nec cuiquam esse Deus pertinenti ad templum Dei, quod aedificatur ex diis quos facit non factus Deus. Ac per hoc Spiritus Sanctus si creatura non creator esset, profecto creatura rationalis esset; ipsa est enim summa creatura. Et ideo in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia et ipse ad Ecclesiam pertineret in illa eius parte, quae in caelis est. Nec haberet templum, sed etiam ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit Apostolus: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo?* De quibus alio loco dicit: *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi?* Quomodo ergo Deus non est, qui templum habet? aut minor Christo est, cuius membra templum habet? Neque enim aliud templum eius, aliud templum

1. Cor. VI. 19.

2. Cor. III. 16.

Ibid. 15.

Dei est, cum idem dicat Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis.* Quod ut probaret, adiecit: *Et Spiritus Dei habitat in vobis.* Deus ergo habitat in templo suo non solum Spiritus Sanctus, sed etiam Pater et Filius, qui etiam de corpore suo per quod factus est caput Ecclesiae, quae in hominibus est, ut sit ipse in omnibus primatum tenens, ait: *Solvite templum hoc et in triduo suscitabo illud.* Templum ergo Dei, hoc est totius summae Trinitatis, sancta est Ecclesia, scilicet universa in caelo et in terra. Io. II. 19.

Doctrinam Incarnationis, quam Augustinus tradiderat in superioribus concludit hoc capite: quare in hunc locum aliqua transtulimus, quae eidem illustrandae opportuna videri possunt.

D. de Beausobre in Historia Manicheismi cap. I. *modus*, inquit, *quo ss. Patres Incarnationem explicant,* supponit *essentiam divinam esse corpoream.* Addit deinde quantum ad patres graecos (*a*): *Audeo dicere, vel modus explicandi Incarnationem usurpatus a patribus graecis non est nisi falsarum idearum congeries ac vocum nihil significantium, aut sibi animo repraesentarunt naturam divinam uti subtilem materiam.* Quae tam acerba censura in latinos etiam patres aequo iure trahi potest.

Nihilo reverentior in patres et Ecclesiam latinam ac graecam est d. Petrus Bayle in Dict. articulo *Nestorius*, ubi scribit: *Cyrillum inter ac Nestorium litem fuisse non nisi de voce, esset nec ne B. Virgo appellanda Mater Dei, de re utrosque consensisse.* Id si ita sit, insignis infamia inuritur Ephesino Concilio, tum reliquis post ipsum atque Ecclesiae universae.

Non est mihi praetereundus Benedictus de Spinoza Epist. XXI. ad Oldenburgium an. 1675. *Quod quaedam Ecclesiae his addunt, quod Deus naturam humanam assumpserit, monui expresse me quid dicant nescire. Imo ut verum fatear, non minus absurde mihi loqui videntur, quam si quis mihi diceret, quod circulus naturam quadrati induerit.* *Nota I. ad caput LVI.*

Ut res tanta dilucide teneatur, tota est ad simpliciores, et pauciores terminos revocanda, quod non modo in suis aequationibus conficiendis arithmetici algebristae consuevere, sed theologi quoque celebriores quantum subiecta materia patitur (*b*).

Duplex igitur idea, quantum fieri potest, concipienda perspicue est: altera unionis, altera personae.

Atque unio quidem humanitatis cum Verbo divino a veteribus latinis patribus frequentius unitio dicitur. Tum etiam aliquando adunatio, consertio, sociatio, concordia, foedus, confoederatio, foederatio, confibulatio, connexio, contextio, concretio, conventio, mixtio, commixtio: Augustino autem dicitur coáptatio, susceptio, coniugatio, mixtura, accessus.

Qui graecorum nominum syllabum velit (*c*) adeat Petavium librum III. de

(*a*) Crederes proprium esse novatorum vel patres secum ipsis committere, vel graecos nominatim carpere atque insectari. Vesanas Lutheri voces a Calvino in altero Institutionum libro repetitas cap. I., nemo est qui ignorat; ac nemo item est eruditorum quem lateat, qua contemptione Iansenius in *libro proemiali* cap. XVII., ac rursum in libro Parallel. not. 76. graecos doctores habuerit. At vero orthodoxa pietas probe novit, neque linguarum varietate, neque intervallis locorum unitatem fidei, conspirantemque professionem violari. Quare nil habet antiquius, quam patres eodem vereri obsequio, atque illud repetere quod in oecumenicis conciliis V. (collat. V.) et VI. (actt. X. XVIII.) inculcatum legit: κατα την των αγιων πατερων διδασκαλην κηρυττομεν. Sed hac de re consuli debent quae praeclarissime disserunt s. Thomas in opusculo ad Urbanum IV., et Georgius Scholarius in oratione coram patribus florentinis. C. P.

(*b*) Merito hac limitatione utitur auctor; iampridem enim in priore ad Loefflerum epistola Leibnitius animadvertit, mathematicam demonstrandi rationem ad theologicas controversias aegre traduci. Immo et istud adiecit, quod nolim silentio praetermissum: *artem demonstrandi paucissimi tenent, et plerique paralogismos consuunt sub demonstrationis schemate.* C. P.

(*c*) Solemniora vocabula, quibus patres unitionem Verbi cum humana natura declararunt, ista sunt: συνυφαινεσθαι, Origenes adver. Celsum lib. III. n. 28; συμφυναι, Hippolytus de Incarnat. adver. Beronem et Helicem n. 4.; κρασις, Irenaeus lib. III. cap. XIX. n. I., Ori-

Incar. capite I. quorum praecipuum est ενωσις.

Hanc autem unionem quamvis passim ineffabilem patres praedicent, declarare tamen conantur I. per negationem. Eam non esse secundum inhabitationem, affectum, dignitatem, auctoritatem, potestatem, operationem, equivocationem nominum. Haec passim Cyrillus, aliique cum s. Thoma III. p. q. II. a. 6. Decem alios modos excludunt Maximus Martyr, opusculo XII. per Tarrianum edito p. 148. et Euthymius in Panoplia tit. VII. Lat. Ed. p. 144. Hac ratione plurimi patrum explicuere divinam naturam, dicendo quid non sit Deus. Addo: cum patres explicare videntur positive hanc unitionem, quod sit secundum naturam substantiam et subsistentiam, testimoniis frequentissimis erudite congestis a Petavio l. III. de Incar. c. IV. praecipue tamen illud negatum intendunt, quod non sit secundum *affectum, dignitatem, honorem*, ut constabit eorum verba expendenti.

II. Declarant per affirmationem utentes praecipue celebri exemplo unionis inter animam et corpus. Quemadmodum ea unione fit, ut ex anima et corpore existat homo aut aliud quodvis animal vivens, ita vi huius praestantissimae unionis ex Verbo Deo et humanitate fit homo Deus, sive Emmanuel. *Sic autem quidam*, ait Augustinus ep. CXXXVII. al. III. n. 11., *reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re quae quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personae anima unitur corpori, ut homo sit, ita* in unitate personae Deus « unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo per« sona mixtura est animae et corporis, in « hac persona mixtura est Dei et homi« nis si tamen recedat auditor a consue« tudine corporum, qua solent duo li« quores ita commisceri, ut neuter servet « integritatem suam ».

Modus autem, inquit alibi Augustinus lib. XXI. de civ. c. XI. *quo corporibus adhaerent spiritus et animalia fiunt, omnino mirum est. Nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est.* Addit Augustinus eadem epistola ad Volusianum CXXXVII. eodemque num. 11.; facilius credi debuisse possibilem unionem Verbi Divini incorporei cum anima Christi incorporea, quam uniones animarum incorporearum cum humanis corporibus, quod *quotidie inquit ad procreandos homines duarum rerum incorporearum commixtio facilius credi debuit quam unius* incorporeae.... *ac per hoc Verbi Dei et animae credibilior debuit esse permixtio quam animae et corporis. Sed hoc in nobis quotidie experimur, illud in Christo credere iubemur.*

Haec Augustinus anno 412. Paulo post in oriente similia, s. Cyrillus saepissime hac similitudine usus. *Dicimus* (inquit Scholat. de Incarn. Unigen. capite V.) *quod deceat cogitare, quamvis minor sit oratio veritate, talem esse adunationem Emmanuel, qualem quis intelligat et animam hominis ad suum corpus habere.*

Hactenus de idea Unionis. Ideam personae nobis repraesentat singularitas perfecta, intellectiva, incommunicata. In hanc conspirant innumera Conciliorum ac patrum graecorum ac latinorum testimonia apud Petavium in libris de Trinitate et Incarnatione, si ea ut par est,

genes con. Celsum lib. III. n. 41., Methodius in Convivio decem Virg. Orat. III. nn. 4-8., Gregorius Nissenus adver. Eunomium Oratt. II-V, Ephraem apud Assemanum Biblioth. Orient. Tom. I. pag. 80.; συμβασις οικονομικη, Cyrillus passim; συνδρομη, Gregorius Nazianzenus Orat. XXXI; ενωσις, Origenes adver. Celsum lib. III. n. 41.; συμβασις συνδρομη, Cyrillus de Incarnat. cap. XXXII., et ενωσις φυσικη, Cyrillus Anath. III. Ceterum priusquam Nestorii nomen audiretur, ac nestorianae controversiae infestam haberent Ecclesiam, patres disertis verbis αντιθεσιν constituerant. Omitto Hilarii de Trinit. lib. X. n. 52., Ephraemi de Transfig. Domini Opp. tom. II. pag. 64., Gregorii Nazianzeni orat. LI., Gregorii Nysseni con. Eunom. orat. IV., Hieronymi ad Hedibiam q. IX., et Augustini de Trinit. lib. IV. cap. XX. n. 30. luculentissima testimonia, atque ea solum describo, quae tradunt Tertullianus et Athanasius; ille con. Praxeam cap. XXVII. inquiens: *videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in una persona:* iste in Annuntiat. Deiparae n. 11. Εις ων κατα μιαν υποστασιν και εκ δυο και εν δυο ταις φυσεσιν. C. P.

compares, et quod unis deest ex aliis suppleas. In natura divina singularitas est perfecta et intellectiva; at quia Patri, Filio ac Spiritui Sancto per identitatem communicatur, (haec enim una communicatio locum habet in divinis) idcirco in quantum hoc pacto communicabilis est persona non est, non in se sistit, non in se stat, neque per se. Contra Pater est singularitas perfecta et intellectiva; ac praeterea neque Filio, neque Spiritui Sancto communicatur: igitur Pater persona est. Idem dicito de Filio ac Spiritu Sancto, quoniam incommunicabilitas unius divinae personae cum altera quam explicuimus tota fundatur in oppositione relativa unius ad alteram, ideo personas explicat Augustinus per has relationes originis, uti passim in l. V. et VII. de Trinitate, quae relationes distinctionem realem mutuam, idest incommunicabilitatem identitatis postulant, qua unaquaeque persona in se ac per se stare intelligitur.

Ut autem habeas, quid sibi velint *subsistens* et *suppositum*, cui in graeco respondet celebre vocabulum *Hypostasis*, satis est ut a definitione personae intellectivitatem auferas. Ubicumque igitur est singularitas perfecta et incommunicata alteri, ut in omnibus ex gr. animantibus, ibi est suppositum et subsistens. Inde subsistentia appellatur, quae Augustino *substantia* dicitur l. VII. de Tr. c. IV. et alibi. Duabus notionibus unionis et personae praemissis, praecipua Incarnationis capita per ss. Patres tradita, veluti totidem corollaria subinferemus. Inde constabit, doctrinam ss. Patrum non esse vocum nihil significantium congeriem, ut d. de Beausobre appellat: neque in eos uti nos posse contumelia, quam hac in re usurpat Spinoza loco citato *Nescio quid dicant*.

Corollarium I. Quoniam singularitas humanitatis Christi communicata fuit non quidem per identitatem sed saltem per unionem analogam unioni corporis, et animae Filio Dei, sive Verbo Divino, falso dixeris eam humanitatem esse singularitatem intellectivam perfectam *incommunicatam*, quemadmodum incommunicata est quaelibet alia humanitas cuiuslibet puri hominis. Falso ergo dixeris cum Nestorio, eam humanitatem ex se et in se esse *creatam personam subsistentem*, cum haec incommunicationem significent, ex qua sequitur rem incommunicatam per se stare et in se sistere, quod falso dices de humanitate Christi, si ea vere unita est Verbo. Superest ergo quod una sit persona Divina uniens sibi et coniungens humanitatem. Hinc Augustinus (Serm. LXVII. al VIII. de verb. Dom. n. 7.) *Suscepit animam, suscepit corpus, suscepit plenum hominem, unam facit Dominus cum servo personam.*

Corollarium II. Licet unio Verbi et humanitatis mutua sit, adhuc tamen Verbum non tam communicatur humanitati, quam se illi communicat, eam suam suique iuris faciendo, *sibique propriam*, quae phrasis est s. Cyrilli, sive ad se *pertinentem*, quae phrasis est s. Augustini. Quare cum incumbat Ecclesiae ea loquendi necessitas, de qua Augustinus l. III. de Trinit. c. IV., fundamentum habuit Ecclesia, ut Verbum quidem etiam post unionem appellaret vocabulo personae, humanitatem autem ipsam sine creata persona esse diceret.

Eadem fere ratione non humanitas dicitur assumpsisse Verbum, sed Verbum assumpsisse humanitatem: non dicitur ab Evangelista, quod caro facta sit Verbum, sed quod *Verbum caro factum sit:* non dicitur a Paulo quod semen Abrahae apprehenderit Deum, sed quod Deus semen Abrahae apprehenderit. Nempe Verbum ab aeterno praeextitit humanitati, et per omnipotentiam toti Trinitati communem libere operatum est unionem sui cum humanitate.

Corollarium III. In hoc enthymemate. *Humanitas comunicata est Verbo per unionem, ergo non est incomunicata, sive non est persona:* consecutio ita clara est ut nemo nisi bardus ac stupidus dubitare possit.

Neque reipsa ullum est vestigium huius dubitationis in tota controversia nestoriana, quantum ex graecorum aut latinorum scriptis eruere possumus. Lis ergo unice esse potuit in antecedente huius argumentationis. Atque in eo re ipsa litem fuisse testantur passim scripta s. Cyrilli, qui proinde tamquam omnium fundamentum ab ipso primo *Anathematismo: Si quis,* inquit, *non confitetur, Deum*

esse secundum veritatem Emmanuelem, *hoc est Deum nobiscum*, sive, ut explicat in defensione huius Anathematismi contra orientales, *Verbum incarnatum et hominem factum hoc est unitum carni*, *anathema sit*.

Imo ipse Nestorius a neganda unione auspicabatur errorem suum. *Dic eum qui suscepit*, verba sunt Nestorii citati a s. Cyrillo in defensione Anathematismi tertii contra orientales, *quod sit Deus*; *appone susceptum quia servi forma*; *adiice post haec connexionis dignitatem*, *quia duorum authoritas communis*, *quia duorum eadem dignitas: naturis manentibus fatere dignitatis unitatem*. *Vides*, inquit Cyrillus, *ubique separatim quidem inter se naturas, unientem autem, ut dicit*, *adorationem et communem authoritatem nominatim*, *iuxta solius dignitatis unitatem*: de qua unitate dignitatis solius exclusa unitate sive unione aut unitione vera ac physica, perpetuo sugillatur a patribus.

Corollarium IV. Falsum est itaque quod asserit Petrus Bayle, litem Nestorium inter ac Cyrillum, idest nestorianos inter et Ecclesiam fuisse, adeoque et esse de voce, cum maxima de re fuerit. Idest utrum vera naturalis unio fuerit Verbi cum Humanitate et plus quam secundum autoritatem ac dignitatem. Quare Episcopi Synodi Ephesinae ad Coelestinum epistola, quae in editione Coustant est: *Sceleratissimam haeresim sanctissimam nostram Religionem evertentem et Mysterii dispensationem ex ipsis fundamentis evellentem demoliti sumus*.

Monendus itaque lector catholicus, ne fucus ei fiat magno nomine Petri Bayle in famigeratissimo suo dictionario et nimium quam oporteret pervulgatissimo, monendus, inquam neque de insigni imperitia neque de enormi temeritate eum auctorem satis excusari in re tanta posse. De imperitia quidem, quod hoc tractaturus rem centies ac millies in graecis latinisque patribus iteratam vel non legerit vel non intellexerit; de temeritate vero, quod generalem Ephesinam Synodum, et reliqua, quibus confirmata est, posteriora Concilia, omnemque catholicam Ecclesiam tanta turpissimae calumniae infamia traduxerit.

Corollarium V. Ex dictis colligitur, quod sensu a Catholicis intento, *Deus est homo*, ideoque Deus est passibilis, et reipsa passus est, mortuus est etc. Haec est celebris illa communicatio idiomatum sive proprietatum in Christo, qua Deo humana tribuuntur, homini autem divina, quaeque fuit semper haereticis quidem scandalum, gentibus autem stultitia.

Communis ratio id explicandi traditur a s. Thoma III. p. q. XVI art. 1. et seq. *Quia persona Filii Dei, pro qua supponit hoc nomen Deus*, *est suppositum naturae humanae vere et proprie hoc nomen homo potest praedicari de hoc nomine Deus secundum quod supponit pro persona Filii Dei*. At quoniam nihil obstat eamdem propositionem esse veram multiplici sensu, haec autem subindicata explicatio postulat, ut plures rerum ac vocum difficultates atque ambages prolixe enodentur; praeterea contra eos adversarios agimus, qui harum rerum ac vocum obscuritate abutuntur, eamque patribus obiiciunt; idcirco explicationem aliam proponemus, cui putamus concilia et patres ante Damascenum praecipue inhaesisse. Explicatio ex duabus propositionibus pendet.

Propositio I.

Christus constitutive dicit non modo Verbum divinum, sed naturam creatam et huius unionem ad personam Verbi. Vel sola cogitatione sepone Verbum, sepone humanitatem, aut his intellectis abiice cogitationem unionis, quodlibet ex his tribus deficere cogites, deficiet Christus Emmanuel Deus-Homo Verbum Caro etc. Hinc recte dicitur Christus persona non utcumque sed *in* et *ex duabus naturis*, quod in conciliis et patribus celeberrimum est. Hinc Augustinus Enchir. cap. XXXV. *Unicus Dei Filius factus est et hominis filius, idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus*. Et capite XXXVI. *Quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona Verbum et homo*. Et c. XXXVIII. *Sicut confitemur D. N. I. Christum qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu Sancto et Virgine Maria, utraque substantia, Divina scilicet atque humana filius est unicus etc.* Vides utram-

que substantiam divinam et humanam constitutive.

Hinc autem facile intelligitur: quod de Christo praedicentur divina et humana. *Christus Deus Dei Filius est Deus et Homo* inquit Aug. Ench. c. XXXV. *Deus ante omnia saecula et Homo in nostro saeculo ... Quo circa in quantum Deus est, ipse et Pater unum sunt, in quantum autem homo est Pater maior est illo.* Similia obvia sunt in patribus latinis ac graecis.

Propositio II.

Cum de Christo loquentes dicimus *Verbum*, possumus aut debemus subintelligere *Verbum homo*; et cum dicimus *homo*, possumus aut debemus subintelligere *Homo Verbum.* Id facile intelligitur ex Augustino ep. CLXXXVII. ad Dardanum al. LVII. n. 8. *Sicut unus homo est anima rationalis et caro, sic et unus Christus est Verbum et homo... Nec cum Filium Dei Christum dicimus, hominem separamus, aut cum eumdem Christum filium hominis dicimus, separamus Deum.*

Hinc Cyrillus Anathematismo IV. non solum anathema dicit: *Si quis eas voces, quae in Apostolicis et Evangelicis scriptis de Christo vel a sanctis vel ab ipso dicuntur, duabus personis hoc est subsistentiis distribuit:* non inquam, hic tantum sistit Cyrillus, sed praeterea agens de modo loquendi opportuno ad eum errorem vitandum, ita prosequitur: *et alias quidem voces velut homini, quem seorsim sequestrato Verbo Dei intelligit, alias autem soli Dei Patris Verbo, utpote Deum addecentes aptarit.*

Lege sequentem oppositionem orientalium, qui conveniebant in prima parte Anathematismi: *Quod duabus personis vel duabus subsistentiis vel duobus filiis dividentes unitionem, hoc est unum filium, voces adoptare non oportet;* at repugnabant secundae parti.

Verum Cyrillus in defensione ex prima parte, quam orientales concedebant, infert secundam, et ita repetit: *Si quis dividit voces secundum hunc modum, ut alias quidem tamquam homini a Deo seorsum intellecto* (non dicit tamquam homini a Deo seorsim existente et re ipsa separato, sed seorsum intellecto) *adaptet: alias vero ut Deo dignas soli Verbo Dei anathema sit.* Illudque paulo post inculcat: Est unus et *idem Deus simul et homo.* Iam vero nihil est specialis arduitatis in eo quod Verbum sit mortuum, sit crucifixum etc. si cum dico *Verbum*, potest aut debet subintelligi *Verbum homo*, sive *idem ipse utrumque ex utroque* unus Christus, ut ait Aug. Enchir. c. XXXV., et declaratum est in propositione prima.

Nihil est specialis arduitatis in eo, quod *homo* dicatur *Creator coeli et terrae etc.*, si cum dico *homo*, potest aut debet subintelligi *Homo Verbum.*

Aliam praeterea explicationem accipe ex eodem Augustino epist. CLXXXVII. al. LVII. n. 8. et 9. Demus, quod cum dico Verbum non subintelligam Verbum Homo, sed Verbum ipsum prout distinctum, non tamen prout separatum ab homine; esset enim haec separationis affirmatio falsa. Demus quod cum dico *Homo,* non subintelligatur *Homo-Verbum*, sed *Homo*, in quantum est quid distinctum, licet non quid separatum a Verbo.

Adhuc tamen de *Verbo* praedicari potest, *Homo passus, crucifixus etc.*, si subintelligas *non in se* seu *sua Divinitate*, sed *secundum hominem.* De homine praedicari potest, quod sit *omnipotens, creator angelorum* etc., si subintelligas non *in se* sive *sua humanitate*, sed *secundum Deum. Cum enim sit Christus Deus et homo. . . . . , utrumque in illo observandum est cum loquitur, vel cum de illo Scriptura loquitur, et quid secundum quid dicatur intuendum.* Hinc explicans, quo pacto Ioan. III. dicatur filius hominis in Coelo, et I. Cor. II. Dominus gloriae crucifixus, ac *per hoc* (inquit) *et filius hominis secundum Deum est in coelo, et Filius Dei secundum hominem crucifigebatur in terra.* Tum subdit. *Ergo potuit recte dici Dominus gloriae crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret.* Lege epist. CCXXXVIII. al. CCLXIV. n. 10.: *Quia ipse Dei Patris Unigenitus Filius formam servi accepit, multa de illo in scripturis secundum formam Dei dicuntur, multa secundum formam servi.*

Geminae hae explicationes, ut vides, non pendent a subtilioribus notionibus suppositi et naturae, a concretis et abstractis, a rectis et obliquis quibus ob-

noxiae sunt aliae plures explicationes non sine perturbatione eorum, qui scholae assueti non sunt.

Corollarium VI. Hinc facile intelligitur, B. Virginem esse Deiparam seu matrem *Dei* sive subintelligas *Dei-hominis*, quemadmodum declaravimus in explicatione prima, sive subintelligas *Dei secundum hominem*, sive *secundum formam servi*, quemadmodum declaravimus in explicatione secunda. Quae omnia ut vera sint, non postulant fundamentum aliud quam unionem veram Verbi cum humanitate. Neque alius est Cyrilli sensus in Anathematismo primo: *Si quis non confitetur Dei Genitricem s. Virginem, peperit enim* secundum carnem, *carnem factum Dei Verbum . . .; anathema sit.* Quae doctrina secundum utramque nostram explicationem vera est.

Quod autem opponit Bayle, matrem hominis non dici matrem animae licet sit mater corporis, cui anima unitur, leve est. Si quis enim diceret: haec foemina genuit hanc animam rationalem non in se ipsa sed secundum corpus aut carnem non reprehenderetur quia falsum diceret, sed quia abhorreret a comuni loquendi consuetudine, cum contra ea appellatio *Matris Dei* secundum carnem, conformis sit scripturis et Ecclesiae a vetustissimis temporibus, ut demonstrant theologi et ex dictis intelligitur (*a*).

Quid si, inquit Bayle, angelus assumeret sibi corpus generatum ex foemina? Numquid foemina diceretur *Mater Angeli* secundum corpus? Respondeo, si apud sapientes invalesceret hic loquendi modus, omnino ita dici posse in ea hypothesi, quantum enim ad rem ipsam nihil latet falsitatis.

Corollarium VII. Ex dictis constat non esse *unam* naturam in Christo, neque per confusionem mixtionem et transmutationem duarum naturarum in unam tertiam, neque per conversionem humanitatis in divinitatem, neque per conversionem divinitatis in humanitatem, de quibus erroribus apollinaristarum et eutychianorum Petavius l. III. de Incarnatione. Constat ex idea ipsa unionis Verbi cum humanitate quae postulat dualitatem horum extremorum.

Corollarium VIII. Hinc etiam constat neque in Christo fuisse *unam* naturam compositam ex divina et humana, sicuti ex anima et corpore fit non modo unus homo, sed una natura. Atque unam quidem naturam hoc sensu docuere eutychiani posteriores cum celeberrimis philosophis et inter alios Ioanne Philopono, ea praecipue paritate et exemplo instructi,

(*a*) Huic illustrandae responsioni non minimum ista conferre videntur, quae in epistola ad monachos Aegypti scribit Cyrillus tom. V. Opp. part. II. pag. 8. Edit. Paris 1638: *Sed percunctabere hic forsan: Numquid, dic age, divinitatis mater Virgo extitit? Ad hoc dicimus, vivum illud et subsistens Dei Verbum vere citra ullam controversiam ex ipsa Dei et Patris essentia genitum esse; substantiamque temporis initio carentem sortitum, ad eum modum generanti cohaerere, ut in ipso et cum ipso nunquam non sit, esseque intelligatur: verumtamen illud idem Verbum novissimis aevi huius temporibus incarnatum, hoc est corpori anima intelligenti informato coniunctum secundum carnem ex muliere natum esse. Habet autem hoc incarnati Verbi mysterium non modicam cum humano partu cognationem: quandoquidem terrenorum hominum matres naturae ad generandum subservientes, in utero quidem carnem gestant, quae sensim per temporum intervalla concrescens, arcanisque quibusdam Conditoris operationibus incrementa paulatim sumens, ad perfectionem adducta formam tandem attingit humanam: Deus vero corpusculo iam perfecto et animato, eo modo quem ipse novit, spiritum infundit: format enim ille spiritum hominis in illo, ut propheta ait. Iam alia carnis, alia rursum animae est ratio. Atqui licet illae terrestres dumtaxat corporum matres fiant: non alteram tamen hominis partem, sed totum hominem, qui ex anima et corpore conflatur, parere dicuntur. Nemo enim (ut exemplo res illustretur) Elizabeth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse dixerit: siquidem non solam carnem genuit illa, sed Baptistam ex anima et corpore constantem.* ουδ' αν ειποι τις, φερε ειπειν, την Ελισαβετ σαρκοτοκον μεν, ου μην ετι και ψυχοτοκον. εκτετοκε γαρ ψυχωθεντα τον Βαπτιστην, και ως εν εξ αμφοιν τον ανδρωπον, ψυχης δη λεγω και σωματος. *Quemadmodum ergo unus homo ex anima et corpore constituitur; ita et in Emmanuelis quoque ortu accidisse cogitemus.* Cyrillus itaque cum negat ferri posse, ut Elizabet nonnisi σαρκοτοκος dicatur, haud obscure significat, illam posse ac vero etiam ψυχοτοκον vocari oportere, nimirum κατα την σαρκα, secundum corpus. Unde Petavius (De Inc. Lib. V. Cap. XIX. n. II.) scite monuit, matres non immerito genitrices animae corporatae nuncupari. C. P.

animae scilicet et corporis naturam unam componentium. In ea autem paritate dissolvenda Eulogius, Rusticus diaconus, Sophronius icrosolymitanus, Maximus martyr, Ferrandus diaconus, Leontius, Damascenus, et ipse Iustinianus in professione fidei adversus tria Capitula, aliique veterum maxime desudarunt omni contentione ingenii, ut ex eorum prolixis responsionibus patet.

At videtur ex dictis res brevius confici posse. Constabat inter catholicos et hos eutychianos, quod sicut ex anima rationali et corpore unus est homo, ita ex Deo Verbo et homine, duabus his naturis permanentibus distinctis, inconfusis, integris unus esset Christus. Addebat haec eutychianorum secta unus *Christus* et insuper *una natura composita*. At cum scripturae et patres appellationem duarum naturarum ubique profiterentur, cum graeci praecipue patres *personam* quidem compositam συνθετον passim dicant, naturam autem compositam nemo hactenus dixerit ex patribus aut conciliis, cum praeterea ea vox *unius naturae* aptissima sit ad occultandos innumeros errores ab initio Ecclesiae contra dualitatem naturarum, nulla alia ratione opus est ad eam vocem anathematizandam, quasi praeterea longis disputationibus ex philosophia petitis insudandum sit contra eius vocis usum, quod veteres plurimi fecere, liquidam veritatem non sine aliqua obscuritate propugnantes.

Corollarium ultimum. Tandem explicantur phrases in conciliis ac patribus celebres, quaeque obscurae visae sunt, ex. gr. quod unio Verbi Incarnati fuerit *secundum subsistentiam, secundum hypostasim, secundum compositionem etc.* Nihil enim aliud significatur, nisi quod Verbum divinum suam personam, suam subsistentiam univerit cum humanitate, et inde extiterit hoc compositum ***Deus homo***, quod saepe explicatum est exemplo unionis animae cum corpore longe diversa ab unione secundum affectum, dignitatem etc. Explicatur quod habet Aug. (Enchiridion capite XXXVI. et innumeris aliis locis) et alii patres frequentissime, *naturam humanam in unitatem personae unici Filii* ***Dei*** *assumptam, in unitatem*, inquam, *personae* idest ita ut inde existeret una persona incarnata.

Uno verbo dici potest, omnes phrases quamvis vocibus dissimiles aliud nihil praeter divinam personam Verbi et humanitatem significare, quam explicatam unionem.

Saepe in hoc capite Spiritus Sanctus appellatur ***Deus*** disertissime. Merito ergo Bellarminus in praefatione ad libros de Christo inter alias contra Erasmum censuras, hanc etiam habet. *Praefatione in libros Hilarii audemus (inquit Erasmus) Spiritum Sanctum appellare* ***Deum*** *quod veteres ausi non sunt.* Non defuere qui Bellarminum calumniatorem Erasmi traduxerint. At immerito: haec enim habet Erasmus ad literam. *Haec dixerim... ut ostendam, quanta fuerit antiquorum religio pronunciandi de rebus divinis. Cum sanctius etiam eas colerent, quam nos qui... audemus Spiritum Sanctum appellare* ***Deum***, *quod veteres aliquamdiu non videntur ausi.* Si tantam haec discrepantia accusationem meretur, profecto ex pluribus Evangelistis eamdem sententiam nonnulla syllabarum varietate recitantibus, unum eorum saltem damnabis. Nec vero semel in eo contextu ista inculcat Erasmus. Hilarius (inquit) *nusquam scribit, adorandum Spiritum S., nusquam tribuit* ***Dei*** *vocabulum .... Haec veterum religio fuit, ut licet* ***Deum*** *pie venerarentur, nihil tamen de eo pronunciare auderent quod non esset aperte traditum in sacris voluminibus: in quibus cum aliquoties Filio tribuitur* ***Dei*** *cognomen, Spiritui Sancto nusquam aperte, etsi post orthodoxorum pia curiositas idonea argumenta compererit e sacris literis.* Hinc constat, quod illud Erasmi: *veteres aliquamdiu non videntur ausi* significat ut minimum patres priorum quatuor saeculorum: aequivalet proinde vocibus, quas Bellarminus expressit: *veteres ausi non sunt.*

Nota II. ad cap. LVI.

Non negat Erasmus Spiritum S. esse Deum, neque hoc illi crimen impingit Bellarminus, qui proinde non nisi calumniose hac de causa sugillari potest. Eripit tamen Erasmus catholicis traditionem veterum patrum, quam eruditis plurimis citatis asserit Bellarminus; plura adhuc addit Petavius de Trinitate lib. II. a

cap. XIII. et seqq. Quibus addendus insignis hic Enchiridii locus a Bellarmino ac Petavio praetermissus.

Nota III. ad cap. LVI.

Ex hoc Augustini capite LVI. impugnabis damnatas propositiones Quesnelli LXXII. et LXXIII. et LXXIV. et LXXV. et LXXVI. et LXXVII. et LXXVIII. ubi docet Ecclesiam componi ex solis angelis coeli et solis electis ac iustis terrae et omnium saeculorum. Oportet tamen ad argumentationis efficaciam ut iis quae in hoc cap. LVI. habet Augustinus de Ecclesiae amplitudine inngas quae paulo post capite LXI. habet de Ecclesiae visibilitate. *Haec ergo* (inquit) *quae in Sanctis Angelis et virtutibus Dei est Ecclesia tunc nobis sicuti est innotescet..... Ista vero quae ab illa peregrinatur in terris eo nobis notior est, quod in illa sumus, et quia hominum est quod et nos sumus.* Plura etiam de visibilitate Ecclesiae habet capite LXIV. et LXV. huius Enchiridii, ubi de remissione peccatorum per Ecclesiam utique visibilem, de separatione ab Ecclesia utique visibili. Iam in hunc modum argumentor: Ecclesia quae significatur in symbolo apostolorum per Augustinum explicato in hoc capite LVI. (in quibus symbolis et symbolorum expositionibus sensus non improprii et alieni sed maxime proprii usurpantur), quaeque hoc eodem capite LVI. dicitur ab Augustino *peregrinans in terris, et a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini et post captivitatem vetustatis* (sub peccato ante sacramentum remissivum originalis) *cantans canticum novum* (liberationis scilicet et salutis vi sacramenti vel re vel voto suscepti), haec inquam Ecclesia ab eodem Augustino paulo post infra in c. LXI. dicitur *nobis notior* idest visibilis, conspirantibus in eamdem visibilitatem sequentibus capitibus LXIV. et LXV., quibus Ecclesia repraesentatur ut quid visibile, et ministerio actionum visibilium condonans peccata, atque etiam separans peccatores a Christi corpore. Atqui Ecclesia nobis notior, ideoque visibilis, et ministerio actionum visibilium condonans peccata, et separans peccatores a Christi corpore non est Ecclesia ex solis electis ac iustis; quoniam novit Dominus qui sunt eius, solumque in sua praescientia discernit electos a reprobis, solus etiam scrutatur renes et corda, solus in occulta conscientiae interrogat iustum et impium, circumspiciens omnes vias hominum sive qui fictam ac simulatam sive qui veram iustitiam habent.

Ergo Ecclesia significata in symbolo per Augustinum explicato in hoc c. LVI. et quae hoc eodem capite dicitur peregrinans in terris et a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, et post captivitatem vetustatis cantans canticum novum, non est Ecclesia ex solis electis ac iustis. Sed Ecclesia huius temporis areae comparatur, inquit August. (Serm. CCXXXIII. n. 2.) *habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos, habitura post iudicium sine ullis malis omnes bonos.* Similia habet innumeris locis quae vide ap. cl. Alticotium (Summae Aug. part. III. q. II. ar. 3.)

Solvendis argumentis quesnellistarum sive ex Scriptura sive ex Augustino aliisque patribus tenenda est triplex distinctio.

I. Ex Augustino (Serm. CCXLVIII. n. 1.). Ecclesia *et qualis est modo*, *et qualis erit in resurrectione mortuorum*: *modo* enim habet sine numero multos et bonos et malos: *post resurrectionem* autem habebit certo numero solos bonos. Plurima ergo quae significant immunitatem a malis ac pessimis, aptanda sunt Ecclesiae post resurrectionem, ut expresse docet l. II. Retr. cap. XVIII.

II. Quoniam Ecclesia huius temporis est *permixta*, ut habet regula Aug. l. III. de doctr. Chr. cap. XXXII. n. 45., et coalescit tum *de bona parte* tum *de alia parte quae male permixta est... propter temporalem commixtionem et communionem sacramentorum* hinc fit ut nonnulla *de bona parte* intelligenda, nonnulla *de alia parte quae male permixta est. Quae regula lectorem vigilantem requirit*, ut ait ibidem Augustinus. Exemplo esse potest alia regula ad scripturarum interpretationem post Tichonium usurpata ab Aug. praecedente n. 45. eiusdem l. III. de Doct. christiana, nempe regula de *Domino et eius corpore*, sive *Christi et Ecclesiae una persona.* Hinc fit quod in loquutionibus scripturarum *a capite ad corpus vel a corpore transitur ad caput*,

et tamen non receditur ab una eademque persona. Una persona loquitur.... et tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, idest quid Christo, quid Ecclesiae conveniat, utique intelligendum est. Haec eo n. 44.

Istis cohaerent quae statim n. 45. in verbis citatis habet de corpore Christi quod est Ecclesia, eiusque tum *parte bona tum alia parte quae male permixta est.*

Ad hoc pertinet (inquit Augustinus) *in canticis canticorum*, fusca sum, et speciosa ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis: *Non enim ait*, Fusca fui ut tabernacula Cedar et speciosa sum ut pelles Salomonis, *sed utrumque se esse dixit propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum et malorum.*

III. Tandem ultima distinctio ex eodem Augustino cadit supra *ipsam bonam partem*, qua Ecclesia speciosa dicitur et amplissime commendatur *non quasi iam sit*, sed *quae praeparatur ut sit*; quae distinctio affinis est illi scholasticorum in pluribus materiis, quantum ad *efficaciam* et quantum *ad sufficientiam*. Hinc (lib. II. Retr. c. XVIII.) agens de septem libris qui inscribuntur de Baptismo contra donatistas: *ubicumque in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi iam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit gloriosa.*

LVII. Sed de illa quae in Coelo est, affirmare quid possumus, nisi quod nullus in ea malus est, nec quisquam deinceps inde cecidit aut casurus est, ex quo Deus *angelis peccantibus non pepercit*, sicut scribit apostolus Petrus, *sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniendos reservari.* Cap. LVII. Stabilitas Ecclesiae caelestis. II. Petr. III. 4.

LVIII. Quomodo autem se habeat beatissima illa et superna societas, quae ibi sint differentiae praepositurarum, ut cum omnes tamquam generali nomine angeli nuncupentur (sicut in epistola ad Hebraeos legimus: *Cui enim angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis?* hoc quippe modo significavit omnes universaliter angelos dici), sint tamen illic archangeli: et utrum iidem archangeli appellentur virtutes; atque ita dictum sit, *Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius;* ac si diceretur, Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes archangeli eius: et quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam coelestem societatem videtur Apostolus esse complexus dicendo: *Sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates*, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor. Sed ne illud quidem certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol et luna et cuncta sidera: quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur. Cap. LVIII. Angelorum quae sint differentiae. Hebr. I. 12. Ps. CXLVIII. 2. Coloss. I. 16.

Quatuor illa vocabula, quibus universam etc. Nihil mirandum quod quatuor his ordinibus angelicam hierarchiam circumscripserit Augustinus. Licet enim post quintum saeculum vulgatis libris Dionysii areopagitae sive alterius sub eo nomine s. Gregorius magnus novem angelorum ordines tradiderit, quem deinceps theologi omnes sunt secuti, non facile tamen apud antiquiorem qui primis quinque saeculis floruerit sive graecum sive latinum, novenarium hunc ordinem invenias certo eo numero conclusum, multoque minus proprietates atque discrimina per m. Gregorium descripta. Alii pauciores, alii plures ordines sive nominatos sive innominatos fere memorant; ipseque Athanasius, qui in epistola ad Serapionem forte unus ex veteribus novem vulgata angelorum nomina omnia posuit, adiicit paradisum. Quare eorum pleraque huc spectantia *non ex scripturarum testimonio neque theologica ratione confecta sunt, sed partim ex occulta traditione, partim ex opinione coniecturaque descendunt*, inquit Petavius de Angelis l. II. c. II. n. 1. *Nota in caput LVII., LVIII.*

Cap. LIX. Angelorum qualia sint in quibus apparuerint corpora, difficile explicatur.

LIX. Itemque angeli quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, ut non solum cernerentur, verum etiam tangerentur? et rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones non oculis corporeis sed spiritalibus vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non ad aurem forinsecus sed intus in animo hominis, etiam ipsi ibidem constituti? sicut scriptum est in prophetarum libro; *et dixit mihi angelus qui loquebatur in me:* non enim ait, qui loquebatur *ad me*, sed *in me*. Vel appareant et in somnis, et colloquantur more somniorum? habemus quippe in Evangelio: *ecce angelus Domini apparuit illi in somnis, dicens*. His enim modis velut indicant se angeli contrectabilia corpora non habere: faciuntque difficillimam quaestionem, quomodo patres eis pedes laverint, quomodo Iacob cum angelo tam solida contrectatione luctatus sit. Cum ista quaeruntur, et ea sicut potest quisque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, ut haec atque huiusmodi affirmentur vel negentur vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?

Zach. I. 9.

Matth. I. 20.

Cap. LX. Artes satanae utilius dignoscuntur.

LX. Magis opus est diiudicare atque dignoscere, cum se Satanas transfigurat velut angelum lucis, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem vero non movet a vera rectaque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum: vel cum se bonum fingens, ea facit sive dicit quae bonis angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non est error christianae fidei periculosus aut morbidus. Cum vero per haec aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna et necessaria vigilantia est. Sed quotus quisque hominum idoneus est omnes mortiferos eius dolos evadere, nisi regat atque tueatur Deus? Et ipsa huius rei difficultas ad hoc est utilis, ne sit spes sibi quisque, aut homo alter alteri, sed Deus suis omnibus. Id enim nobis potius expedire prorsus piorum ambigit nemo.

Nota ad caput LIX.

Qui explicet cum qualibus. Difficillimas plures de Angelis quaestiones esse tum hoc capite tum alibi saepe scribit Augustinus, Scripturis explicandis ac vindicandis tam utiles quam etiam necessarias. Si quis autem comparet tum quae graeci latinique patres de iis tradidere, tum quae s. Thomas I. parte, quaeque, ut alios praetermittam, eximius Suarez integro de Angelis tomo mira eruditione, ingenio, perspicuitate disseruit, is omnino fatebitur quantis per hos vere clarissimos viros sacra scientia incrementis et accessionibus cumulata sit.

Quare qui saeculo hoc nostro, quod illuminatum honoris causa dici vult, studiosis adolescentibus auctores sunt, ut dimissis ad tineas scholasticorum theologorum libris ad patrum lectionem se se statim conferant, ii profecto auctores sunt consilii omnino pessimi, comuni adolescentum profectui invident, imo nec ipsi veteres patres nec optimos, quos laudavi, scholasticos legisse unquam diligenter videntur.

Si qui ocularem rei huius demonstrationem sibi velit in una aliqua parte sacrae doctrinae, adeat ex gr. Petavii libros tres de Angelis. Transcriptam ibidem inveniet universam latinorum ac graecorum Patrum traditionem de Angelis, eorumque natura proprietatibus, cognitione, voluntate, locutione, operatione, loco: de ipsorum ordinibus atque officiis praemiis ac poenis ipsa patrum testimonia accuratissime recitata percurrat. Tum legat quae de Angelis s. Thomas, Suarez aliique egregii scholastici pertractarunt. Hoc experimento intelliget, quid praestiterit opera laborque scholasticorum in scripturis et patribus illustrandis sive methodo, sive copia, energia, perspicuitate, theologicarum disputationum atque argumentationum, num parvus et contemnendus

aut etiam deridendus fructus ex schola extiterit; quam parum intellecturus sit patrum scripta qui primo veluti impetu in ea invadat, neque mentem antea suam scholastica iis ipsis de rebus theologia excoluerit.

Scio ista invidiosius dici, nec sine plurium reprehensione. Verum in eas angustias theologi hac aetate redacti sumus, ut vel Ecclesiae romanae magisterium deserendum nobis sit, vel recentium eruditorum vulgus acriter et omni deposita dissimulatione redarguendum; quandoquidem eo rem adduxere ut scholastici nomen apud sciolos derisioni aut etiam opprobrio sit.

Cum haereticorum insidiae (inquit Sixtus V. in Bulla *Triumphantis*) *et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, nos magnopere admoneant, ut eamdem theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiae, sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates prout opus est novis beneficiis, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi doctores, angelicus s. Thomas et seraphicus s. Bonaventura clarissimi huius facultatis professores et primi inter eos qui in sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt.*

Et huius quidem tam salutaris scientiae exercitatio, quae ab uberrimis divinarum literarum sanctorum patrum et conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas.

His vero novissimis diebus, quibus advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius errantes et alios in errorem mittentes sane catholicae Ecclesiae Dei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est.

Et profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia illo ordine et dispositione, tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate, et acutissimis disputationibus lucem a tenebris verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta tamquam veste detracta patefieri atque nudari.

Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, et haereditatem patrum nostrorum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare.

His similia in concilio tridentino sub Paulo III. disseruerat insignis theologus de ordine Predicatorum Dominicus Soto, cum abbas quidam eruditione potius instructus quam scientia, inquit card. Pallavicinus (Hist. l. VII. c. V.), contendisset, decreto cap. I. sessionis V. addenda esse haec verba: *Missis cavillationibus scholasticorum; quas contumelias* inquit Soto, *ab iis iactari, qui vel prae ingenii tenuitate scholasticam non intelligunt, vel iudicii defectu veram ab adulterina non satis secernunt.* Haec ille coram patribus Tridentinis.

Quae multo magis sine ulla dubitatione nobis sunt amplectenda postquam Suarez ac Vasquez universam fere scholasticam theologiam omni argumentationum genere *ex Scripturis, conciliis, patribus, et historiae Ecclesiasticae monumentis locupletarunt.*

Merito itaque hic semper fuit Societatis nostrae sensus, atque ut confidimus semper futurus erit, scholasticam theologiam eruditionis accessione perfici atque ornari, non autem reiici atque eliminari oportere.

Cap. LXI. Ecclesia in angelis et hominibus.

LXI. Haec ergo quae in sanctis angelis et virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cum ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero quae ab illa peregrinatur in terris, eo nobis notior est, quod in illa sumus, et quia hominum est, quod et nos sumus. Haec sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni redempta est peccato, eiusque vox est. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non enim pro angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro angelis fit quidquid hominum per eius mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam, post inimicitias quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinae illius angelicae detrimenta reparantur.

Rom. VIII. 31.

Cap. LXII. Quomodo in Christo instaurantur omnia. Eph. I. 10.

LXII. Et utique noverunt angeli sancti docti de Deo, cuius veritatis aeterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectet. Propter hoc ait apostolus, *instaurari omnia in Christo, quae in coelis sunt et quae in terris in ipso.* Instaurantur quippe quae in coelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est ex hominibus redditur: instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo Mediator est immolatus, quod unum multae in lege victimae figurabant, pacificantur coelestia cum terrestribus et terrestria cum coelestibus. Quoniam sicut idem apostolus dicit: *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sunt, sive quae in coelis.*

Colos. I. 19. 20.

Cap. LXIII. Pax regni coelestis quomodo praecellit omnem intellectum. Phil. IV. 7.

LXIII. Pax ista *praecellit,* sicut scriptum est, *omnem intellectum;* neque sciri a nobis, nisi cum ad ea venerimus, potest. Quomodo enim pacificantur coelestia, nisi nobis, id est concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax, et inter se universis intellectualibus creaturis, et cum suo Creatore. Quae pax *praecellit*, ut dictum est, *omnem intellectum;* sed utique nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Nos autem, quantuscumque sit in nobis intellectus humanus, ex parte scimus, et videmus nunc per speculum in aenigmate: cum vero aequales angelis Dei fuerimus, tunc, quemadmodum et ipsi, videbimus facie ad faciem: tantamque pacem habebimus erga eos, quantam et ipsi erga nos; quia tantum eos dilecturi sumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia et nostra talis ac tanta erit, nec praecellet tunc intellectum nostrum: Dei vero pax quae illic est erga eos, et nostrum et illorum intellectum sine dubitatione praecellet. De ipso quippe beata est rationalis creatura, quaecumque beata est, non ipse de illa. Unde secundum hoc melius accipitur quod scriptum est: *Pax Dei quae praecellit omnem intellectum:* ut in eo quod dixit *omnem*, nec ipse intellectus sanctorum angelorum esse possit exceptus, sed Dei solius: neque enim et ipsius intellectum pax eius excellit.

Nota ad caput LXI. LXII. et LXIII.

Redemptionem Christi pro omnibus quantum ad sufficientiam, pro aliquibus nempe iustis et electis, quantum ad efficaciam doceri a s. Augustino non his quidem scholasticis s. Thomae aliorumque theologorum vocibus, sed sub alia triplici verborum forma, explicuimus in notis ad cap. XLIII. et seqq. Eamdem distinctionem sub aliis fere vocibus redemptionis generalis ac specialis insinuat his

capitibus. Agit de Ecclesia peregrinante in terris, quae *nobis est notior*, ideoque visibilis; non ergo agit de solis iustis aut electis. Agit ergo de Ecclesia, in quantum rete est habens pisces bonos ac malos (tract. CXXII. in Ioan. n. 7.), de Ecclesia in quantum coena est habens convivas bonos et malos (serm. CCL. n. 2.), de Ecclesia in quantum una area est habens bonos in granis, malos in paleis (l. XXII. c. Faust. c. LXXXVIII.), de Ecclesia in quantum ager est ubi commixti optimis pascuis hoedi agnaeque pascuntur (l. unico de Bapt. c. Petilianum c. XIII. n. 32.), de Ecclesia in quantum arca est continens corvum et columbam (tract. VI. in Ioan. n. 2.) continens munda et immunda animalia (enarr. in Psalm. VIII. n. 13.), de Ecclesia in quantum magna domus est continens non solum vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, alia in honorem, alia in contumeliam (serm. XV. n. 2.), de Ecclesia in quantum continet lilia, et spinas, filios et alienos (enarr. in Psal. XLVII. n. 8. et Psalm. XCIX. n. 8.). Agit ergo Augustinus de hac Ecclesia peregrinante et visibili, de hac dicit: *Haec sanguine Mediatoris ab omni redempta est peccato; eiusque vox est, pro nobis omnibus* tradidit *illum*. Istam generalem redemptionem, quae eadem est ac redemptio quantum ad sufficientiam pretii seria intentione oblati, negat factam pro angelis. *Non enim pro angelis mortuus est Christus*. Licet enim sanguis Christi sufficiens pretium ac meritum fuerit etiam pro iis, si Christo placuisset se ipsum pro iis offerre, tamen pro iis seria intentione oblatus ex Augustino non fuit.

Redemptionem autem specialem sonant ea verba contextus huius: *quidquid hominum per eius mortem redimitur et liberatur a malo*. En redemptio non omnium sed aliquorum, qui liberantur. Liberatio haec est illa ipsa instauratio et pacificatio, de qua in hoc contextu.

Utramque partem distinctionis imbibunt sequentia verba: *Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificantur coelestia cum terrestribus*. Mediatoris immolatio generalis fuit ad omnes. Nam Christus, uti dixerat (hoc Enchir. c. XLII.) fuit sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Hoc sensu (in ps. XCV. n. 5.) *venit Redemptor et dedit pretium, fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quaeritis quid emerit? videte quid dederit, et invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? Quid nisi totus orbis, quid nisi omnes gentes?*

Quae autem in nostro contextu consequuntur, significant, redemptionem specialem per eam pacificationem, qua *pacificantur coelestia in nobis concordando nobiscum*.

Cap. LXIV. Remissio peccatorum expressa in symbolo.

LXIV. Concordant autem nobiscum angeli etiam nunc, cum remittuntur nostra peccata. Ideo post commemorationem Sanctae Ecclesiae in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quae in terris est: per hanc non perit quod perierat et inventum est. Excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione adtractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus, ipsa etiam vita cetera iam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat foecunditate iustitiae, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*: sic tamen spiritu Dei excitantur, et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore, tamquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideo peccent. Interest quidem quantum: neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne

Rom. VIII. 14.

peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam quamdiu in hac mortali vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine. *Peccatum autem si dixerimus quia non habemus*, ut ait tantus apostolus, *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.*

I. Ioan. I. 8.

Cap. LXV. Crimina quaelibet in Ecclesia remitti per poenitentiam.

LXV. Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in Sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus poenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati. In actione autem poenitentiae ubi tale commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quaecumque alia signa procedit; cum sit coram illo cui dicitur, *gemitus meus a te non est absconditus*: recte constituuntur ab iis qui ecclesiis praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ipsa namque proprie Spiritum Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam aeternam.

Psal. XXXVII. 10.

Cap. LXVI. Remissio peccatorum fit propter futurum iudicium. Eccli. XL. 1.

LXVI. Magis enim propter futurum iudicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita usque adeo valet quod scriptum est: *grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium* ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari: ut intelligamus, totum quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem praesentium pertinere. Multa etiam hic videntur ignosci et nullis suppliciis vindicari: sed eorum poenae reservantur in posterum. Neque enim frustra ille proprie dicitur dies iudicii, quando venturus est iudex vivorum atque mortuorum. Sicut e contrario vindicantur hic aliqua, et tamen si remittuntur, profecto in futuro saeculo non nocebunt. Propterea de quibusdam temporalibus poenis, quae in hac vita peccantibus irrogantur, eis quorum peccata delentur ne reserventur in finem, ait Apostolus: *si enim nos ipsos iudicaremus, a Domino non iudicaremur: cum iudicamur autem a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Notae ad cap. LXIV, LXV, LXVI.

Reliquis Augustini testimoniis, quibus probatur Sacramentum poenitentiae, haec capita accenseri possunt ad impugnandum calvinianum Dallaeum *de confessione auriculari*, etiam si haec sola considerentur. Constat enim quod non modo Augustinus agnoscat sacramentum Baptismi ad peccata remittenda, quae ante ipsum commissa sunt; sed agnoscit in Ecclesia remissionem peccatorum etiam post baptismum; at aliter in peccatis venialibus, aliter in mortalibus, idest criminibus. Remissionem venialium minime dependentem facit a potestate Ecclesiae: imo infra cap. LXXI. *De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur quotidiana fidelium oratio satisfacit.* Contra vero mortalium criminis remissionem ab Ecclesiae auctoritate, potestate, iudicio suspendit. Locum igitur Ecclesia tenet iudicis necessarii, non voluntarii, ad quem non ex mero nostro placito, sed ex debito confugere debemus pro absolutione criminum et venia, aliter non eam assecuturi. Est igitur in Ecclesia potestas in foro Dei solvendi aut non solvendi, sive ligandi in sensu catholicorum et quidem non utcumque, sed conferendo *Spiritum Sanctum, cuius pignus Ecclesia accepit sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam aeternam; quod negat extra Ecclesiam habere posse: extra eam quippe non remittuntur.*

Neque solum necesse est, ut ad Eccle-

siam confugiamus confitendo generaliter nos peccatores, quod etiam suo modo facit adultus ad baptismum accedens. Oportet *modum sui cuiusque peccati confiteri* et sic agere poenitentiam, ut perspicue docet hoc loco Augustinus. Qua phrasi breviter complexus est s. Doctor debitam peccatorum confessionem quoad speciem ac numerum.

Idem confirmabis ex sequentibus in hoc Augustini contextu. Etenim si *in actione poenitentiae consideranda est non tam mensura temporis, quam doloris, ubi tale commissum est crimen, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur*, profecto ad considerandam mensuram doloris proportionatam criminibus notitia criminum specialis praesupponenda est; et quidem ex debito, ut iam supra probavimus.

Cum autem hanc doctrinam tradat Augustinus in libro hoc sive Enchiridio praecipua religionis Christianae capita continente sine ulla dubitationis atque ambiguitatis significatione, argumentum inde habemus certissimum, hanc de confessione doctrinam indubitatam in Ecclesia fuisse eo saeculo, quo haec Augustinus scribebat. Consonant his quae Aug. habet serm. CCCLII. al. XXVII. inter homil. L. Non inutile erit ista adnotasse. Nam d. Dupin praecipuus ex appellantibus in tractatu quem scripserat de unione opponentium cum anglicanis inter alia docebat, renunciari posse necessitati confessionis auricularis. Vide episcopum Lafitau in Histor. Const. lib. V. ad an. 1729. die 10. Febr. nam eo die ipsemet illud scriptum legit.

Ex his capitibus colligimus, poenitentiam publicam inflictam fuisse tantum pro criminibus publici scandali, non autem pro occultis sive omnibus uti plures voluere cum Arnaldo (l. de freq. comm. p. II.) sive saltem iis quae peccata canonica dicebantur idololatria, fornicatio, homicidium, uti plures docuere cum Morino (de Discipl. Poen.), Natali Alex. (Saec. III. diss. VI.)

Expende ea verba: *recte constituentur ab iis, qui ecclesiis praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata.* Ecce finem legis et consuetudinis ecclesiasticae per omnes universaliter ecclesias de poenitentia publica, *ut fiat satis etiam Ecclesiae.* Supponitur itaque Ecclesia a peccatorum scandalis malum aliquod passa fuisse.

Dices aptari huic testimonio posse quae aliis testimoniis aptat Natalis Alex. (l. c.) *Potest*, inquit, *aliquod peccatum esse in scandalum aliorum, puta complicis, servorum, amicorum, vicinorum etc, etiam si non sit publicum:* ita Nat. Al. (q. II. prop. I.)

At vides hic agi non de scandalo unius aut alterius aut paucorum, sed Ecclesiae puta ecclesiae Hipponensis, Carthaginensis etc. Male itaque morem infligendi poenitentiam publicam etiam pro peccatis non publicis perdurasse dicit Nat. Alex. (eadem q. II. prop. II.) usque ad saeculum VII.

Imo vero nunquam hic usus fuit. Loquitur enim Augustinus de usu generali omnium ecclesiarum sui temporis; loquitur non tamquam de re nova; nihilque afferes ex antiquis, quod sonet poenitentiam publicam plus quam pro delictis publicis. His consonat Aug. serm. CCCLI. al. L. inter homil. L.

Praeterea cum Arnaldus in praefatione ad librum de frequenti communione fateatur, disciplinam poenitentiae viguisse ab inito Basilii episcopatu ad obitum Augustini per annos sexaginta, si hoc tempore ea disciplina quam impugnavimus non viguit, numquam omnino viguit. Haec adnotatio maximi momenti est; inde enim evertitur praecipuum fundamentum cui innititur Arnaldi liber de frequenti comunione, quem acriter confutavit Petavius libris octo de Poenitentia.

Iis qui acta publica poenitentia in eadem vel nova crimina relabebantur, ob quae agenda publice penitentia esset secundum Ecclesiae leges, nedum publicae, verum etiam privatae poenitentiae praecludebatur aditus. Haec est propositio I. Diss. X. in saeculum III. Natal. Alex.; quam ante ipsum propugnaverant Albaspinaeus aurelianensis episc. l. II. Observ. V., Morinus l. V. c. XXVII., Petavius in animad. ad Epiph. ad haeres. LIX. novatianorum.

Eam sententiam confirmant ex Augu-

stini epistola ad Macedonium: *Quamvis autem caute salubriterque provisum sit ut locus illius humillimae poenitentiae semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utiles esset aegrotis ... quis tamen audeat dicere quare huic homini...post primam poenitentiam adhuc iterum parces?*

Vide, inquit Natalis Alex., *ut huius modi peccatores uni Dei misericordiae committit Augustinus, poenitentiae vero privatae subsidium premit silentio, id nequaquam facturus, si privatae poenitentiae remedium ab Ecclesia consecuti fuissent.*

At hoc remedium satis superque intelligere volentibus significat hoc Enchiridii loco Augustinus.

I. Docet in hoc libro dogmatico et ad dogmatum compendiariam explicationem conscripto, *Non esse desperandam Dei misericordiam agentibus poenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati.* Supponit ergo fuisse multiplicem modum agendi poenitentiam. Cumque exprimat diserte modum agendi poenitentiam publicam pro resarciendo scandalo Ecclesiae ex delictis publicis, supponit etiam alium modum agendi poenitentiam, sed non publicam pro peccatis non publicis idest poenitentiam privatam.

II. Docet veniam criminum per poenitentiam esse omnibus paratam. *Neque de ipsis criminibus quam libet magnis remittendis in s. Ecclesia Dei misericordia desperanda est agentibus poenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati.* Non ergo excipienda sunt peccata etiam idololatriae, homicidii, fornicationis cum circumstantia relapsus post publicam poenitentiam. Cumque certum supponatur ex Augustino in epist. ad Macedonium, non fuisse iis paratum remedium per actionem poenitentiae publicae, superest ut iis esset paratum remedium poenitentiae privatae. Itaque universalitas illa remedii per poenitentiam parati, et exclusio poenitentiae publicae pro relabentibus post peractam poenitentiam publicam, est significatio poenitentiae privatae.

Separatio autem a Christi corpore erat tum per sententiam hominis, sive publice per episcopum in delictis publicis in foro ecclesiastico probatis, sive per sacerdotem *sacramentorum praepositum* ut loquitur Augustinus (Serm. CCCLI. n. 9.) quod fieri poterat occulte cum iis, qui minus bene dispositi accedebant, tum per sententiam iuris quod ab Apostolo promulgatam, et a patribus ac praecipue Augustino saepissime propositam contra habentes conscientiam lethalium criminum nisi reconciliarentur.

Cap. LXVII. Non omnes fideles salvandos per ignem.

LXVII. Creduntur autem a quibusdam etiam ii qui nomen Christi non relinquunt, et eius lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel haeresi praeciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quae nec diluant poenitendo nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad huius vitae ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque, diuturno, non tamen aeterno, igne puniri. Sed qui hoc credunt et tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quaestione conscripsi, cuius titulus est, *de Fide et operibus:* ubi secundum Scripturas sanctas quantum Deo adiuvante potui, demonstravi, eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus
Gal. V. 6. apostolus dicens: *In Christo enim Iesu neque circumcisio quidquam valet neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur.* Si autem male et non bene
Iac. II. 17. operatur, procul dubio secundum apostolum Iacobum, *mortua est in semetipsa.*
Ib. v. 14. Qui rursus ait: *Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum quod ait beatus
I. Cor. III. 15. Paulus: *Ipse autem salvus erit si tamen quasi per ignem:* poterit ergo salvare

sine operibus fides, et falsum erit quod dixit eius coapostolus Iacobus. Falsum erit et illud quod idem ipse Paulus dixit: *Nolite, inquit, errare; neque fornicatores neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt? I. Cor. VI. 9.

LXVIII. Sed quia haec apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt, illud quod obscure dictum est de iis qui superaedificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, foenum, stipulam, (de his enim dictum est, quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt:) sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et foenum et stipula non absurde accipi possunt rerum saecularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est ut ei nihil anteponatur, et malit homo qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit magis carere quam Christo; per ignem fit salvus. Si autem res huiusmodi temporales ac saeculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, cum in fundamento non habuit: quia haec priore loco habuit, cum in aedificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim, de quo eo loco est locutus Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est, et qui aedificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, et qui aedificat ligna, foenum et stipulam. Cum enim hoc dixisset, adiunxit: *Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus permanserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus autem exustum fuerit, damnum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non ergo unius eorum sed utriusque opus ignis probabit. Est quidam ignis tentatio tribulationis, de quo aperte alio loco scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis.* Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus uni scilicet cogitanti quae Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est aedificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri autem cogitanti ea quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, id est aedificanti super idem fundamentum ligna, foenum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur: exuritur autem huius, quoniam sine dolore non pereunt, quae cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita eis potius carere mallet quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit, *salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem:* quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum; sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum. I. Cor. III. 13. Eccli. XXVII. 6.

Licet ubique Augustinus doceat Ecclesiae fidei, et Scripturae auctoritati adversari, qui malis vel angelis vel hominibus salutem ab aeterno igne pollicentur, ut l. XXI. et XXII. de Civ., et libro ad Orosium c. V., et l. XXXIII. cont. Faust. c. IV., et ep. CII. al. XLIX. q. IV., et ep. CCIV. ad Dulcitium, al. LXII. et ep. ad Vitalem CCXVII. al. CVII; tamen qui secus sentiebant, non tunc ab ecclesia praecisos uti pelagianos aliosque haereticos, sed potius cum aliis catholicis toleratos fuisse aperte hoc loco docet: *qui hoc credunt et tamen catholici sunt.* Contra eosdem tamquam contra catholicos scripsit librum *de fide et operibus.* Nullus id mi- *Nota ad caput LXVII., LXVIII.*

rabitur qui legerit Petavium l. III. de angelis c. VII. , ubi praeter Origenem cum schola Platonis ac Ciceronis affert apertum locum s. Gregorii Nysseni, s. Gregorii Nazianzeni, s. Hieronymi, s. Ambrosii contra aeternitatem poenarum, quibus addit Arnobium. Libro autem XXII. de Civ. Dei cap. XVIII. testatur Augustinus, se colloquia habuisse cum his catholicis, *quales*, inquit, *in collocutionibus nostris ipse sum expertus*. Plures species catholicorum negantium aeternitatem poenarum refert Augustinus tum hoc et seqq. Enchiridii capitibus, tum lib. XXI. de Civitate Dei, tum lib. de Fide et operibus. Memineris autem Enchiridion scriptum ab Augustino sub annum 421. novennio ante mortem.

Alterum adnotandum occurrit, in regula, quam Augustinus proponit de scripturis interpretandis. *Id quod obscure dictum est ex manifestissimis et apertissimis testimoniis esse intelligendum ut manifestis non inveniatur obscurum esse contrarium*. Si hanc regulam ianseniani haberent ad manus in interpretando ipso Augustino, (nec enim is censendus est velle, ut alia regula in eius interpretatione utamur, quam qua ipse vel in divinis Scripturis explicandis utendum iudicavit) nulla profecto esset nobis cum iansenistis concertatio. Nullus est enim controversus articulus, in quo non manifestissima testimonia catholici ex Augustino proferamus, ex quibus aequum est obscuriora interpretari. Tertium tandem est, quod non praetermittendum videtur in iis Augustini verbis, qui amorem appretiativum Dei super omnia explicat: *Si Christus in corde fundamenti habet locum*, idest ut ei *nihil anteponatur etc.* In his Enchiridii capitibus et alibi saepe tum in sermonibus, tum in Psalmorum enarrationibus, tum in epistolis semper sistit intra quasdam hypotheses, quae practice occurrere possunt, nec lectorem aut auditorem deducit ad fictas hypotheses, quae hominem infirmum in periculo constituere possunt, a quibus declinandum monent theologi cum s. Thoma; ex gr. nunquam in Augustino invenies: *si aut peccare deberes aut torqueri aeterno igne quid faceres*? quas hypotheses implicatorias esse ac chymericas bene docet Gerso in regulis moralibus et Durandus in IV. Sent.

Cap. LXIX. Ignis purgatorius post hanc vitam.

LXIX. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et utrum ita sit, quaeri potest, et aut inveniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari; non tamen tales, de quibus dictum est, quod *regnum Dei non possidebunt*, nisi convenienter poenitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum praenuntiet Dominus dextris, et earum tantummodo sterilitatem sinistris, quando his dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum:* illis autem; *Ite in ignem aeternum.*

I. Cor. VI. 10.

Matth. XXV.

Nota in caput LXIX.

Videri posset Augustinus hoc capite LXIX. Purgatorium proponere non tamquam fidei dogma, sed probabilem opinionem. Sane ex haereticis Petrus Martyr (Locorum comm. clas. III. c. IX.) *De patribus quid senserint hac super re non habeo quid aliud referam nisi maiorem illorum partem in eam sententiam esse propensos, ut purgatorium concedant. Sed apud nullos eorum memini me legisse, articulum esse fidei, ut qui secus opinatus fuerit salutem habere non possit.*

At non ista scripsisset Martyr, si legisset ac meminisset Augustini in lib. de haeresibus, ubi inter Aërii dogmata recenset *orare* vel *offerre pro mortuis oblationem non oportere*. Ac quamvis in hoc contextu libri de haeresibus dogma hoc non appellet haereticum, id tamen praestat in libri fine: « *Quid contra ista sentiat Ecclesia catholica... superflue quaeritur, dum propter haec scire sufficiat, eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere*. Tandem concludit: *omnis itaque*

christianus catholicus ista non debet credere. Adde Aug. lib. IX. Conf. c. XII., l. de cura pro mort., c. I. et IV. serm. CLXXII. al. XXXII. de verb. Apost., ubi docet, *Non esse dubitandum, non esse ambigendum.* Dat autem rationem: *Hoc enim a patribus traditur, universa observat Ecclesia.* Imo in huius Enchiridii c. CIX: *Neque* (inquit) *negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynae in Ecclesia fiunt* ».

Duo itaque secernenda sunt. 1.° an sit in alia vita purgatorium sensu catholicorum. De hoc non dubitat Augustinus, neque hanc veritatem probabilibus accenset. 2.° Quodnam sit purgatorium in alia vita, num per ignem habeatur. Hoc Augustinus iis adnumerat, quae certa ac definita non sunt, et de quibus quaeri potest. Neque id solummodo verum fuit aetate Augustini. *Dubium est,* ait Bellarminus lib. II. de Purgatorio cap. X: *an ille ignis sit proprie dictus ignis, an metaphorice.* Respondet: *Communis sententia theologorum est, verum et proprium esse ignem, et eiusdem speciei cum nostro elementari. Quae sententia non est quidem de fide, quia nusquam ab Ecclesia definita est, imo in concilio florentino graeci aperte professi fuerunt, se non ponere ignem in purgatorio, et tamen in definitione facta sessione ultima definitur, purgatorium esse, nulla mentione ignis habita. Tamen est sententia probabilissima* ».

Quaeri potest num non modo *graeci uniti,* quique subscribunt florentino concilio, sed etiam schismatici purgatorium agnoscant: Affirmat Natalis Alexander (saeculo IV. Diss. XLV. Propos. II. n. 21) ecclesiae graecae cum latina consensum in hoc dogmate multis prolatis etiam schismaticis; *Ex quibus,* inquit, *evidens est, eamdem esse graecorum et latinorum de purgatorio fidem, solam de nomine quaestionem inter eos agitari.*

Id ipsum tamquam sine controversia supponunt XVIII. sorbonici doctores qui die 15. Iunii 1717. scriptum obtulere Petro Magno Moscoviae Czari Parisiis tunc agenti. Refertur scriptum l. V. vitae Petri Magni per Antonium Catiforum.

Sed haec minus vera sunt. Legatur *Confessio catholicae atque apostolicae Ecclesiae* (sic enim inscribitur) *orientalis, interprete Laurentio Normanno* Lipsiae 1695. confecta a Russiae minoris ecclesia per Petrum Mogilam metropolitam Kioviensem, solemniter approbata per Parthenium Constantinopolitanum Patriarcham cum reliquis Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, aliisque episcopis anno 1643. XI. Martii, uti constat ex Epistola libello inserta. Iam vero quaestione LXVI. pag. 111. negatur *Purgatorium in quo temporaria ulla poena animorum expurgatrix a morte existat;* pag. 412. *ut ipsi nonnihil* supplicii *sustinentes eo dein perpurgentur.*

Sed ut aperiatur aequivocationis radix, quam passus est vir omnium iudicio eruditissimus Natalis Alexander, legatur pag. 107. huius confessionis quaestione LXIV. « *An non et aliqui sic diem suum obeunt, ut beatorum damnatorumque medii sint?* Resp. *huiusmodi homines nulli reperiuntur. At illud probe constat, sceleratos homines non paucos de orci claustris eripi atque liberari non sua equidem ipsorum poenitentia sive confessione, quemadmodum scriptura dicit* (Psal. VI.) Quis enim confiteatur tibi in inferno? *et* (Psal. CXV.) Non laudabunt te mortui..... *Verum piis superstitum officiis, et ecclesiae pro ipsis deprecationibus, praecipue vero per incruentum* (*Liturgiae*) *sacrificium, quod Ecclesia pro vivis mortuisque omnibus communiter, quemadmodum Christus pro iis pariter mortuus est, quotidie offert.*

Tum adductis aliquibus ex Theophilacto archiepiscopo Acridae in Bulgaria, sed scriptore graeco saeculi XI. « *Clarum evadit,* inquiunt graeci, *ab excessu suo liberari* per se *animam, poenitentiamque agere non posse, nihilque eiusmodi moliri, quo infernis eximatur vinculis. Solae igitur liturgiae, precesque et eleemosynae, quae animae causa a viventibus praestantur, illam plurimum adiuvant, et ab acheronte redimunt.*

Constat itaque graecos schismaticos neque nomine neque re purgatorium confiteri: id est: *Si vere poenitentes in Dei caritate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfe-*

cerint, et omissis eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari. En prima pars doctrinae catholicae in concilio florentino a latinis et graecis sancitae, et a schismaticis negatae. Negant quippe post mortem animas pro culpis venialibus aut lethalibus non plene remissis addici poenis temporalibus, a quibus satispatiendo liberentur. *Et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.*

Secundae huic parti definitionis fidei (cui antistites utriusque Ecclesiae graecae ac latinae subscripserunt in concilio florentino) repugnant graeci auctores Confessionis, cuius verba transcripsimus. Nam haec pars agit de suffragiis in favorem decedentium cum caritate. Contra vero graeci schismatici et transcriptae Confessionis auctores agunt de suffragiis in favorem sceleratorum inpoenitentium.

Nullo igitur pacto purgatorium agnoscunt hi schismatici. Sed antiquissimam ac universalem Ecclesiae traditionem de iuvandis defunctis prave detorquent ad impios in peccato decedentes et ad infernum detrusos. Neque vero schismatici hanc sibi primum sententiam excogitarunt anno 1643, quo ea confessio sancita; immo eum errorem et erroris occasionem sumpsisse videntur non modo ex Theophilacto quem citant, sed etiam ex Nicolao batasila in Expositione liturgiae cap. XLV., et Gabriele Philadelphiensi de Purgatorio, si eorum verba rite expendantur.

Cap. LXX. Crimina eleemosynis non redimi, nisi vita mutetur.

Eccli. XV. 21.

LXX. Sane cavendum est; ne quisquam existimet, infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus: non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. *Nemini* enim *dedit laxamentum peccandi:* quamvis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Notae in caput LXX.

Quoniam error contra aeternitatem poenae debitae peccatoribus sine poenitentia congrua decedentibus erat Augustini aetate et superioribus etiam temporibus veluti lerna plurimorum capitum, quorum aliquod hoc Enchiridii loco, aliud alio significatur, alia his, alia aliis Augustini libris; non abs re erit aliquam eorum seriem exponere praecipue ex l. XXI. de Civitate.

Imprimis c. XVII, plures catholicos sui temporis hac in re errantes ita complectitur: *Nunc iam,* inquit, *cum misericordibus nostris agendum esse video, et pacifice disputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos iustissimus iudex dignos gehennae supplicio iudicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere poenam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas pro cuiusque peccati quantitate longioris sive brevioris eos inde existimant liberandos.* Hoc docebant *misericordes nostri*; ita enim homines catholicae communionis appellat Augustinus, cum quibus *pacifice* sive salva Ecclesiae pace disputabat. Monet Augustinus eos discriminari ab Origene *qui et ipsum diabolum atque angelos eius post graviora pro meritis et diuturniora supplicia... sociandos sanctis Angelis credidit. Sed illum,* subdit Augustinus, *et propter hoc, et propter alia nonnulla et maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines ac miserias..... non immerito reprobavit Ecclesia.* Quam tamen formalem reprobationem inustam iis *misericordibus nostris* per eam aetatem tacet semper Augustinus; imo ut sapienter notant Maurini ad cap. LXIII. Enchiridii, *istorum nomini, quos aliquoties reprehendit, pepercit semper.*

Alium errorem adhuc magis (*misericordem*) in aliquibus catholicis refert Augustinus seq. cap. XVIII. lib. XXI. de Civ. *Sunt etiam,* inquit, *quales in collocutionibus nostris ipse sum expertus, qui cum venerari videantur Scripturas san-*

ctas, moribus improbandi sunt, et agendo causam suam multo maiorem quam isti misericordiam Deo tribuunt erga humanum genus. Dicunt enim de malis et infidelibus hominibus divinitus quidem verum praedictum esse, quod digni sunt poena: sed cum ad iudicium ventum fuerit, misericordiam esse superaturam. Donabit enim eos, inquiunt, misericors Deus precibus et intercessionibus sanctorum suorum. Quare concludebant nonnullis Scripturae testimoniis abutentes, *nec longum, nec prorsus ullum supplicium* post diem iudicii esse passuros. *Nec isti tamen* subdit Augustinus, *qui hoc sentiunt, hanc opinionem suam usque ad liberationem vel nullam damnationem diaboli atque angelorum eius extendunt.*

Hae duae, quas recensui, numerantur ab Augustino tamquam hac in re plurium catholicorum erroneae opiniones principaliores. Aliae autem subiiciuntur ab Augustino eo l. XXI. de Civ., quas dixeris priorum quasi multiformes modificationes. *Sunt alii* (inquit cap. XIX.) *ab aeterno supplicio liberationem nec ipsis saltem omnibus hominibus promittentes, sed tantummodo Christi baptismate ablutis qui participes fiunt corporis eius, quomodolibet vixerint in quacumque haeresi vel impietate fuerint.*

Sunt (ait cap. XX.) *qui nec omnibus habentibus baptismatis Christi et eius corporis sacramentum, sed solis catholicis quamvis male viventibus pollicentur ... etiamsi postea in aliquam haeresim vel etiam in gentilium idololatriam lapsi fuerint... atque illa omnis impietas quanto maior fuerit non eis valeat ad aeternitatem, sed ad diuturnitatem, magnitudinemque poenarum.*

Sunt autem (addit cap. XXI.) *qui ... nonnisi in Ecclesia catholica perseverantibus hoc promittunt, per ignem videlicet salvandos merito fundamenti...* Dicunt ergo *cuiuslibet vitae catholicum christianum Christum habere in fundamento, quod fundamentum nulla haeresis habet a corporis eius unitate* praecisa. Atque hic si rite consideraveris, est error, quem insectatur Augustinus in hoc Enchiridio superior. cap. LXVII. et LXVIII.

Comperi etiam quosdam, (inquit cap. XXII.) *putare eos tantummodo arsuros illius aeternitate supplicii, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt. Qui ergo fecerit,* inquiunt, *quamvis mores in melius non mutaverit, sed inter ipsas suas eleemosynas nefarie ac nequiter vixerit, iudicium illi cum misericordia futurum est, ut aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquid temporis sive parvum sive prolixum ab illa damnatione liberetur.* Atque hic est error, quem Augustinus redarguit hoc capite LXX. Enchiridii.

Ad quem errorem pertinet id quod dicebant ii ipsi de remissione iniuriarum. *Ad hoc pertinere aiunt,* subiicit Aug. eo ipso cap. XXII. *et in oratione dominica quotidianam postulationem*: Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Quisquis enim illi, qui in eum peccavit dimittit ignoscendo peccatum, procul dubio eleemosynam facit. Quam rem Dominus sic ipse commendavit, ut diceret:* Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater vester peccata vestra. *Nec dixit Dominus,* (*inquiunt*), *magna vel parva ... Ac per hoc putant etiam eis qui perdite vixerint, donec claudant diem vitae huius extremam, per hanc orationem qualiacumque et quantacumque fuerint, omnia quotidie peccata dimitti, sicut ipsa quotidie frequentatur oratio, si hoc tantummodo custodire meminerint, ut quando ab eis veniam petunt qui eos peccato qualicumque laeserunt, ex corde dimittant.* Contra quam pravam intelligentiam de remissione iniuriarum agit Aug. sequentibus Enchiridii capitibus.

Iterum observandum est quod Augustinus licet l. de Civ. XXI. cap. XXIII. et seqq. omnem hanc, doctrinam vehementissime reprobet, non tamen ut haeresim ab Ecclesiae unitate praecisam sua illa aetate; imo statim a cap. XXIII. dubium hoc proponit: *ac primum quaeri oportet atque cognosci cur Ecclesia ferre nequiverit hominum disputationem diabolo etiam post maximas et diuturnissimas poenas, purgationem vel indulgentiam pollicentem.* Inde autem argumentatur neque esse ferendam sententiam, quae hominibus idipsum pollicetur: argumentatur, inquam, sed de Ecclesiae decretis contra hunc errorem omnino si-

let. Imo supponit decretum illud omnino non fuisse, sed Ecclesiam ferre sua illa aetate disputantes pro salute hominum perditorum, et sine poenitentia decedentium. Inde enim nascitur dubium, cum Ecclesia hos disputantes ferat cur *ferre nequiverit* origenistas. Graviora quae dicit contra hunc errorem, haec sunt, quod eo admisso *statim enervabitur fides qua creditur sempiternum daemonum futurum esse supplicium.* Argumentatur etiam ex eo quod eodem pacto loquantur Scripturae de aeternitate praemii, quam isti errantes christiani admittebant, et Ecclesia contra origenistas definiverat, et de aeternitate supplicii. *Dicere autem in hoc uno eodemque sensu; vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est.*

Nemini autem mirum erit quod error contra aeternitatem poenarum, quem Ecclesia posterior tamquam haeresim intolerabilem detestata est, et in socinianis detestatur, nondum aetate Augustini ut formaliter haereticus haberetur. Ipsa aetate Augustini accidit, ut propositio non formaliter haeretica in formaliter haereticam evaderet.

Etenim in fine libri de Perfectione iustitiae nondum eos reprehendere audet, qui affirmarent iustos sine ullo prorsus peccato existere in hac vita vel extitisse aliquos: quorum opinioni quemadmodum in lib. de Sp.et lit. c. II., et libr. de Nat. et grat. c.XLII. et LX., ita et in fine libri de Perf. iust. non existimat Augustinus reluctandum usque ad damnationem ac censuras. Imo in epist. CLVII. ad Hilarium anno 414: *Sed isti* (inquit) *utcumque tolerandi, quando dicunt vel esse vel fuisse hic aliquem praeter unum sanctum sanctorum qui nullum haberet omnino peccatum. Illud vero quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad dominica praecepta implenda etiamsi Dei gratia, et Spiritus Sancti dono ad opera bona non adiuvetur, omnino anathematizandum est, et omnibus execrationibus detestandum.*

At post conditos adversus illam opinionem tres canones, sextum, septimum et octavum carthaginensis concilii anno 428. celebrati, eorum auctoritate eam deinceps ut perniciosum errorem caveri iubet, sicuti videre licet in libris contra duas epist. pelagianorum, in quibus (l. IV. c. X.) *Illud iam* (inquit) *tertium videamus, quod non minus in istis omne Christi membrum et totum eius corpus exhorret, quia contendunt esse in hac vita vel fuisse iustos nullum habentes omnino peccatum.*

Officiosum mendacium sine peccato dici posse, non fuit error damnatus ab Ecclesia aetate Augustini, uti constat ex lib. *de Mendacio et contra mendacium*, quemadmodum postea fuit improbatum in iure canonico.

Haec illustrant doctrinam theologorum qui docent cum s. Thoma (II. II. q. I. art. 7.), quod articuli fidei quantum ad explicationem creverint. Neque pertinere ad defectum fidei, quod *quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur.* Quare in resp. ad II. *Dicendum, quod profectus cognitionis contingit.. ex parte addiscentis; sicut magister, qui novit totam artem, non statim a principio tradit eam discipulo, qui capere non posset, sed paulatim condescendens eius capacitati; et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem.*

Quare statui Ecclesiae praesentis, in quo tam multa per concilia ac pontifices ad communem instructionem declarata sunt, aptari possunt verba Ecclesiastis (cap. VII.) *Ne dicas: quid putas causae est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta enim est huiusmodi interrogatio.*

Nota ad verba: Si non satisfactio *etc.*

Utilitas ac necessitas satisfactionis in patribus ac conciliis commendata materiam atque occasionem praebuit fallacissimae argumentationis errori proscripto ab Alexandro VIII. an. 1690. in propositione XXVI. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.* Prop. XVII. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.* Prop. XVIII. *Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae etiam si eam plurimorum hominum susten-*

tet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.

Auctores et fautores huius erroris hac aut simili forma argumentandi utuntur: *sacra auctoritas saepissime docet, ut quis prius Deo satisfaciat, si velit cum illo reconciliari; ergo ante absolutionem opus est satisfactione* quae praecipua est in Arnaldi libro de frequenti comunione.

At argumentatio huiusmodi contra regulas logicas est *a genere ad speciem.* Quid est satisfactio? Respondet Bellarminus l. IV. de poen. c. I. *nihil esse aliud nisi actionem, qua is qui alterum laesit, tantum facit quantum satis est ad iniuriam compensandam.* Iam vero haec satisfactio duplex est: altera pro culpa, altera pro poena. Imprimis enim opus est ut ea fiant quae necessaria sunt ad amicitiam recuperandam, quae cum fiunt, satisfacimus pro culpa. Atque haec in lege gratiae peccantibus post baptismum sunt contritio, confessio cum absolutione percepta. Cum autem haec ante gratiam reconciliationis perceptam non sint opera filii Dei, hinc est quod non sint satisfactio *condigna*, sed tantum *congrua*, quo vocabulo utitur Augustinus hoc loco Enchiridii. Imo de satisfactione *congrua* non vero *condigna* monet Bellarminus (l. c.) intelligendos veteres patres, qui actionibus humanis interdum tribuere videntur, ut Deum ex inimico amicum reddant, atque adeo pro expianda culpa satisfaciant. At praeterea integritas compensationis postulat, ut amicitia restituta poenitentibus et confessis luatur debitum poenae residuae, qua iustitiae satisfiat, quique sibi nimium placuit peccando, aliqua sui afflictione displiceat. Atque haec est satisfactio pro poena, quae satisfactio praesupposita gratia reconciliationis condigna erit. Cum autem a saeculo XII. post magistrum sententiarum usitatissima sit partitio actuum poenitentis in contritionem, confessionem et satisfactionem, licet satisfactio ex vi vocis sit genus quoddam utramque speciem complectens nempe et satisfactionem pro culpa, et satisfactionem pro poena, tamen ex circumstantia loci, quem ultimum occupat in ea theologis et catechistis celeberrima partitione a sex iam saeculis usurpata, vox satisfactionis determinata fuit communiter, ut in Ecclesia significaret satisfactionem *a poena.* Cum enim per contritionem ac confessionem, cui saltem a saeculo XII. consentientibus omnibus eruditis adiungi consuevit absolutio, satisfactum iam sit ac supponatur pro culpa, reliquum est ut tertio loco non sit nisi satisfactio pro poena.

At ex his non nisi pessime colligas, quod scriptores Ecclesiastici priorum duodecim saeculorum ubicumque satisfactionis meminere, intelligant satisfactionem pro poena, quae sita sit in operibus laboriosis cum vox indifferens sit ad utramque aut alterutram satisfactionis speciem significandam, nec ex usu ad unam potius prae alia constanter determinaretur.

Ac sane id animadvertitur in cap. hoc LXX. Enchiridii, ubi Deus dicitur *miserando delere iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur:* in quibus verbis, si nomine satisfactionis congruae intelligat Augustinus satisfactionem *pro culpa* nempe contritionem et confessionem, habeo quod volo: sin intelligat satisfactionem pro *poena*, sane Augustinus absurdissime locutus est; alligavit enim deletionem peccatorum illi rei, quae integralis est pars poenitentiae, et ea omisit quae substantialia sunt et omnium catholicorum iudicio magis necessaria, contritionem ac confessionem. Quae duo et quantum satis iudicavit capite LXIV. et LXV. huius Enchiridii, et evidentius tum sermonibus CCCLI. et CCCLII. qui inscribuntur *de poenitentia*, et in epist. ad Honoratum CCXXVIII. n. 8. al. ep. CLXXX.

Quae argumentandi ratio a nobis hoc in loco explicata plurimum valet ad eruendum sensum Augustini aliis in locis, tum plurium veterum patrum, qui si nomine satisfactionis poenalitates intellexere, sane quod praecipuum erat, nempe cor contritum omisisse ac neglexisse dicendi sunt.

Cap. LXXI. Oratione dominica expiari leviora peccata.

LXXI. De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui es in coelis*, qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua et spiritu. Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non desunt quae dimittantur, ita veraciter dicatur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* id est, si fiat quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

Matth. VI. 9.

Cap. LXXII. Eleemosynarum genera multa.

LXXII. Ac per hoc ad omnia quae utili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Non solum ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subventionem, coeco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti, verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum eius, quo ab illo laesus aut offensus est, dimittit ex corde vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria poena plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam praestat, multa enim bona praestantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inveniuntur inimici, amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant; et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat nec pro malis. Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quae cum facimus, adiuvamur, ut dimittantur nostra peccata.

Luc. XI. 41.

Nota ad caput LXXI. et LXXII.

Quod hoc loco dicitur quotidiana oratio satisfacere pro levibus brevibus quotidianis culpis confirmat quod supra asseruimus apud patres et scriptores priorum XII. saeculorum, *satisfacere* usurpari ad significandum, *satisfactionem pro culpa.*

Addit orationem dominicam delere etiam gravia si coniungatur cum poenitentia et emendatione. Quare vides, quod Augustinus cum supra dixit deleri peccata, *si non congrua* satisfactio negligatur non contempsit necessitatem poenitentiae interioris, sed eam nomine satisfactionis comprehendit: quod iterum est contra illam argumentationem Arnaldi.

Quod requirit Augustinus, *debere poenitendo vitam in melius* mutari, esse potest non intelligentibus errandi occasio. Lege Magistrum sententiarum (lib. IV. dist. XIV.), ibidemque Albertum m., s. Thomam, s. Bonaventuram, ac reliquos. Videbis ex similibus patrum phrasibus plures docuisse, non esse veram poenitentiam, quam sequitur relapsus: quam doctrinam tum ii, tum posteriores theologi vehementer reprobant. Interpretantur autem haec de proposito vitam mutandi, esto *ex arbitrii vertibilitate*, ut loquitur s. Bonaventura, sequatur relapsus, qui fructum poenitentiae tollet, non tamen faciet, quin vera poenitentia praecesserit.

Haec bene teneas; nam hanc obiectionem saepissime atque invidissime urgent qui trium propositionum proscriptarum per Alexandrum VIII. *de ordine poenitentiae* auctores aut etiam fautores fuere.

Tandem observa, quod ait Augustinus, satisfactoria opera longo ordine enumerata sive multa genera eleemosynarum *adiuvare ut dimittantur nostra peccata.* Quod verissimum est. Sive enim ex Dei spiritu fiant ante reconciliationem, et tunc adiuvant saltem *mediate* ad ipsam amicitiae divinae recuperationem, obtinendo cor contritum et humiliatum; sive fiant post

adeptam in absolutione reconciliationem per Ecclesiae claves, et tunc adiuvant ad debitum poenae tollendum, idest ad completam remissionem peccatorum. Observa autem, quam castigate loquatur Augustinus: *adiuvant*, inquit, *ut dimittantur nostra peccata*. Non enim haec opera necessaria sunt absolute ac simpliciter, nisi in proposito servandi legem. Contra vero satisfactio illa congrua, de qua paulo ante cap. LXX., et poenitentium in melius mutari vitam, de qua c. LXXII., dicuntur simpliciter necessaria.

Quare confirmabis quod dictum est, satisfactionem apud Augustinum non determinate significare satisfactionem pro poena, sed etiam satisfactionem pro culpa. Quare testimonia patrum significantium necessitatem satisfactionis ante reconciliationem cum Deo obtinendam, quibus testimoniis abutebantur defensores aut fautores trium propositionum per Alexandrum VIII. proscriptarum, testimonia, inquam, illa inefficacia sunt nec determinate significant satisfactionis poenalia opera, sed satisfactionem pro culpa, quam praestat contritus ac confessus.

(Nota ad verba: *Multa enim bona praestantur in vitio* . . . .)

Sapienter monent Maurini patres, his verbis oblique vindicari rationem agendi cum donatistis haereticis per leges et edicta poenalia imperatorum, quam agendi rationem donatistae clamabant dedecere ecclesiasticam mansuetudinem et libertatem fidei. Lege epist. XCIII. al. XLVIII. et ep. CLXXXV. al. L.

At utilis hoc loco observatio suboritur. Opinabatur olim Augustinus, non ita agendum cum donatistis. Alii autem africani episcopi, qui et distributive singuli et collective omnes non erant cum Augustino comparandi sive scripturarum scientia, sive ecclesiasticae traditionis, sive naturalis rationis perspicacia, in opinione contraria erant. Adversati palam sunt Augustino eiusque eloquentissimis rationibus, non cesserunt eius auctoritati atque argumentis; imo tandem Augustinus eorum auctoritati et rationibus cessit, in eorumque partes tandem attractus est, quod vel ex hoc solo Enchiridii c. LXXII. constaret.

Audi Augustinum in ep. XCIII. al. XLVIII. ad Vincentium e rogatiano schismate, quae tota est de hoc argumento. *Mea primitus sententia non erat*, inquit n. 17., *nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis*, (aegre enim quis obsistere directe poterat argumentanti ac disserenti Augustino) *sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quae cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est... Ita aliae multae quae mihi nominatim commemorabantur...* Quo argumento *ab effectis* victus Augustinus est, tum ipse postea hanc ipsam opinionem auctoritatibus et rationibus cumulavit duabus citatis epistolis.

Huius observationis fructus est falsitas prop. XXX. ab Alex. VIII. proscriptae. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam pontificis bullam.*

Nemo enim tam Augustino repugnat, quam cui unum Augustini nomen pro ratione est.

Ego enim fateor caritati tuae (ait scribens Augustinus ad Hieronymum epist. LXXXII. al. XIX. n. 3.) *solis eis scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi libros tuos velle tamquam prophetarum aut apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant dubitare nefarium est. Absit hoc a pia humilitate et veraci de semetipso cogitatione.* Et epist. CXLVIII. al. CXI. n. 15. postquam similia disseruit, merito subiicit: *Talis ego sum in scriptis aliorum,*

tales esse volo intellectores meorum. Peculiaris est exceptio in ea Augustini doctrina contra pelagianos, quae specialem ab Ecclesia approbationem meruit.

Cap. LXXIII. Eleemosynae genus maximum, parcere inimicis.

LXXIII. Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multo grandius et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cum possis, audiens dicentem Deum, *Diligite inimicos vestros, bene facite eis qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur.* Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantae multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* procul dubio verba sponsionis huius implentur, si homo qui nondum ita profecit ut iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde: quia etiam sibi roganti utique vult dimitti, cum orat et dicit, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* idest sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut et nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

Matth. V. 44.

Matth. VI. 12.

Cap. LXXIV. Peccata non dimittenti non dimittuntur a Deo.

LXXIV. Iam vero qui eum, in quem peccavit, hominem rogat, si peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti et peccati sui poenitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet a Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem vero lateat Evangelii auditorem sive lectorem, quis dixerit: *Ego sum veritas*? Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendavit, dicens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet peccata vestra.* Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: et tamen potens est ille etiam mortuos suscitare.

Ioa. XIV. 6.

Matt. VI. 14. 15.

Nota ad cap. LXXIII, et LXXIV.

In his legendis capitibus locum habet quod monuit Sixtus V. in Bulla *Triumphantis:* quod *theologiae scholasticae... cognitio et exercitatio... semper certe maximum fructum afferre potuit... ad Patres securius, et utilius perlegendos, et explicandos.* Distinguit hac in re Augustinus perfectionem a praecepto; quod dimittamus rogantibus dicit esse praecepti, quod dimittamus antequam rogemur docet esse consilii ac perfectionis. Longe severius, ac verius doctrinam de diligendis ex obligatione inimicis pertractat s. Thomas II. II. q. XXV. art. 8. et 9., et brevius complectitur q. LXXXIII. art. 8. Adhuc severius, et fusius eximius Suarez de Caritate disp. V. Sect. V.

Quare apposite Sixtus Quintus in eadem Bulla ad commendandas novas utilitates ex scholastica theologia posterioribus saeculis derivatas observavit, quod Deus *Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget novis praesidiis instruit.*

In quam rem faciunt verba s. Gregorii homilia XVI. in Ezechielem: *Quanto mundus ad extremum ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur.*

Ipse Augustinus frequenter supponit, quod diligentiae posteriorum aperiat Deus, imo quemadmodum ipse multis in locis loqui solet, revelet quae prioribus obscura fuerant. Id observavit Petavius l. XIV.

de Incar. c. II. n. 11., et refert Augustinum l. II. de Genesi contra Manichaeos, ubi profitetur se explicaturum, quae in Genesi traduntur, non praeiudicantem meliori diligentiorique tractatui, sive per se sive per alios, quibus Dominus revelare dignetur. Universalius id docet Augustinus epist. XCIII. al. XLVIII. n. 35. et ep. CXLVIII. al. CXI. n. 5.

LXXV. Sane qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur, quoniam Dominus ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Hoc enim quam late pateat, non intelligunt. Sed ut intelligant, attendant quibus dixerit. Nempe in Evangelio sic scriptum est: *Cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisaeus, ut pranderet apud se, et ingressus recubuit. Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum: nunc vos Pharisaei quod deforis est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod deforis est, etiam id quod intus est fecit? verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Itane hoc intellecturi sumus ut Pharisaeis non habentibus fidem Christi, etiamsi non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua et Spiritu, munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant? cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est, *Mundans fide corda eorum:* et dicat Apostolus, *Immundis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia.* Quomodo ergo Pharisaeis omnia munda essent, si eleemosynas darent, et fideles non essent? aut quomodo fideles essent si in Christum credere atque in eius renasci gratia noluissent? Et tamen verum est quod audierunt, *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.*

Cap. LXXV. Eleemosyna sceleratos et infideles non mundat, nisi mutentur.

Luc. XI. 41.

Act. XV. 9. Tit. I. 15.

LXXVI. Qui enim vult ordinate dare eleemosynam, a se ipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiae, verissimeque dictum est, *Miserere animae tuae placens Deo.* Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. Haec est prima eleemosyna, quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus, iustum iudicium eius confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus, *Iudicium quidem ex uno in condemnationem*: et magnae caritati eius gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiae praedicator, *commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est:* ut et nos veraciter de nostra miseria iudicantes, et Deum caritate quam donavit ipse diligentes, pie recteque vivamus. Quod iudicium et caritatem Dei cum Pharisaei praeterirent, decimabant tamen propter eleemosynas quas faciebant etiam quaeque minutissima fructuum suorum: et ideo non dabant eleemosynas a se incipientes, secumque prius misericordiam facientes. Propter quem dilectionis ordinem dictum est, *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Cum ergo increpasset eos quod forinsecus se lavabant, intus autem rapina et iniquitate pleni erant, admonens quadam eleemosyna, quam sibi homo debet primitus dare, interiora mundari: *Veruntamen* inquit, *quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Deinde ut ostenderet quid admonuisset, et quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent eorum eleemosynas ignorare: *Sed vae vobis,* inquit, *Pharisaeis:* tamquam

Cap. LXXVI. Prima eleemosyna animae suae misereri et recte vivere. Eccli. XXX. 24.

Rom. V. 16.

Ibidem. VIII.

Luc. X. 27.

Luc. XI. 41.

diceret, ego quidem commonui vos eleemosynam dandam, per quam vobis munda sint omnia, *Sed vae vobis qui decimatis mentam et rutam et omne olus*; has enim novi eleemosynas vestras ne de illis me nunc vos admonuisse arbitremini; *et praeteritis iudicium et caritatem Dei*; qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, ut vobis munda essent et corpora quae lavatis: hoc est enim omnia, et interiora scilicet et exteriora: sicut alibi legitur, *Mundate quae intus sunt, et quae foris sunt munda erunt*. Sed ne istas eleemosynas, quae fiunt de fructibus terrae, respuisse videretur, *Haec*, inquit, *oportuit facere*, idest iudicium et caritatem Dei, *et illa non omittere*, idest, eleemosynas fructuum terrenorum.

Matt. XXIII. 26.

Luc. XI. 42.

Cap. LXXVII. Iniquitas deserenda, ut prosint eleemosynae.

LXXVII. Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum vel cuiuscumque pecuniae, impunitatem se emere existimant in facinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendi, non solum enim haec faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent, tantum si possent impune, versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: et qui odit animam suam, non est in eam misericors sed crudelis. Diligendo eam quippe secundum saeculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda omnia, odisset eam secundum saeculum, et diligeret secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam quam libet, nisi unde det ab illo accipiat qui non eget: ideo dictum est, *Misericordia eius praeveniet me*.

Ps. X. 6.

Psalm. LVIII. 11.

Nota ad caput LXXV, LXXVI, et LXXVII.

Ad assequendam Augustini mentem in celebri controversia de operibus infidelium summopere proderit observasse ratiocinationem Augustini his capitibus usurpatam. Negat s. Doctor quod *Pharisaeis non habentibus fidem Christi, nec renatis, munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant*. Rationem autem huius rei non ex eo petere videtur, quod eae eleemosynae in se ipsis immundae sint sive ex ipsarum substantia, sive ex defectu relationis actualis in Deum summe bonum; sed ex eo, quod personae, a quibus hae eleemosynae fiunt immundae sint: *cum itaque sint immundi omnes quos non mundat fides Christi ... qui iudicium, et caritatem Dei praetereunt ... qua pie recteque vivant*. Saepe autem observavi in libris Augustini, hoc animadverti a s. Doctore in operibus sine fide factis, quod qui ea faciunt immundi sunt; quod certe nihil facit ad Baii causam defendendam. Nam respiciunt personalem immunditiam, et malitiam operantis, non vero operis in se ipso, de quo uno est controversia. Sed haec satis indicasse sit, alias fortasse explicanda.

Cap. LXXVIII. Peccata quaedam sunt, quae humano iudicio non esse putarentur.

LXXVIII. Quae sint autem levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio. Videmus enim quaedam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est quod venerabilis Paulus coniugibus ait, *Nolite fraudare invicem nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram*: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet coniugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii cuiusquam alterius immunditiae mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset, *Hoc dico secundum veniam, non secundum imperium*. Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam

I. Cor. VII. 5.

facientibus apostolica auctoritate, fateatur. Tale quiddam est, ubi dicit, *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens iudicare apud iniquos, et non apud sanctos?* Et paulo post, *saecularia igitur iudicia si habueritis*, inquit, *eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate. Ad reverentiam vobis dico sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrem suum iudicare; sed frater cum fratre iudicatur, et hoc apud infideles.* Nam et hic posset putari iudicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret: *Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum.* Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se iudicum sententia removeri: continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait, *Quare non magis iniquitatem patimini*, quare non potius fraudamini. Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait, *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et iudicio tecum contendere, dimitte illi et pallium.* Et alio loco, *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaque suos de saecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum tamen cum sinit in Ecclesia talia iudicia finiri inter fratres fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat; manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter haec atque huiusmodi peccata, et alia, licet iis minora, quae fiunt verborum et cogitationum offensionibus, apostolo Iacobo confitente ac dicente: *In multis enim offendimus omnes*: oportet ut quotidie crebroque oremus Dominum, atque dicamus, *Dimitte nobis debita nostra*, nec in eo quod sequitur mentiamur: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

I. Cor. VI. 1. etc.
Matth. V. 40.
Luc. VI. 30.
Iac. III. 2.
Matt. VI. 12.

LXXIX. Sunt autem quaedam quae levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo *fatue*, reum gehennae putaret, nisi Veritas diceret? Cui tamen vulneri subiecit continuo medicinam praeceptum fraternae reconciliationis adiungens; mox quippe ait. *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te.* Aut quis aestimaret quam magnum peccatum sit, dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora; nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait, *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis?*

Cap. LXXIX. Quae levia videntur, esse interdum gravissima.
Matt. V. 22.
Gal. IV. 11.

LXXX. Huc accedit, quod peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque adeo ut non solum occultanda, verum etiam praedicanda ac diffamanda videantur, quando sicut scriptum est: *Laudatur peccator in desideriis animae suae, et qui iniqua gerit, benedicitur.* Talis in divinis libris iniquitas clamor vocatur, sicut habes apud Isaiam Prophetam de vinea mala. *Expectavi*, inquit, *ut faceret iudicium, fecit autem iniquitatem, et non iustitiam, sed clamorem.* Unde et illud in Genesi: *Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est.* Quia non solum iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum etiam publice veluti lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem iam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus, *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in*

Cap. LXXX. Peccata horrenda, usu videntur levia.
Psal. IX. 24.
Is. V. 7.
Gen. XVIII. 20.

vobis; exclamare compulsus sum. *Vae peccatis hominum, quae sola inusitata exhorrescimus: usitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant regnum Dei, saepe videndo omnia tolerare, saepe toleranda nonnulla etiam facere cogimur.* Atque utinam, o Domine, non omnia quae non potuerimus prohibere faciamus! Sed videro utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit dicere.

Nota I. ad cap. LXXVIII, LXXIX, LXXX.

Frequentissimum est in libris s. Augustini, et ad eius mentem in arduis controversiis interpretandam apprime utile, ut adversativae propositiones ab ipso usurpatae subintelligant particulam *solum* aut *tantum*, sive aequivalentem. Sensus est itaque. Quae sint levia, quae gravia peccata non humano *tantum*, sed divino, idque praecipue, iudicio pensanda sunt. Etenim argumenta a ratione naturali petita passim Augustinus profert, ac magni facit. Memineris eorum quae paulo supra recitavimus ex Aug. ep. LXXXII. al. XIX. n. 3. Alios autem ita lego ut... non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quae a vero non abhorreret, persuadere potuerunt.

Eius autem modi loquendi, quem in Augustino adnotavimus, exempla frequentissima sunt. Cum serm. CLV. al. VI. de verb. Apost. n. 9. dicat: *Post concupiscentias tuas non eas debet impleri ex voluntate nostra adiuta gratia Dei*; passim tamen ait *non nobis*, *sed divinae gratiae tribuenda bona opera.* Passim *non legi* sed *gratiae bona* opera adscribit, idest non nobis *tantum* non legi *tantum*, *ne lex videretur sufficere posse homini habenti liberum arbitrium, etiamsi nullum ultra auxilium divinum porrigeretur* inquit August. serm. CLVI. al. XIII. de verb. Apost. n. 1.

Nota II. ad cap. LXXVIII., LXXIX, LXXX.

Duo affirmat Augustinus I. Bonum nuptiale quod unice intendi potest sine veniali peccato in usu coniugii, esse procreationem liberorum; II. Si quis autem intendat in usu voluptatis coniugalis vitare fornicationem, peccare venialiter. Haec est perpetuo s. Augustini doctrina. Lege serm. IX. al. XCVI. de Temp. n. 18., et serm. CCLXXVIII. al. XXXIV. de diversis n. 9. 51. al. LXIII. de diversis n. 22. et seqq., et l. de Continentia n. 27. In quibus aliisque locis non modo damnat peccati venialis eos, qui utuntur matrimonio causa solius voluptatis: quod unum si Augustinus sensisset, consentientes habuisset non patres modo, sed etiam theologos ante ipsam damnationem propositionis IX. factam ab Innocentio XI. Quare Norisius frustra laborat in hac sententia vindicanda in *Vind. August.* c. III. §. 8.; sed venialis culpae reum facit illum quoque qui voluptatem coniugii ordinet ad vitandam incontinentiam. Quare neque saltem duos fines agnoscit licite matrimonio utendi, procreationem liberorum, aut saltem evitationem incontinentiae: unum licitum finem agnoscit liberorum procreationem, quem finem si praetergrediaris saltem venialiter peccas. Quando tu uti uxore amplius quam necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, iam peccatum est, et ipsa talia peccata quotidianae eleemosynae mundant.

Non contendo hanc Augustini opinionem esse falsam; non hoc est huius loci. Utile tamen erit in medium proferre contrariam sententiam s. Ioannis Chrysostomi, qui obiit Archiepiscopus Constantinopolitanus anno 407., cum Augustinus a pluribus iam annis esset in Africa Episcopus.

Libro de Virginitate cap. XIX. tom. I. operum Ed. Montefaucon pag. 282. *Cum liberorum procreandorum causa proditum matrimonium est, tum multo magis ad naturae ardorem restinguendum. Atque id Paulus testatur dicens:* sed propter fornicationem suam quisque uxorem habeat, non propter liberorum procreationem. *Namque ubi convenire iubet, non ut multorum filiorum parentes fiant, sed cur?* ne vos tentet, inquit, satanas. *Ac progressus non dixit: si optant liberos; sed quid?* qui se non continent, matrimonium contrahant. *Principio enim, ut dicebam, duplicem hanc occasionem habebat, sed deinde terra*

ac mari atque orbe omni repleto unus dumtaxat praetextus est reliquus nequitiae ac libidinis abolitio.

Hanc doctrinam saepissime iterat Chrysostomus non eo solo numero 19., sed ante ac postea in eo libro. Imo homilia XIX. in I. ad Corint. in eius fine excusat se, quod de matrimonio ac virginitate non agat. *Librum*, inquit, *integrum in eam rem edidimus, et cum ibi accurate, quantum potuimus, rem hanc tractaverimus.*

In Homilia, *Quales ducendae sint nuptiae*, n. 5. tom. 3. ed. Montef.: *Ante omnia* (inquit) *disce quaenam causa coniugii... Hoc enim unum in coniugio spectatur et maxime, ut peccatum effugiamus, et simus immunes a scortationibus.*

Homilia LX. in Matthaeum. *Hoc praecipuum esse matrimonii lucrum, ut castimonia conservetur.*

Hic autem esto praecipuus observationis fructus, ut ne nimium nostro iudicio fidamus. Sanctissimi doctissimique erant Augustinus atque Chrysostomus, quorum alter in Africa, alter in Oriente per eadem tempora de una eademque gravissima re morali tanta opinionum varietate dissidebant. Cum autem uterque in sua sententia tamquam unice vera obfirmatissimus esset, alterutrum falli in re morali necesse fuit. *Quis autem iam esse peccatum neget*, scribebat Augustinus de usu voluptatis matrimonii, *non ob filios procreandos* sed *ob vitandam incontinentiam, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur.* Quis, inquam, hoc neget? Nempe id negabat eo ipso tempore in oriente Chrysostomus, qui in contraria omnino abibat. Vituperabat potius utentes matrimonio filiorum procreandorum causa, postquam orbis repletus iam erat hominum multitudine: utentes autem ea voluptate ad vitandam incontinentiam, eos enim vero unice probabat. Satis id tibi suadebunt verba Chrysostomi, quae transcripsi. Plura per te legere potes in libro de Virginitate, ubi rationem utendi matrimonio ob procreationem prolixe et eloquenter partim refellit, partim etiam irridet eos qui sic opinantur cap. XIV. appellans *Orbis curatores.* Rationem autem utendi ea voluptate ad vitandam impudicitiam commendat ex hypothesi eius infirmitatis: adeas quae habet cap. IX. *Nec enim matrimonium in malis pono, quin vehementer collaudo. Est enim iis qui rite uti velint, continentiae portus, naturam efferari non permittens. Nam legitimo coitu, quasi scopulis quibusdam obiectis ad excipiendos libidinis fluctus, nos in summa tranquillitate collocat, ac tuetur.* Et in homilia *quales ducendae sint uxores* n. 5. *Ut Deo placeamus contenti uxore propria, hoc nobis affert coniugium, hic eius fructus, hoc inde lucrum ..... In hoc quaerendae sunt nuptiae, ut ad vitam pudice degendam nos adiuvent.*

Dixi alterutrum ex his ss. Doctoribus falsum dixisse. At forte uterque erraverit: si enim vera est gravissimorum theologorum sententia cum Card. Caietano (in summa *V. Matrimonium*) ex alterutro fine sive procreationis liberorum sive vitandae incontinentiae licitum esse matrimonii usum, quod amplectitur etiam s. Antoninus, P. III. Tit. I. cap. II., quando alia remedia coercendae carnis nihil profuerint, si haec vera sunt, falsum erit tum quod ait Augustinus *solam* liberorum procreationem, sive quod docuit Chrysostomus *solam* evitationem incontinentiae esse posse honestum finem usus matrimonialis, cum uterque esse possit.

Iam autem quam apposite atque utiliter haec exempla nos doceant, ut nobismetipsis in rerum praecipue theologicarum atque moralium iudicio non multum tribuamus, facile conficitur. Haec aut illa sententia de sacramentis, de contractibus, de restitutione, de alia re qualibet vera mihi videtur, nihil de ea dubito, aut ambigo. At neque Augustino, neque Chrysostomo ingeniosior, eruditior, doctior sum. Quid si et mihi decipi in hac sententia contingat, nec alia in ea sit veritas, quam apparens? Aequum igitur non est, ut meo iudicio nimium confisus ad contrariam sententiam contemnendam irridendam traducendam conviciandam dilacerandam praecipitanter procurram, maiori persaepe mei nominis ludibrio atque infamia, quam alieni. Quid quod ad superbiae culpam, quae *ambulat in magnis*, et *mirabilibus super se*, accedit iniustitiae crimen, a quo nos sapienter a-

vertit eximius doctor Suarez. *Unde*, inquit disput. XIX de fide Sect. VI. n. 6. *existimo et moneo, posse facile peccari graviter in hac materia exaggerando proprias opiniones, et contrarias convitiis vel censuris sine delectu afficiendo, quia illud facile esse potest perniciosum mendacium cedens in aliorum infamiam vel iniuriam, et aliquando in gravem poenam et nocumentum.*

Nota III. in caput LXXIX. Sunt autem quaedam quae levissima.

Quid lateat gravis contumeliae sub ea vocula *fatue* expositum habes a s. Thoma II. II. q. LXXII. art. 2. Quid gravis mali lateat sub *observationibus dierum* ... explicat idem Augustinus epist. LV. ad Ianuarium al. CXIX n. 13. *Non igitur nos de sole et luna, annuis menstruisque temporibus actionum nostrarum eventa coniicimus, ne in vitae humanae periculosissimis tempestatibus tamquam in scopulos miserae servitutis illisi, a libero arbitrio naufragemus... Non itaque dies observamus et annos et menses et tempora, ne audiamus ab Apostolo.* Timeo vos, ne sine causa laboraverim in vobis. *Eos enim culpat qui dicunt: non proficiscar quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur...*, et infra n. 15. detestatur *vanitates hominum ob hoc observantium sidera ut... quasi fatalia rerum iam eventa perquirant.*

Observat Augustinus l. de diversis quaestionibus octoginta tribus q. XLV. quod *veteres appellarunt mathematicos illos, qui temporum numeros motu coeli, ac siderum pervestigarunt.* At inquit, *qui nunc appellantur mathematici volentes actus nostros corporibus caelestibus subdere, et nos vendere stellis, ipsumque pretium quo vendimur a nobis accipere.* Haec scribebat Augustinus an. 388. Sub finem igitur 10. saeculi et deinceps qui callebant mathesim et astronomiam, quoniam hae scientiae seipsis steriles videbantur, iis adiunxere comitem quam dicimus astrologiam iudiciariam, qua et famam et pecunias sibi comparabant, et absolute ac simpliciter mathematici appellabantur. Eos saepissime Augustinus impugnat. Vide ad finem Enar. Psal. LXI. quae habet de mathematico converso. Diu perduravit haec coniunctio matheseos cum astrologia iudiciaria; donec postremo saeculo alia via mathesis sibi plausum conciliavit, sibi scilicet physicam adiungens: rectene an secus id physicae cesserit, alia quaestio est. Mathesi certe optime cessit; liberata enim est ab ea infamia astrologiae iudiciariae. Quare in mathematicos aetatis nostrae qui ea maledicta et convicia congereret, quibus tam saepe Augustinus mathematicorum deliramenta excipit, imperite satis id faceret.

Unum est diligentissime observandum in hoc capite LXXIX. ad ea verba: *Cui tamen vulneri* (nempe crimini gravis contumeliae in fratrem) *subiecit continuo medicinam, praeceptum fraternae reconciliationis adiungens .....*: non enim excludit tum hoc loco, tum pluribus aliis similibus medicinam *per Ecclesiae claves*, licet mentionem faciat solius caritatis remittentis iniurias. In hanc rem facit regula quam Augustinus tradit l. *de fide et operibus*, quem octo circiter annis ante Enchiridion scripserat. Nam cap. IX. *Spado, inquiunt, ille quem Philippus baptizavit, nihil plus dixit quam credo Filium Dei esse Iesum Christum, et in hac professione continuo baptizatus est*; ex quo inferebant adversarii nihil curatum fuisse de instructione morum, sed tantum de fide.

Respondet Augustinus: *Scriptura tacuit atque intelligenda dimisit cetera... quae licet taceantur in scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.* Eamdem regulam adhibeas in Augustino interpretando. Ceterum quod peccatorum remissio fiat per claves Ecclesiae, praeter testimonia congesta a Bellarmino l. I. de Poenit. c. 10. et Natalem Alexandrum saeculo III. disser. XXII. q. unica, evincit Augustini locus l. II. de Adult. coniug. cap. IX. *Non erit turpis neque difficilis etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum, ubi per claves regni coelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum.* Et serm. LVI. n. 12. *Abstinentes ab idolatria, a constellationibus mathematicorum, a remediis incantatorum...., ab homicidiis, ab adulteriis....., et si qua forte alia non dico quae exitiales exitus habent unde necesse sit praecidi ab altari et ligari in terra ut ligetur in coelo, valde periculose*

et mortifere, nisi solvatur in terra, *quod solvatur in coelo*. Tandem Ecclesiae potestatem significat in hoc Enchiridio capitibus LXXXII. et LXXXIII. quae consequuntur. Animadvertenda ista contra Dallaeum Calvinistam in lib. de Confess. auriculari.

Usitata vero (peccata) pro quibus abluendis filii Dei sanguis effusus est.

Audiat haec Iansenius, qui tom. III. l. III. de Gr. Ch. cap. XI. *oblatio*, inquit, *ac directio Christi inanis esse non potest:* addens quod *Augustinus nunquam in scriptis suis* aliam sententiam habuerit. Atqui hoc loco habes sanguinem effusum pro peccatis usitatis, quaeque reipsa erant, et frequentissima erant, et tam magna, ut omnino claudi contra se facerent regnum Dei. Iam autem pro peccatis, quae re ipsa fiunt, et claudi contra se faciunt regnum Dei, repugnat quod sanguis Christi effusus sit quantum ad efficaciam; superest ut effusus sit ad sufficientiam pretii applicabilem, nisi per homines steterit, in sacramentis.

Non itaque Christus sanguinem fudit tantum pro christianis electis ad obtinenda ipsis ea bona, quae cum perseverantia finali et aeterna gloria reipsa consequuntur uti docet Iansenius l. c., pro reprobis autem ad obtinendas iis tantum *temporales gratias* fidei, spei aut caritatis, aliorumque, quae ad tempus et sine perseverantia obtinent, ut docet eodem capite. Fusus est Christi sanguis etiam pro iis quae non obtinentur, nempe pro abluendis peccatis quae non abluuntur, et pro quibus oblatio ac directio Christi inanis fuit culpa hominum, contra ac doceat Iansenius l. c.

LXXXI. Hoc nunc dicam, quod quidem et in aliis opusculorum meorum locis saepe iam dixi. Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus: quorum duorum illud ignorantiae malum est, hoc infirmitatis. Contra quae quidem pugnare nos convenit: sed profecto vincimur, nisi divinitus adiuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiae vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus; iam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis praevaricatores, cum id non facimus quod faciendum, vel facimus quod non faciendum esse iam scimus. Quapropter non solum si peccavimus ut ignoscat, propter quod dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* verum etiam ne peccemus ut regat, propter quod dicimus, *ne nos inferas in tentationem;* ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo, *Dominus illuminatio mea et salus mea:* ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

Cap. LXXXI. Peccati causae duae, ignorantia et infirmitas, quas nemo vincit nisi divinitus adiutus.

Matt. VI. 12.

Ps. XXVI.

(*Duabus ex causis peccamus* .....) Loquitur hoc loco Augustinus de causis, ut scholastici dicunt, *formalibus* peccatorum, non vero de causis efficientibus. Atque hoc pacto totus huius capitis contextus de peccatis ignorantiae vincibilis, et infirmitatis sibi optime consonat. Sicut *enim malum infirmitatis habetur*, seu constituitur tamquam a forma, *non faciendo quod debere fieri iam videmus*, *ita malum seu peccatum ignorantiae*, utique vincibilis habetur formaliter seu constituitur tamquam a forma, *nondum videndo quod facere debeam*, sed culpabiliter *non videndo* secundum illud Augustini l. III. de Lib. arb. c. XIX. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras*: et cap. XXII.: *Hoc animae deputatur in reatum... quod scire non studuit, et quod dignam facilitati comparandae ad recte faciendum operam non dedit.* Quod si malum ignorantiae invincibile sit, non erit *proprie* peccatum ex s. Augustino, sed per synecdochen, quia effectus seu poena pec-

Nota I. ad cap. LXXXI.

cati originalis. Hinc l. III. de Lib. arb. cap. XIX. *Illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte nolens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberae voluntatis originem ducunt. Illud enim praecedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum consequitur, idest formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua graeca alia latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate et ab sciente committitur: sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.* Utrumque ignorantiae malum complexus est Augustinus in ep. ad Sixtum CXCIV. n. 27. *Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est:* (et malum ignorantiae vincibilis quod scholastici appellant peccatum formale) *in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati:* nempe originalis et ut scholastici vocant peccatum materiale, ita enim appellant quod fit ex ignorantia invincibili.

Cum autem Augustinus hoc Enchiridii loco fateatur se *saepe in aliis opusculis suis* eadem dixisse, habes quomodo similia explices in aliis Augustini locis: ex. gr. l. II. de Pec. mer. et rem., quos libros scripsit anno 412. novennio fere ante Enchiridion, haec habet c. XVII. *nolunt homines facere quod iustum est sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat.*

Nolunt homines facere quod iustum est (quod accidit, quando peccant tum peccato ignorantiae culpabilis, tum peccato infirmitatis) *sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat.* Si τo *quia* significaret causam efficientem, Augustinus homines excusaret in suis peccatis; dicerent enim, defectu *cognitionis et delectationis* causatum in eis fuisse effective peccatum: eam autem praeviam cognitionem ac delectationem sibi liberam non fuisse. *Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem?* ait August. l. I. ad Simpl. q. II. n. 21. Itaque τo *quia* dicit causam formalem: *latere culpabiliter* et ex propria negligentia an iustum sit, est forma, qua homo constituitur reus ignorando, idest reus peccati ignorantiae vincibilis: *non delectari deliberate* in bona est forma, qua forma, qua homo costituitur reus in nolendo bonum; idest reus peccati infirmitatis. Ita Augustinus planissime satisfacit quaestioni propositae; quaestio enim erat: *Cum voluntas humana gratia adiuvante divina sine peccato in hac vita possit esse cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt: sed si ex me quaeritur, quare nolint; imus in longum. Verumtamen hoc sine praeiudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam.* Dicit autem ea responsione quam exponimus: *Nolunt homines facere, quod iustum est sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat.* Non hoc loco agitur de causa efficiente mali quam causam non esse malum principium, sed esse ipsum liberum hominem vel angelum tam multis explicuerat Augustinus contra manichaeos, et repetit etiam in libris contra Iulianum. Explicat igitur *quare nolint,* evolvendo causas formales huius noluntatis. In hunc finem partitur hoc *malum nolle* in duas species, quarum altera est peccatum ignorantiae culpabilis, alterum est peccatum infirmitatis. Utriusque peccati formam, seu formalem causam profert, ut explicuimus. Nihil autem obstat quod *homines nolle* et homines non *delectari* deliberate *de bono* sint reipsa unum et idem. Adhuc tamen unum est ratio metaphysica alterius. Quid frequentius apud Augustinum, quam homines peccare *quia volunt,* homines hoc velle *quia eos delectat ita peccare,* secundum illud eiusdem Augustini sub finem serm. CLX. alias XI. inter editos ex Carthusiae mss.: *Delectat enim peccare; nam si non delectaret non fieret.* Ubi clare sermo est de delectatione utique deliberata, quam peccans in peccato experitur et tamen haec tria *peccare, velle, et delectari* sunt unum et idem reipsa.

Pergit Augustinus: *Tanto enim quidque vehementius nolumus* (sive declinantes a peccato ignorantiae culpabilis, sive declinantes a peccato infirmitatis) *quanto*

certius quam bonum sit novimus (qua cognitione formaliter expellitur peccatum ignorantiae, cum ea cognitio non sit sine nostra diligentia in investiganda veritate, quemadmodum haec ignorantia non sine nostra negligentia) *eoque delectamur ardentius* (qua delectatione deliberata formaliter expellitur peccatum infirmitatis). *Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.*

Ex his postremis verbis duo inferuntur. 1. Vitiosa ignorantia, vitiosa infirmitas non sunt re ipsa nisi peccatum ignorantiae et peccatum infirmitatis: quae peccata non per modum causae efficientis, sed causae formalis impediunt, ne voluntas moveatur ad bonum, et abstineat a malo; 2. Cum haec verba non sint nisi repetitio priorum *nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat*, confirmatur quod in his verbis interpretandis diximus, ibi designari causam formalem, non efficientem; proindeque *latere an iustum sit*, idem esse ac peccatum vincibilis ignorantiae : *non delectare*, nempe deliberate, idem esse ac peccatum infirmitatis. Pergit Augustinus *ut autem innotescat quod latebat* (idest ut hac innotescentia per modum causae formalis pellatur vitium ignorantiae culpabilis) *et suave fiat, quod non delectabat* (idest ut hac suavitate deliberata per modum causae formalis pellatur *vitium infirmitatis*), *gratiae Dei est.* Non ait *gratia Dei est*, in quem sensum explicat communis interpretatio ; sed est *gratiae Dei:* nempe est effectus gratiae Dei tamquam causae efficientis : gratiae Dei est, inquam, *quae hominum adiuvat voluntates:* adiuvat autem *vocatione illa alta, atque secreta, sic eius agens sensum ut eidem legi atque doctrinae accomodet assensum*, ait idem Augustinus alibi in ep. CCXVII. ad Vitalem n. 5. *Qua ut non adiuventur*, pergit Augustinus hoc loco, quem exponimus l. II. de Pecc. mer. c. XVII. *in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

Hic interrogabis : quomodo in ipsis causa est? Respondetur ex Augustino paulo post eodem cap. 17. Propter superbiam praesumentium de se, et ad Deum non confugientium : *Nullius proinde*, ait Augustinus, *culpae humanae in Deum referas causam. Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.* Hinc fit, *ut non adiuvetur* adiutorio dante completam, et proximam potentiam ad implendum mandatum.

Si instes: quomodo homines culpabiles sunt in hac ipsa superbia praesumente de suis viribus et ad Deum non confugiente? Respondetur, id explicari duobus principiis inconcussis in doctrina s. Augustini I. Quia debent homines ex statuta Dei lege ita ad ipsum confugere, ut auferat eorum impotentiam qua proxime et complete non possunt, et completam potestatem largiatur. Id centies ac millies iterat Augustinus. *Convenit autem scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet vel non potest admonitus sentiat, et ab eo, a quo sunt bona omnia, indigens poscat* ait Augustinus l. I. Op. imp. n. 93. Sed necesse non est ad alios Augustini libros evagari. Nam hoc ipso lib. II. de Pecc. mer. cap. XIX. *Nec ideo tamen in iisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversus ipsam maxime superbiam, propter quam in eis humilianur, et nos vigilanter conemur, et ipsum deprecemur ardenter.* Addit Augustinus hanc ipsam deprecationem ex Dei aliqua praevia gratia et dono esse. *Simul*, inquit, *intelligentes, et quod sic conemur, et quod sic deprecemur dono illius nos habere.*

Alterum inconcussum principium in Augustino est, quod ad Deum deprecandum, et contrariam praesumptionem et superbiam effugiendam nemini negatur adiutorium, quod ad Deum precandum superbiamque vincendam proximum et completum est, quamvis ad legem implendam esse possit remotum, et non omnino completum. Augustinus l. de Gr. et lib. arb. cap. XV. *praecepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, adiutorium divinum* (utique proximum et completum ad faciendum praeceptum) *precemur.* Tum c. XVIII. *Praecepto admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum, quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid*

dilectionis (en gratiam initialem , aliquantulam gratiam , ut alibi Augustinus dicit, quae saltem ad orandum vincendamque superbiam , et praesumptionem de suis viribus sufficit) *ut addi sibi quaereret, unde quod iubebatur impleret.* Hinc instituitur argumentatio. *Liberum arbitrium sine suo fructu prorsus admoneretur nisi prius acciperet aliquid dilectionis , ut addi sibi quaereret , unde quod iubebatur impleret.* Est haec Augustini propositio, quam ipse non haesitanter tradit, sed consentanee ad generalem regulam sexcenties ab ipso inculcatam. *Audiamus Dominum et praecipientem, et opitulantem, et iubentem quid facere debeamus, et adiuvantem ut implere possimus*, ut ait tract. LIII. in Ioan. n. 8. Si ergo omnes orare iubet, omnibus auxiliatur , ut orent et *aliquid dilectionis* impertit. Procedatur iam ad minorem propositionem argumenti. *Atqui omne liberum arbitrium etiam infidelium fructuose prorsus a Deo saltem per naturalia decalogi praecepta admonetur, non supervacanee, inutiliter, simulatorie, irrisorie.* Hanc minorem propositionem de lege Dei omnibus universali , eademque non frustranea , fatetur ipse Iansenius tom. III. lib. III. de Gr. Chr. c. XVII. per totum, et quidem ad mentem Augustini. Ex his descendit consequentia. Ergo *omne liberum arbitrium etiam infidelium , prius accipit aliquid dilectionis, ut addi sibi quaerat, unde quod iubetur, impleat.* Hinc verissime Augustinus in ps. XVIII. enarr. I. n. 7. *Non permisit ullum mortalium se excusare de umbra mortis.*

Ex his habes quod ubicumque Augustinus monet ut oremus, semper supponit adesse saltem *aliquid dilectionis* , qua Deus tribuat facultatem orandi : aliter frustra, sine fructu, sine causa iuberetur: *Homo ergo gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur*, ait Aug. l. de Nat. et Gr. c. IV. n. 9. Sine causa igitur iuberetur omnis homo orare, ut completam potestatem accipiat ; nisi omnis homo gratia ad saltem orandum iuvaretur. Atque universim loquendo verum est quod ait l. IV. Op. imp. n. 119. *Hominibus natura filiis irae propterea dantur praecepta vivendi, quia datur et gratia , ut qui iubet , iuvet.* Inter praecepta vivendi est praeceptum orandi : datur igitur et *gratia ut qui iubet orare, iuvet.*

Paulo fusius commoratus sum in explicando, quid sint , quidve significent duae illae *causae peccandi* , de quibus Augustinus hoc c. LXXXI. Enchiridii ; nam et saepissime id repetit in operibus suis , imo in eo l. II. de Pecc. mer. non eo tantum loco , quem expendimus , sed pluries et pluries id habet ; et praeterea si permittamus , ut Iansenius ea intelligat de causis efficientibus uti ipse semper intelligit , (vide l. IV. de Gr. Chr. c. I.) quemadmodum et catholici plerique, molestissime insurgunt tricae, et difficultates a Iansenio contra catholicos ; quae omnes data interpretatione uno ictu excinduntur.

De duabus autem causis efficientibus agit cap. XXIV. huius Enchiridii , ubi de peccato primi hominis : *Hoc est* (inquit) *primum creaturae rationalis malum, id est prima privatio boni; deinde iam etiam nolentibus nobis subintravit ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia noxiarum.* Animadverte ea verba *nolentibus nobis.* Quare intelliges eo cap. XXIV. agi de ignorantia et concupiscentia in eo gradu , quo mala necessaria sunt et indeclinabilia , et in quantum talia sunt causae efficientes peccatorum , nisi voluntas repugnet, ut potest.

Observandum diligentissime est, quod cum Augustinus docet *contra malum ignorantiae, et infirmitatis pugnare nos convenit* iam supponit nos aliquali auxilio instructos , quo *pugnare* possimus. Pugnare enim contra haec mala sine aliquo gratiae auxilio pelagianum est , et millies damnatum ab Augustino ex illo Davidis: *Misericordia eius praeveniet me* (lege Aug. lib. de Sp. et lit. c. XXXIV.). *Sed profecto vincimur, nisi divinitus adiuvemur*, pergit Augustinus ; nempe praeter illud inchoatum auxilium , quo pugnam inchoare possimus , necessarium est ulterius auxilium , quo proxime possimus plene observare praeceptum , et recte exequi quae debemus.

Occurrit in hanc rem insignis Augustini locus serm. CXLV. al III. ex editis Mss. Carthusiae maioris. Describit n. 5. *hominem sub lege peccati , cuius ho-*

minis prava intelligentia tot sophistica argumenta suppeditat Iansenio (l. I. de Gr. Chr. a cap. VII. et seqq.). *Videt aliam legem* (inquit Augustinus) *in membris suis repugnantem legi mentis suae , et captivum se ducentem in lege peccati, quae est in membris eius. Ecce vincitur, ecce trahitur, ecce captivatur , ecce subiugatur. Quid ei profuit , non concupisces? Audivit non concupisces, ut nosset hostem, non ut vinceret... Iam vidisti hostem, pugna liberare , assere te in libertatem, prematur iucunda suggestio, perimatur illicita delectatio. Armare : habes legem: procede, vince, si potes.* Quod hoc loco dicitur ab Augustino de homine sic impotente, et cum hac impotentia peccante, quippe qui *vincitur* , *trahitur, subiugatur* , videretur favere Iansenio ; at audi quod sequitur : *Quid enim est quod ex aliquantula iam gratia Dei condelectaris legi Dei secundum interiorem hominem?* Non ergo omni gratia destitutus etiam initiali , et inchoata. *Sed vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuae : non repugnantem, et nihil valentem sed captivum te ducentem in lege peccati.* Facilius iam intelligitur, quod homo sit in hac sua captivitate culpabilis , *cum aliquantula gratia Dei condelectetur legi Dei.*

Iam Augustinus explicat modum, quo id accidit, sive explicat ac detegit radicem culpabilis huius captivitatis sub peccato. *Ecce unde timenti tibi absconditur multitudo illa dulcedinis : absconditur timenti. Quomodo perficitur speranti? Clama sub hoste, quia habes oppugnatorem habes et adiutorem, qui te expectat pugnantem, sublevat laborantem; sed si inveniat sperantem* (utique ex aliquantula gratia), *odit enim superbientem.... Agnosce te victum , vires tuas confunde..... ecce homo de se praesumebat, tentavit pugnare , non potuit superare , victus est, prostratus est, subiugatus est, captivatus est. Didicit de Deo praesumere, et quem lex terruit de se praesumentem, restat ut gratia adiuvet in Deum sperantem.*

Quia igitur homo *sub ea aliquantula gratia* solum timebat legem terrentem , ceterum praesumens de suis viribus non sperabat, non clamabat, ideo illi absconde debatur multitudo dulcedinis, nec experiebatur adiutorem, qui expectat pugnantem, sublevat laborantem , impertiendo scilicet adiutorium proximum ac completum, quo quis asserit se *in libertatem*, quo prematur *iucunda suggestio* , quo perimatur *illicita delectatio : restat* ergo , ut *gratia* nempe proxima , et completa *adiuvet in Deum sperantem* non spe, quae sit ex propriis viribus sed ex *gratia aliquantula* , idest initiali, quae per ordinem ad plenam legis observantiam remota, ac mediata est.

Corollarium I. In doctrina s. Augustini gratia, adiutorium, ac similia usurpantur frequentissime a s. Doctore pro gratia et adiutorio completo et proximo ad legem et mandata servanda.

Corollarium II. Hoc sensu saepe Augustinus docet gratiam dari conantibus , petentibus , clamantibus , laborantibus nobis, idest gratiam *completam* nobis eas dispositiones praestantibus ex gratia initiali, seu *aliquantula* , quaeque est aliquid delectationis.

Corollarium III. Hoc sensu multi dicuntur ab Augustino destituti gratia , nempe *completa,* et quidem ex culpa ipsorum, quia male usi sunt *gratia aliquantula*, qua petere , et clamare poterant.

Corollarium IV. Hoc sensu frequentissimum est in Augustino: *Si destituimur adiutorio divino peccamus* quod durum videtur; quomodo enim peccabit sic destitutus, ideoque impotens? Sed sensus est planus , ac facilis ex dictis. Si destituimur adiutorio completo , peccabimus, quippe habentes *aliquantulam gratiam* sive initialem possemus clamare , petere, pulsare, et uberiori auxilio praeveniri. Non autem ea conditionalis significat hypotesim, qua *omni* divino auxilio destituti simus proportionato naturae rerum gerendarum aut omittendarum , et sic destituti peccemus, quod maxime Augustino repugnaret. *Quis enim peccat in eo , quod nullo modo caveri potest?* l. III. de lib. Arb. c. XVIII. Haec corollaria illustrari possent innumeris Augustini locis, quibus Iansenistarum erroribus occurritur. Expendatur imprimis , sed integer, locus August. l. II. de Pecc. mer. et rem. c. XIX. *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad fa-*

ciendam perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat? En adiutorium proximum, et completum, quod antonomastice Augustinus vocat *adiutorium ad faciendam, perficiendamque iustitiam.* At ipsum deprecari nonne ex praevia aliqua initiali gratia est? Utique. Hinc statim Augustinus: *Quia et hoc ab illo esse deprecandum eius gratia didicimus, dum antea lateret: eius gratia dilexinus, dum antea non delectaret.* En gratia ad deprecandum, qua scilicet et discimus esse deprecandum, et diligimus ipsam deprecationem illius quod antea latebat, et non delectabat. Haec gratia deprecandi, quae communis est, initium esse solet sanctificationis.

Idem Augustinus serm. CLV. al. VI. de verbis Apostoli, qui est contra pelagianos. *Superabundavit gratia* (inquit n. 4.) *quae delevit cuncta peccata, quae invenit, et ad non peccandum voluntati nostrae conanti adiutorium subministravit.* Subministatur *adiutorium*, nempe completum immediatum et proximum voluntati *conanti*, sed ex gratia *aliquantula* sive initiali, qua *medicus quaeritur*, ut toties habet Augustinus. Imo in hoc ipso serm. n. 4. *Etenim quis praevenit gratiam, quae gratis datur? Si aliquid meritorum antevenit gratiam, ea non gratis datur, sed ex debito redditur.* Hinc constat de Corollario I. et II.

Idem Augustinus serm. CLIII. n. 8. et 9. *Passiones ..... auctae sunt per legem. Prohibendo enim fecerunt legis praevaricatorem, quia ille qui praevaricator est factus, Deum non habuit adiutorem.* Haec verba favere videntur Iansenio. At ulterius interrogo cur adiutorium non habuit? Declarat Augustinus in sequentibus. *Spiritus tuus in carnem relabitur, quia non dedisti eum illi, a quo suspendatur.* Non se continet, si non continetur. *In illo te pone, qui fecit te. Nam si spem in te habueris, accepta lege praevaricator eris.* Audisti rationem quare adiutorium non habuit, proindeque spiritus in carnem relapsus est: *Quia non dedit se illi*, cuius virtute suspenderetur a lapsu, et ab eo contineretur. Ut autem posset *se illi dare, hoc habuit ex aliquantula gratia.*

Eadem est Augustini doctrina serm. C. al. VII. de verbis Domini. Numer. enim IV. exponit cum Apostolo *reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal; sic ergo et in hoc tempore*, inquit Apostolus, *reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt. Quid est*, interrogat Augustinus, *reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me praesumentes, non de se, nec de Baal. Non sunt mutati, sic sunt ut a me facti sunt. Et tu, qui loqueris, nisi de me praesumeres ubi esses? Nisi gratia mea plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse genu flecteres? Gratia autem mea plenus es, quia nihil de tua virtute, sed totum de mea gratia praesumpsisti. Noli ergo in hoc gloriari, ut putes te servitio tuo non habere conservos. Sunt quos elegi sicut et te, de me scilicet praesumentes, sicut ait Apostolus: et nunc reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt.* Vides quod gratia plenior, et electio ad pleniorem gratiam retribuitur praesumenti de Deo. At haec ipsa praesumptio sancta divini auxilii unde est? Utique ex aliqua praevia initiali gratia: *Ut esset aliquid reliquum*, inquit statim Augustinus, *gratia in te Dei, non tuum meritum fecit.* Itaque illud ipsum *aliquid reliquum*, quod est praesumptio divini auxilii, ex gratia est *licet non plena.*

Serm. LVII. al. IX. de diversis n. 9. *Cum ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversus se luctatorem, sed contrario illi se exhibet possessorem, si deserat Deus.* Idest si deserat auxilio plenae gratiae, quo in praesenti legem servemus. *Ne deserat ergo nos ideo dicimus, ne nos inferas in tentationem.* At ista petitio non dicitur naturae viribus, sed ex *gratia* non *plena*, sed *aliquantula* et initiali. *Plus vult* ait Augustinus hoc eodem sermone n. 13. *ut hoc ab illo petamus quam pluviam.* Cum autem Deus neque velit, neque iubeat impossibilia, huius voluntatis effectus est *aliquantula gratia*, qua petere possimus.

Serm. CLI. al. XLV. de Temp. n. 4. *Tibi validum adversarium mala consuetudine ipse fecisti ... labora ut vincas eum. Et si minus idoneus es adversus eum roga Deum.*

Supponit ergo Augustinus gratiam initialem ad rogandum Deum in eo homine, in quo supponit non adesse gratiam plenam, qua sit idoneus ad vincendum.

Et serm. CLII. quem primum ex cod. Floriacensi descripserunt Maurini: *Incipit nolle facere*, ait n. 6., *vincitur, trahitur, subiugatur: iam restat illi gratiam invocare, quia non potuit legem servare:* nolle facere, utpote bonus actus fuit alicuius gratiae effectus, qua invocanda fuit gratia, nempe plenior, qua posset proxime, ac complete servari lex.

Ex his aliisque similibus constat de corollariis nostris non modo primo ac secundo, sed etiam tertio et quarto.

Quod autem in corollario III. diximus, culpa nostra etiam personali destitui nos gratia ad bene agendum, utilissimum est ut specialissime probetur contra eos, qui gratiae huius defectum revocant in culpam originalem, et Augustinum docent nunquam aliter solvisse hunc nodum. Solvit namque Augustinus recurrendo ad universalem gratiam, ut ostendi.

Satis autem sit sermo LV. al. IV. de verbis Domini n. 2. *Quid ergo faciemus fratres mei? video me quidem ad multitudinem loqui... Quid faciemus? Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis. Linguam autem nullus hominum domare potest. Ibunt ergo omnes in gehennam ignis? Absit. Domine refugium factus es nobis. Ira tua iusta est. Neminem in gehennam mittis iniuste.* In his verbis vides contineri illud principium, *iniustam esse damnationem eius qui aliter facere non potuit*, neque ad hanc iniustitiam declinandam satis est impotentiam esse poenam peccati, uti contendit Iansenius tum saepe alias, tum lib. III. de Gr. Ch. c. XVII. Hinc Augustinus recurrens ad sufficientiam gratiae omnibus praesentis: *Quo ibo,* inquit, *a spiritu tuo, et a te quo fugiam nisi ad te? Ergo intelligamus carissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes ..... Ergo Deus quaeratur, ut dometur homo.*

Supponitur ergo adesse hominibus initialem gratiam, qua Deum quaeramus, et ad Deum confugere possimus. Aliter qui se excusabant, *non possumus domare linguam*, excusassent se quoque, *non possumus quaerere Deum:* contra Augustinus inculcat, excusari non posse eam negligentiam quaerendi Deum, eamque esse malorum fontem. *Malum est enim nobis de nobis: quia dimisimus te, dimisisti nos nobis... Mansuetos nos faciet Dominus, si domandos nos ei praebeamus... In illo spes est, ei nos subdamus, et misericordiam precemur... donec domemur, et perdomemur.* Supponitur itaque non defuisse gratiam quaerendi, quod *quia dimisimus* facere, *dimisit nos Deus* negando gratiam uberiorem.

Denique sequenti serm. CLVI. n. 4. *Ideo voluit ut ores, ut desideranti det, ne vilescat quod dederit, quia et ipsum desiderium ipse insinuavit.* En gratia initialis, quam si contemnimus deseri meremur, insinuatio desiderii seu precum, quas ad Deum fundendo non de nobis praesumamus. Quare serm. CXLVII. alias XXIV. de Sanctis n. 1. scribit. *Petrum ..... a se turbatum, sed a Christo innovatum. Fuit enim prius audax praesumptor, et postea factus est timidus negator.....; quando autem voluit Dominus Iesus Christus, deseruit Petrum, et inventus est homo Petrus; quando autem placuit ..... implevit Petrum .....* Poterat igitur Petrus non praesumere, sed humiliter ad Deum clamare; quod quia non fecit, desertus est auxilio, quo deinde cum Christo placuit, impletus est, uberiore scilicet et quo proxime potuisset Dominum non negare. Hic Augustini locus videtur sufficiens evertendae toti dissertationi Arnaldi, *de Gratia quae Petro defuit.* Adde si vis sermonem CXXXVII. n. 3. *Petrus ergo tunc infirmus, Dominus autem medicus: iste dicebat se habere vires, qui non habebat: Ille... dicebat quod ter eum esset negaturus.* Rationem autem defectus virium dat Augustinus paulo post: *Praesumpsit,* inquit, *aegrotus;* non autem recurrit ad peccatum originale, eiusque vindictam.

Agitur hoc loco de utraque delectatione caelesti, atque terrena. Cuius systema apud Augustinum, quantum ex eius diuturna et accurata etiam in hunc finem *Nota III. ad cap. LXXXI.*

lectione colligere potui, ad haec tria revocatur.

Prima propositio. Homo liber ad bonum ac malum in systemate s. Augustini cognitionem habet boni ac mali vel immediatam vel mediatam; delectationem quoque boni ac mali vel explicitam vel implicitam: aliqua autem cognitio, ac delectatio indeliberatae sunt.

Dixi cognitionem saltem *mediatam*, quia cum quis peccat peccato ignorantiae vincibilis, sin minus cognoscit malum, saltem cognoscit obligationem investigandi: vide Aug. ep. CXCIV. ad Sixtum c. VI. n. 27., et in Psal. XXXV. n. 1., et l. III. de Lib. arb. c. XIX., XX., XXII., et XXIV. Dixi delectationem saltem *implicitam*: nam saepe Augustinus docet hominem duci non solum amore, sed etiam timore: et in Psal. CXLI. n. 4. nominat duas *valvas cupiditatis et timoris; quas*, inquit, *claude contra diabolum, aperi ad Christum.* Sed in timore mali est implicitus amor seu delectatio boni oppositi, secundum Augustini doctrinam, quam observavit etiam s. Thomas I. II. q. XLIII. art. 1. et alibi.

Quae autem diximus in propositione constant ex Augustino. Nam l. de Gr. et Lib. arb. c. VII. *Ista opera bona si non ea praecessissent* cogitationes bonae, nulla essent. Similia habet saepe. Delectationem autem innumeris vicibus usurpat. Tract. XXVI. in Ioann. n. 7. *Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo.*

Quod asserui de indeliberata cognitione patet ex lib. de Sp. et lit. c. XXXIV. *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem.* De indeliberata delectatione patet ex lib. I. ad Simplic. q. II. n. 22. *voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet, animum moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate.* Delectatio praeveniens, et invitans voluntatem, est indeliberata: quod autem voluntas sic invitata *moveatur*, hic deliberatus affectus est. Simile est illud de Lib. arb. l. III. c. XXV. *Voluntatem non allicit ad faciendum quod libet, nisi aliquod visum. Quid autem quisque vel sumat, vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur nulla potestas est.* Itaque tum *videre*, tum *tangi* sive *allici* indeliberata sunt.

Secunda propositio. Ad indeliberatas delectationes coelestem atque terrenam, sive boni ac mali, subsequitur bona vel mala deliberata voluntas, ex qua etiam consequuntur bona, vel mala exteriora opera. Ac bona quidem deliberata voluntas vocatur ab Augustino amor, dulcedo, suavitas, voluptas, delectatio; neque enim haec nomina soli delectationi indeliberatae congruunt; mala autem voluntas vocatur etiam ipsa amor, et saepius cupiditas, quamvis et hoc nomen pluries ab Augustino usurpetur in bono sensu. Vide in Psal. CXLI. n. 4., et saepe alibi vocatur dulcedo, suavitas, voluptas, delectatio.

Haec propositio ostenditur vel iis solis testimoniis, quibus Iansenius toto fere lib. de Gr. Chr. abutitur ad probandum quod medicinale Christi adiutorium secundum substantiam sit coelestis suavitas, et delectatio indeliberata, sensu a Romanis Pontificibus proscripto. Non enim de sensu hic agitur, quem nonnulli ex catholicis propugnant. Ex gr. cap. I. ex Enarr. Aug. in Ps. LXXXIV. haec transcribit: *Dominus dabit suavitatem et terra nostra dabit fructum suum. Nos ergo respiciamus nos ..... Confitens illi peccata tua mereberis ab illo delectationem et suavitatem iustitiae faciendae; dabit tibi, ut incipiat te delectare iustitia, quem primo delectabat iniquitas, ut qui primo gaudebas in ebrietate gaudeas in sobrietate, et qui prius gaudebas de furtis, ut tolleres homini quod non habebas, quaeras donare non habenti quod habebas: et quem delectabat rapere, delectet donare: quem delectabat spectare, delectet orare; quem delectabant cantica nugatoria et adulterina, delectet hymnum dicere Deo, currere ad Ecclesiam qui primo currebas ad theatrum. Unde nata est ista suavitas, nisi quia Dominus dabit suavitatem?*

Quid autem clarius, quam quod hic agatur non de delectatione coelesti ac terrena, in quantum sunt motus quidam praevenientes indeliberati, sed in quantum ulterius progrediuntur ad actus internos, et externos deliberatos, qui sunt ipsum suave, dulce, ac delectabile opus

malum, ipsum suave dulce ac delectabile opus bonum? Num delectatio iniquitatis, qua gaudent mali in ebrietate, in furtis, in canticis, in theatris est illa indeliberata praeveniens concupiscentia ideoque et delectatio indeliberata, quae tandem nihil est aliud, quam tentatio alliciens ad malum? Haec dicitur ab Augustino serm. CLIV. al. V. de verb. Apost. n. 12. *Concupiscentia in carne tumultuans*, et num. 14. dicitur: *Peccatum titillans, suggerens, blandiens.* Num hac delectatione indeliberata, quam iusti etiam patiuntur, contenti sunt qui *operantur iniquitatem?* Accipe exemplum peculiare ex Augustino serm. CLI. al. XLV. de Temp. n. 4. *Surgit ergo illa concupiscentia potandi, titillat animum, ingerit faucibus siccitatem, insidiatur sensibus: vult etiam ipsum, si potest fieri, penetrare murum, adire inclusum, trahere captivum... Tu tantum noli ei satisfacere, noli eam cedendo satiare sed resistendo necare. Quod dixi de ebrietate, hoc de omnibus vitiis, hoc de omnibus cupiditatibus.* Interrogo, num delectatio, in qua volutantur ebriosi, sit ea inchoata indeliberata delectatio, quam secum fert potandi concupiscentia ab Augustino descripta? Similia dicit Augustinus de delectationibus iustorum. Quare utroque loco citato, proindeque sexcentis similibus a Iansenio toto fere lib. IV. congestis, non de indeliberatis tantum delectationibus loquitur, sed de delectationibus, quae actibus ipsis deliberatis complentur, sive deliberatis delectationibus.

Tertia propositio. Quod ex systemate s. Augustini delectatio coelestis *vincat* in iustis delectationem, sive concupiscentiam malam, nihil est aliud quam quod delectatio coelestis indeliberata seu praeveniens obtineat effectum suum, nempe deliberatam delectationem bonam, deliberatam suavitatem bonam, quae nihil aliud reipsa est quam interna deliberata voluntas bona. Eodem pacto, quod delectatio terrena *vincat* in malis delectationem, sive concupiscentiam bonam, nihil est aliud quam quod delectatio terrena indeliberata seu praeveniens obtineat effectum suum, nempe deliberatam delectationem malam, deliberatam suavitatem malam, quae re ipsa nihil est aliud quam interna deliberata mala voluntas, sive peccatum.

Mihi autem videtur nunquam Augustinus cogitasse, quod delectatio coelestis indeliberata atque praeveniens habeat plures gradus prae terrena, et ideo sit victrix, aut delectatio terrena indeliberata atque praeveniens pluralitate graduum in malis vincat contrariam delectationem bonam, et ideo etiam ipsa vincat: ita ut delectationem *vincere* idem sit ac eam habere plures gradus prae opposita.

Audi Augustinum serm. CXXVIII. alias XLIII. de verb. Dom. n. 8. *Videte quale bellum* (Apostolus) *proposuit, qualem pugnam, qualem rixam intus intra te ipsum: Caro concupiscit adversus spiritum. Si non concupiscit et spiritus adversus carnem, fac adulterium; si autem spiritus concupiscit adversus carnem, luctam video, victum non video, pugna est. Concupiscit caro adversus spiritum: delectat adulterium. Fateor quia delectat. Sed spiritus concupiscit adversus carnem; delectat et castitas.*

Observa: Illa conditionalis enunciata: *Si non concupiscit spiritus adversus carnem, fac adulterium,* hanc vim habet: si non concupiscit spiritus adversus carnem faciendo adulterium excusaberis, idest excusaberis, si non habueris auxilium sufficiens per concupiscentiam spiritus. Imo si ponatur non modo necessaria concupiscentia spiritus contra carnem, sed necessarium supponatur, quod ea concupiscentia sit relative superior, in ea hypothesi, quae mihi falsa est, utrumque dici posset: *si non concupiscit spiritus adversus carnem, et si non concupiscit concupiscentia relative superiori, fac adulterium, idest ab hoc crimine excusaris.*

Sed quod instat, agamus. Habes duas delectationes contrarias praevenientes: *delectat adulterium, delectat castitas:* sunt hae delectationes indeliberatae ante omnem consensum et dissensum. Hinc illa: *luctam video, victum non video, pugna est.*

Vide sequentia: *Ergo vincat spiritus carnem, aut certe non vincatur a carne..... Quomodo vis innotescere, sic vive.... Sed delectat adulterium: contradicatur, resistatur, repugnetur. Non*

enim non habes unde pugnes (quod idem est ac dicere, non deest tibi auxilium sufficiens), *Deus tuus est in te: spiritus bonus datus est tibi.*

Et tamen, pergit Augustinus, *permittitur ipsa caro concupiscere adversus spiritum suggestionibus pravis, et delectationibus genuinis.* Respondet s. Doctor. *Fiat quod ait Apostolus:* Non regnet peccatum in vestro mortali corpore; *non dixit: non sit, iam est ibi.....*

Habes igitur per quid tamquam per formam concupiscentia indeliberata spiritus adversus carnem constituatur *victrix. Vincat spiritus carnem:* per hoc scilicet quod *contradicatur, resistatur, repugnetur.* Habes proinde etiam per quid peccatum sive concupiscentia indeliberata carnis tamquam per formam constituatur *non regnans:* per hoc scilicet quod *contradicatur, resistatur, repugnetur, donec triumphantes dicturi sunt ubi est mors contentio tua, ubi est mors aculeus tuus*, ait cum Apostolo ibidem Augustinus n. 10.

Modo autem, pergit s. Doctor n. 11., *non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus ut nullae sint concupiscentiae; sed non possumus. Velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt: premuntur, nondum extinguuntur.* In hoc itaque situm est, quod istae indeliberatae concupiscentiae non regnent: non quod gradus plures habeant prae concupiscentia spiritus, sed quod premantur.....

Quid enim vultis, o sancti, o boni praeliatores, o fortes milites Christi? Ut non sint omnino concupiscentiae malae. Sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum... Facite quod potestis: quod ait ipse Apostolus alio loco, quod commemorare iam coeperam: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius. Ecce quod nolo, mala desideria surgunt; sed noli obedire: arma te, sume instrumenta bellorum ..... Non inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quandiu enim portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum; sed non regnet. Quid est, non regnet? idest, ad obediendum desideriis eius. Si coeperitis obedire, regnat.

Intelligis, quid sit *non regnare* peccatum, sive concupiscentiam malam indeliberatam, quaeque surgit nolentibus nobis? Nempe quod illi non obediamus. Intelligis, quid sit, *quod regnet?* Nempe non quod plures gradus habeat prae bona concupiscentia, sed quod illi obediamus.

Libido surrexit: tene tu membra, tene tu manus ab omni scelere, tene tu oculos... Quid facit libido? Surgere novit, vincere non novit. En per quid delectatio terrena constituatur *vincens.*

Pergit s. Doctor n. 13. in describenda delectatione terrena indeliberata, quae concupiscentia, et peccatum dicitur: *Non dixit Apostolus: Spiritu ambulate, et concupiscentias carnis ne habueritis, quia necesse est ut habeamus illas...Sed ait Apostolus:* Iam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. *Ergo quid tibi cavendum est? Hoc sine dubio, ne perficias. Surrexit libido damnabilis, surrexit, suggessit: non audiatur. Ardet, non se compescit, et vellet ut nos arderet. Et ubi est, ut non ea, quae vultis, faciatis? Noli dare membra. Ardeat sine causa, et consumit se. In te ergo fiunt ipsae concupiscentiae. Fatendum est, fiunt: sed non perficiantur. Decrevisti facere? perfecisti.*

Itaque quod delectatio terrena indeliberata vincat, regnet, perficiatur, omnia in idem recidunt, nempe in effectum et consensum liberum, qui est deliberata delectatio, et suavitas.

Hanc Augustini doctrinam de duabus delectationibus prolixius exposui: quia Augustinus ipse antequam eam hoc sermone CXXVIII. traderet, praefatus est, se traditurum accuratissime. *Audite, et attendite: dicam quantum potero diligenter.* Et iterum de hac lucta duarum delectationum. *Videtis*, inquit, *quam periculose auditur si non intelligitur. Videtis quemadmodum pertineat ad officium pastoris opertos fontes aperire, et aquam puram, innoxiam sitientibus ministrare.*

Similia in serm. CLIX. al. XVII. de verbis Apostoli disserit Augustinus de certamine duarum delectationum: *Constituamus*, inquit n. 3., *ante oculos exemplum cartaminis. Interrogo, utrum ames*

iustitiam? Respondebis, amo: quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur nisi quod delectat.

Haec delectatio indeliberata est, quippe quae supponitur ab Augustino communis bonis, ac non bonis. Pergit Augustinus, n. 5., *Exemplum*, inquit, *ut dicere coeperam huius certaminis proponamus... Utrum sic delectetur iustitia, ut eam caeteris ad hos sensus corporis pertinentibus delectationibus anteponat. Ecce delectat te aurum tuum, oculos tuos delectat, metallum est pulchrum, fulgentissimum, delectat... Venit ergo tentator et dicit tibi: tollo tibi aurum, nisi dixeris pro me falsum testimonium; si autem dixeris, addo tibi. Decertant in te duae delectationes. Modo interrogo te, quid praeponas? Quid te plus delectet aurum an veritas, aurum an verum testimonium?... Quod de oculis dixi, hoc de caeteris intelligite, et praeponite delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippe vestram delectant illicitae voluptates, mentem vestram delectet invisibilis pulchra, casta, sancta, canora, dulcis Iustitia.*

Intellexisti quid Augustinus dicat de duabus praevenientibus delectationibus indeliberatis, et quam dilucide eas describat? Intellexisti quid sit unam *praeponi alteri?*

In systemate, quod dicitur *duarum delectationum relative victricium*, est, quod una plures habeat gradus indeliberatae suavitatis, altera pauciores: quare per se et antecedenter ad nostram electionem *una alteri praeponitur;* ideoque non est exhortationis materia, ita ut serio Augustinus pronunciare posset: *praeponite unam alteri.* Praeponere igitur unam alteri est quod uni consentiatur, secus alteri; quod fit per deliberatas delectationes, sive bonas, sive malas. Eumdem habent sensum verba numeri 2. in hoc eodem sermone CLIX. *Iustitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, et ei delectationi qua licite delectaris praepone iustitiam.* Quod iustitia utcumque delectet, est quid praeveniens libertatem nostram; sed *quod sic delectet ut vincat*, est materia exhortationis, proindeque situm est in actu libero sive delectatione deliberata bona et sancta, qua efficaciter in iustitia complacemus. Eadem valent de illicita sive terrena delectatione. Audi Augustinum serm. LCV. n. 1. *Quidquid enim est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione.* Huic ergo *illicitae delectationi* (quae certo indeliberata est, praeveniens nos, nobisque non libera) *si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore... In hac vita, quantum ad sanctos attinet, regnum perdit, in alia perit. Hic enim regnum perdit, quando post concupiscentias nostras non imus.* In hoc ergo situm est, quod concupiscentia indeliberata regnet, quod post eam eamus: quemadmodum in hoc situm est quod caelestis indeliberata delectatio regnans et victrix sit, si *voluntate bona vincat concupiscentiam malam*, ut ait Aug. l. de Gr. et lib. arb. c. IV.

Adde ex ep. CLVII. ad Hilar. al. LXXXIX. n. 9. *Animus quippe velut pondere, amore fertur, quocumque fertur. Iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedet ad pondus caritatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur.* Pondera quae cadunt sub praecepto, non sunt nisi delectatio praeponderans deliberata.

Imo vero propositio nostra probari potest ex iis ipsis, quae profert Iansenius l. IV. cap. I. et seqq. Legimus in Augustino l. de Sp. et lit. c. X. *Confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, et per donum Spiritus Sancti* (quod est gratia indeliberata praeveniens) *suavitate iustitiae delectati poenam literae minantis evadant.* Iam vero poena evaditur si quis deliberate delectetur deliberata suavitate iustitiae, idest vera et iusta interna voluntate: *Haec est illa suavitas* (ait idem Aug. per similes phrases in ps. CXVIII. ad ea verba in *tua suavitate doce me*) *haec est illa suavitas, quam Deus dat, ut terra nostra det fructum suum, ut bonum vere bene, idest non mali carnalis formidine, sed boni spiritualis delectatione faciamus.* Iam vero ea suavitas, ac delectatio boni spiritualis, qua bonum constituitur in ratione *boni*

vere bene facti, non est nisi actus deliberatus. Simili phrasi utitur Aug. l. de Corr. et Gr. c. II. quem locum idem Iansenius citat. *Agunt sicut agendum est, idest cum dilectione et delectatione iustitiae.* Falso ergo Iansenius eo l. IV. c. I. de suavitate indeliberata explicat ea verba Augustini l. de Sp. et lit. c. X. quemadmodum et illa capitis III. *Id quod agendum est nisi etiam delectet et ametur non agitur, non suscipitur, non bene vivitur.* Omnia haec sunt deliberatus actus. Idem dicas de aliis Augustini verbis eodem cap. III. *Accipiat Spiritum Sanctum* (en gratia praeveniens), *quo fiat in animo eius delectatio dilectioque iustitiae, summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est etiam nunc, cum per fidem ambulatur non per speciem* (haec omnia sunt caritas deliberata viae, et effectus Spiritus sancti, ex quo excitatur sitis plenissimae caritatis in patria exercendae: hinc sequitur); *ut hac sibi velut arrha data divini muneris inardescat inhaerere creatori, atque inflammetur accedere...* Cap. autem XV. *Spiritus Domini... quo fit in nobis, ut non peccare delectet, ubi liberatus est; sicut praeter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus, a cuius operibus abstinendum.* Quid clarius quam quod haec duo, *non peccare delectat....peccare delectat* sunt actus, et assensus deliberatus? Et c. XXV. *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet* (iam explicat quid sit dare quod iubet) *atque inspirata gratiae suavitate* (haec est suavitas praeveniens et indeliberata) *faciat plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit.* Iam vero si *plus delectare quod praecipit* est id quod *Deus iubet,* utique est excessus deliberatus deliberatae delectationis: nempe cum indeliberate delectet, tum quod Deus praecipit, tum quod impedit, fit, ut per assensum deliberatum Deo praecipienti, *plus delectet* quod praecipit Deus quam quod impedit. Hic assensus deliberatus, et deliberata dilectio iustitiae est formalissime ac proprie *caelestis delectatio, qua omnis terrena delectatio superetur,* ut ait Augustinus, hom. XXIX. nunc sermone XLII. Cum autem fateatur Iansenius eodem L. IV. cap. I. has voces esse receptissimas in lucubrationibus Augustini, tradita a nobis interpretatio universalissima erit.

Idem est sensus eorum, quae Iansenius eodem libro IV. c. I. profert ex Aug. l. II. de Pecc. meritis, et remissione c. XVII. *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suae facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit vel quod delectatur, et sic ab elationis vanitate sanetur, et sciat quam vere non de terra illa, sed spiritualiter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Haec planissime scripta sunt ab Augustino contra *vitia ignorantiae et infirmitatis,* de quibus eo capite XVII.; quae duo genera peccatorum ignorantiae vincibilis et infirmitatis excluduntur formaliter tum per scientiam non sine, ut saepe accidit, diligentia nostra acquisitam, tum per deliberatam delectationem, seu bonam voluntatem: quod videtur pene dixerim evidens ex fine controversiae, ac disputationis contra pelagianos. Non disputabatur cum pelagianis an essent munera divina cognitiones et delectationes indeliberatae, quandocumque istae a Deo darentur: quis sive catholicus, sive pelagianus de hoc dubitabat? Probandum erat contra pelagianos, quod immunitas a peccatis tum ignorantiae tum infirmitatis, et virtutes ac bona utique deliberata iis vitiis opposita essent ex Dei dono; quod optime probat Augustinus ex alternantibus defectibus, virtutibus, id permittente divina providentia ad nostrae elationis vanitatem sanandam.

In eumdem sensum paulo post Augustinus cap. XVIII. *Nos autem quantum concessum est sapiamus ..... Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo esse lumen, quo illuminantur tenebrae eorum, et suavitatem, qua det fructum terra eorum.* Ac si diceret, ideo aliquando Deum non liberare iustos a vitio ignorantiae culpabilis, vel a vitio infirmitatis, quae duo si peccata sunt, deliberata sunt, ideo illis non concedere bo-

na ac merita opposita, quae si virtuosa sunt, deliberata sunt, ut sciant, totum hoc esse effectum divini adiutorii. De his meritis, atque demeritis deliberatis disputatio erat cum pelagianis, non de praeviis indeliberatis cognitionibus, ac delectationibus allicientibus atque invitantibus, quae Dei munera esse non quidem ut necessaria, sed ut ea quae *adiuvent si adsint*, agnoscebant pelagiani apud August. de Gestis Pelagii c. I. et saepe alibi.

Itaque *delectatio victrix* praeter indeliberatam praevenientem delectationem superaddit bonam deliberatam voluntatem, bonam deliberatam delectationem iustitiae. *Unusquisque*, inquit Augustinus l. de Gr. et lib. arb. cap. IV., *contra suam concupiscentiam dimicans... non intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam.* In hac voluntate bona, seu deliberata delectatione sita est victoria. Hanc deliberatam et voluntatem et delectationem ex Spiritus Sancti dono haberi docebat Augustinus, negabant pelagiani. Hanc ab indeliberata praeveniente distinguit Augustinus tum saepe alias, tum lib. II. ad Bonif. c. IX. in ipsis verbis a Iansenio citatis. *Misericordia eius praeveniet me.. praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa cupiditas boni* (nempe indeliberata)? Tunc enim bonum concupisci incipit, cum dulcescere incipit.... Ergo benedictio dulcedinis indeliberata ac praeveniens est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, hoc est amemus, quod praecipit nobis, gratia inquam Dei, qua fit hic deliberatus, nobisque meritorius effectus delectandi, cupiendi, amandi quod praecipitur. In qua pergit Augustinus, *si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Delectatio autem, quae perficitur, est delectatio quae vincit. *Hoc autem non fit nisi per dilectionem, ubi qui facit habet delectationem*, ait Augustinus in ps. CXVIII. ad ea verba: *In tua suavitate doce me.* Delectatio autem, ac dilectio, quam habent qui faciunt, utique est deliberata, et perficiens opus.

Et ex his habes intelligentiam non absimilium locutionum, quas congerit Iansenius cap. IV. V. et VI. lib. IV. de Gr. Christi. Augustinus enim lib. de Contin. c. III. *Bonum fit, cum id quod male libet, vincente bona delectatione non fit.* Si male libet, est igitur indeliberata delectatio mali: si contraria delectatio indeliberata bona prodeat in actum et consensum, *hoc ipso vincit: sicuti peccat*, ait. August. l. XXII. c. Faust. c. XXVIII., *qui delectationem illiciti*, utique indeliberatam, *relaxat potius, quam refraenat*, idest relaxat ad deliberatam delectationem, quae eadem est cum voluntate libera prava, secundum illud Augustini l. I. de Baptis. c. X. *Flagitiosi, luxuriosi.... quid aliud respondent, cum eos veritas arguit, nisi hoc volo, hoc me delectat*, idest hoc deliberate *volo*, hoc deliberate *delectat*: volitio ergo libera, ac libera delectatio idem sunt.

Et lib. de Sp. et lit. c. XV. *Quis enim nesciat non... esse consequens ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, nisi tantum delectet quantum diligendum est? Hoc autem sanitatis est animae. Si appetendum, ac diligendum* dicitur, tum appetitio, tum dilectio erunt actus debiti, ideoque deliberati: deliberata ergo erit et delectatio, quamvis delectatio sit ratio non physica dilectionis, et appetitionis, sed metaphysica, sicut et illud Aug. lib. XXII. contr. Faustum c. XXVIII.: *Si nihil delectaret illicitum nemo peccaret.* Ubi delectatio deliberata in peccato inclusa, est ratio metaphysica, aut si vis, logica peccati, quod nemo patraret, si doloriferum esset. *Non enim amatur, nisi quod delectat*, ait Aug. serm. CLIX. al. XVI. de verbis Apostoli. Haec ergo deliberata delectatio oportet ut *tanta sit*, ut *tantum* delectet, non quomodocumque etiam in linea deliberatae delectationis, sed *tantum*. Quod intelliges ex Augustino serm. CLXIII. al. III. de verb. Ap. n. 10. *Volo ut velis, sed non sufficit ut velis, adiuvandus es, ut plene velis, et impleas quod velis.* Voluntas quam Augustinus a me requirit; *volo* ut *velis*, est utique deliberata, cum fatuum sit petere a me indeliberatam, sed ea non sufficit Augustino, postulat pleniorem: *adiuvandus es, ut plene velis et impleas quod velis.* Similia habet

de Gr. et lib. Arb. c. XLV. Eadem dicas de delectatione deliberata, sub quo genere est tum imperfectior tum perfectior. Hinc illud Augustini l. II. de Pecc. mer. c. XVII. *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto..... eo delectamur ardentius.* Et cap. XIX. de quibusdam sanctis, quos Deus a vitiis tardius sanat, dicit: *eos minus quam implendae ex omni parte iustitiae sufficit, delectat bonum.*

Ecce autem tibi probatum, et explicatum sensum Augustini in hoc Enchiridio, quo abutitur Iansenius lib. IV. de Gr. Ch. saepe, ac praecipue cap. V. et VI. *Pugnare nos convenit* ait Aug. c. LXXXI.; *sed profecto vincimur, nisi divinitus adiuvemur.* Quid haec pro Iansenio? Num vincimur in hac pugna cum delectamur indeliberate? De concupiscentiis, quas non possumus facere ut *omnino non sint*, idest de concupiscentiis indeliberatis, hortatur nos Augustinus serm. CLXIII. al. III. de verb. Apost.: *nolite eas permittere implere quod volunt... nec ipsae faciant quod volunt, ut opus earum perficiatis.* Quid haec sunt, nisi deliberata delectatio mala? Provocat Iansenius ut sequentia legamus: *divinitus adiuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente suavitate delectatio iustitiae vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo* scientes videntesque peccamus. Haec autem quid aliud significant, nisi nos adiuvari, ut non solum sciamus facienda, sed etiam faciamus? Hic est effectus, hic fructus, hic terminus divini adiutorii nempe indeliberatae cognitionis, et indeliberatae ac praevenientis delectationis, ut haec vincat, sive operetur victoriam contrariae indeliberatae allicientis concupiscentiae; quae victoria formalissime sita est in deliberato consensu, assensu, voluntate, ac delectatione iustitiae. *Sic delectetur iustitia, ut eam caeteris ad hos sensus corporis pertinentibus delectationibus anteponat*, ait idem Aug. serm. CLIX. al. XVII. de verb. Ap. Anteponitur autem iustitia per delectationem, voluntatem, dilectionem deliberatam; anteponere enim sicut et vincere opus nostrum est: minime autem nostrum opus est, quod sancta indeliberata delectatio superet terrenam delectationem. Eadem dixeris de aliis verbis huius eiusdem capitis LXXXI. Enchiridii, quae a Iansenio obiiciuntur: *Timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio quam iustitia, qua se quisque humiliat poenitendo.* Hic excessus, quo plus delectat existimatio quam iustitia, cum sit materia reprehensionis, qua christianos redarguit Augustinus, non est gradualis excessus terrenae delectationis necessariae, et indeliberatae supra indeliberatam caelestem. Est ergo actus seu delectatio omnino deliberata.

Quaecumque hac in nota disputata sunt, non modo deserviunt polemicae impugnationi systematis duarum delectationum relative victricium necessitatem inferentium, ut a Iansenio haeretice defenditur; sed etiam impugnationi scholastici eiusdem systematis, eo sensu intellecti, ut ab aliquibus theologis catholicis, reiectis erroribus, scholastice propugnatur.

Petes. Licet indeliberata praeveniens delectatio caelestis, et indeliberata praeveniens delectatio terrena, nunquam comparentur in doctrina s. Augustini, ut *victrix* et *victa*, si sistamus in terminis delectationis indeliberatae, sed istae denominationes *victrix* et *victa* habeantur per delectationes deliberatas consequentes, sive per consensus ac dissensus, ut expositum est; tamen describunturne ab Augustino tamquam inaequales?

Respondeo repraesentari nobis ab Augustino has praevenientes indeliberatas delectationes tamquam aliquando inaequales, ea tamen inaequalitate, quam minime velit Iansenius.

I. Docet Augustinus aliquando caelestem delectationem indeliberatam praevenientem esse gradibus superiorem praeterrena, et tamen non esse reipsa victricem. Id docet Augustinus experimento proprio quod narrat l. VIII. Confess. cap. VIII. et seqq., ubi de tempore proximo suae conversioni praemittit se multa fecisse corpore in ipsis cunctationis aestibus, puta vulsisse capillum, percussisse frontem etc. quae aliquando volunt homines, et non valent, eo quia mobilitas membrorum non obsequatur, in quibus proinde non hoc erat velle quod

posse: *Et non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat, et mox ut vellem possem, quia mox ut vellem, utique vellem. Ibi enim facultas ea quae voluntas, et ipsum velle iam facere erat, et tamen non fiebat.* Incomparabilis hic affectus, quo honestum magis placebat, non erat nisi indeliberatus. Adhuc enim Augustinus perdurabat in coeno vitiorum. Et tamen ex hoc incomparabili affectu, quo honestum magis placebat, non sequebatur velle deliberatum efficaciter praeeligens honestum.

Pergit Augustinus: *Faciliusque obtemperabat corpus tenuissimae voluntati animae, ut ad nutum mentis membra moverentur, quam ipsa sibi anima ad voluntatem suam magnam in sola voluntate perficiendam.* Voluntas illa magna non erat nisi indeliberata, haerebat enim in suo luto Augustinus; at quamvis ita magna esset non *perficiebatur in voluntate*, nempe deliberata, quae subsequi debuisset *volendo fortiter* ac *integre*: sed *versabat atque iactabat hac atque illac semisauciam voluntatem luctante parte assurgente cum alia parte cadente*, quae voces sunt eiusdem Augustini.

Multa disserit de his aestibus suis s. Doctor, et similia aliis contingere asserit, atque concludit caput X.: *Ita etiam cum aeternitas delectat superius, et temporalis boni voluptas retentat inferius*, (huc usque sunt duae indeliberatae delectationes) *eadem anima est non tota voluntate illud, aut hoc volens*, (nempe imperfecta, sed deliberata voluntate boni, et imperfecta, sed deliberata voluntate mali, quibus motibus ut dixerat cap. IX. animus *non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine praegravatus, et ideo sunt duae voluntates* utique deliberatae, quoniam animus non quidem totus assurgit, sed assurgit tamen quod fit cum deliberatione, *quia una earum tota non est: et hoc adest alteri, quod deest alteri*): et *ideo* (pergit Aug. in fine cap. X). *discernitur gravi molestia, dum illud veritate praeponit* (nempe bonum aeternum quod imperfecte quamvis deliberate amat) *hoc familiaritate non ponit* (nempe bonum temporale, quod amare perseverat affectu deliberato, atque perfecto).

Tum capite XI. iterum sermonem ad seipsum convertens: *Sic aegrotabam* (inquit) *et excruciabar accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens, et versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quo iam exiguo tenebar, sed tenebar tamen.* Itaque cum *affectus* boni honesti, quo hoc illi magis placebat, esset *incomparabilis* in Augustino, ut audisti, tamen temporalis boni voluptas, erat *vinculum exiguum, quo tenebatur*, sed *tenebatur tamen.* Quare Augustinus sub delectatione caelesti indeliberata incomparabiliter praevalente tenebatur adhuc filius gehennae, sub minore delectatione terrena.

Et instabas tu in occultis meis, Domine, severa misericordia, flagella ingeminans timoris et pudoris, ne rursus cessarem, et non abrumperetur idipsum exiguum et tenue, et revalesceret iterum, et me robustius alligaret. Nonnisi igitur funiculo tenui et exiguo detinebatur. Quod iterum confirmat: *Retinebant nugae nugarum... et audiebam eas longe minus quam dimidius... Retardabant tamen cunctantem me abripere atque excutere ab eis.* Attamen adhuc Augustinus sub tam minori terrena indeliberata delectatione constitutus, *iactabat voces miserabiles .... cras, et cras*: et semetipsum increpabat: *quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meae?* Non itaque vi praevalentis, et maioris indeliberatae delectationis, sub qua inutiliter tamdiu fuerat, sed alio adiutorii genere *de imo altoque secreto evocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderet cervicem leni iugo tuo, et humeros levi sarcinae tuae, Christe Iesu*; ait idem Aug. l. IX. c. I.

2. Docet Augustinus aliquando delectationem terrenam indeliberatam praevenientem esse gradibus superiorem prae caelesti, et tamen non esse reipsa victricem ac regnantem, sive non inducere ad peccatum. Ostenditur: nam ex una parte frequentissimum est in Augustino, quod multi nequeant implere praeceptum: hi autem procul dubio habent delectationes terrenas indeliberatas praevalentes: ex alia vero parte hi ipsi non modo monentur ut orent, sed plerique saltem ipsorum supponuntur reipsa orare, et orando

acquirere plenam potestatem implendi praeceptum, ac non peccare; ergo utrumque comperitur in doctrina Augustini; et esse in homine delectationem terrenam indeliberatam gradibus superiorem, et tamen reipsa non subsequi peccatum, sed impleri praeceptum. Consequentia perspicua est: antecedens aliqua declaratione indiget.

Imprimis quod multi ab Augustino dicantur *non posse implere praeceptum*, non est multis probandum; cum Iansenius non modo hoc dicat, sed plurima Augustini testimonia congerat in hanc rem. Totus liber tertius de Gratia Christi iis testimoniis refertus est.

Quod ii autem ipsi moneantur ut orent, pleni sunt Augustini libri. Lib. II. contr. Maximinum arianum c. XIV. *Praeceptum id nobiscum agit, ut quod est in potestate, faciamus: si autem nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut quod praeceptum est impleamus.* Lib. III. Op. imperf. n. 115. *Eos, qui non possunt, imperando admonet a se petere ut possint.*

Quod autem reipsa, et in actu secundo id a pluribus fiat, idest quod ita impotentes et pressi pondere praevalentis carnalis delectationis indeliberatae re ipsa orent, et acquirendo maiores vires legem impleant et peccatum vitent, id passim Augustinus supponit. Lib. de Gr. et lib. arb. cap. IV. *Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Ubi si dixerit, volo servare, sed vincor a concupiscentia mea* (en indeliberata terrena delectatio praeponderans): *respondet Scriptura libero eius arbitrio noli vinci a malo, sed vince in bono malum.....* Modum autem quo non vincatur, exponit statim: *propter quod*, inquit, *dicit et caelestis Magister, vigilate et orate...* Iam vero quod huiusmodi homines non habeant semper possibilitatem quamdam sine effectu, et solum antecedentem, huius orationis, sed revera orent, et peccatum effugiant, ostendunt verba sequentia: *Quid vero evidentius quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur, accipitur?* Igitur pluries accidit, ut oretur ab iis hominibus, et *accipiatur*, sive fugiatur peccatum, et impleatur praeceptum. Idipsum supponebant praecedentia verba in hoc eodem contextu, ubi contra indeliberatam praevalentem concupiscentiam dixit Augustinus: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, quod tamen ut fiat, adiuvat gratia.* Haec quoque supponunt, quod aliquando id fiat; quemadmodum et illa eiusdem contextus: *Victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei in illo certamine adiuvantis liberum arbitrium.* Non ergo vinci potest tantummodo, sed vincitur. Quod confirmant sequentia: *Homo ergo gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur.* Reipsa igitur id fieri supponit in huiusmodi tentatis hominibus et gementibus sub indeliberata concupiscentia praevalente.

Eodem lib. de Gr. et lib. arb. cap. XIV. *Spiritus gratiae facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere, quae iubemus... Quod lex iubet facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus ut facere valeamus.* Accidit itaque reipsa, ut qui non poterant, praevalente in ipsis concupiscentia, non tamen succumbant sed orent, et orando potestatem accipiant implendi quod non poterant.

Eodem lib. cap. XV. *Gratia Dei semper est bona.... per hanc fit ut ipsa bona voluntas, quae iam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat ut possit implere divina mandata quae voluerit.* Adverte hunc casum describi uti reipsa contingentem, *per hanc fit.* Idem significant sequentia: *Ad hoc enim valet quod scriptum est, si volueris conservabis mandata; ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur, ut faciat quod iubetur.* Intelligis reipsa accidere, ut quis sub praevalente indeliberata cupiditate ita gravetur, ut non possit: caveat tamen peccatum et legem impleat orando, et inde accipiendo potestatem implendi. Non ergo pondus excedens terrenae delectationis, et pluribus gradibus superius connectitur cum peccato, sed contingit, ut ab illo separetur.

Similia per te expendere poteris in ca-

pitibus sequentibus. Capite XVI. : *Magnum aliquid pelagiani se scire putant, quando dicunt. Non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Si non possunt, captivi sunt sub praegravante cupiditate : et tamen, teste Augustino, accidit in praxi, quod isti non peccent. *Ipsa est enim fides, quae orando impetrat quod lex imperat.* Fit igitur, ut orent, et impetrent fugam peccati ; hoc enim *lex imperat.*

Et cap. XVII. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, et robustam.* Iam vero hoc contingere posse non tantum post menses aut annos, sed statim, docet totus contextus, si quidem oret, ut potest. Reipsa enim *volentibus cooperatur perficiens*, ut ait paulo post Augustinus. Non igitur semper valet haec consecutio: *Homo impotens est facere mandatum, utique ex praevalente cupiditate supra voluntatem parvam et invalidam ; ergo re ipsa peccat, et frangit mandatum.* Imo cum obligatio praeceptorum non coarctetur ad unum indivisibile instans, fit ut qui impotens est, gratia parva et invalida oret, et orando se se interim cohibeat tantillo eo tempore, tum maiores vires accipiens tandem impleat praeceptum sive negativum omnino declinando a malo, cuius tentatio urgebat, sive positivum faciendo bonum.

LXXXII. Nam et ipsa poenitentia, quando digna causa est secundum morem Ecclesiae cur agatur, plerumque infirmitate non agitur : quia et pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum existimatio, quam iustitia qua se quisque humiliat poenitendo. Unde non solum cum agitur poenitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam : *ne forte det illis Deus poenitentiam.* Et ut Petrus amare fleret, praemisit Evangelista, et ait : *respexit eum Dominus.* Cap. LXXXII. Poenitentia Dei donum. II. Tim. II. 25. Lu. XXII. 61.

LXXXIII. Qui vero in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit. De qua quaestione difficili in quodam propter hoc solum conscripto libello enucleatissime quantum potui disputavi. Cap. LXXXIII. Peccatum in Spiritum Sanctum.

Nota ad caput LXXXII., LXXXIII.

Poenitentia secundum morem Ecclesiae quid sit, paucis inquirendum est.

Arnaldus lib. de Fr. com. P. II. cap. III. docet primis Ecclesiae saeculis omnibus lethalibus, non vero solis publicis gravissimisque criminibus, poenitentiam publicam indictam fuisse : quod ipsum alii docuere. Morinus ac Nat. Alexander Saec. III. Diss. VI. q. II. omnibus lethalibus, saltem gravioribus, quaeque capitalia dicebantur, ut idololatria, adulterium, homicidium, sex prioribus saeculis infligi consuevisse asserunt poenitentiam publicam, etiamsi occulta essent.

Sed verius videtur, quod longe alia fuerit *poenitentia secundum morem Ecclesiae*, si quae duobus his capitibus dicuntur ab Augustino iunxeris cum iis, quae dixerat capite LXV., et in libello de *peccato in Spiritum Sanctum*, quem scripserat, et hoc loco citat, et est hodie serm. LXXI. al. XI. de verb. Domini.

Primo. Omnium lethalium criminum poenitentiam sacramentalem fuisse ex capite LXV. probatum est in nota eius capitis. Id confirmatur hoc cap. LXXXIII. ubi commendatur largitas divini muneris per remissionem peccatorum in Ecclesia, nempe ministerio Ecclesiae, ut exponit in eo libello, quem citat, idest serm. LXXI. Nam n. 37. *Ad quam* (Ecclesiae verae) *congregationem etiamsi per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum reprobum et fictum aliquis acces-*

serit corde non ficto, in ipso Sancto Spiritu remissionem accipit peccatorum. Qui Spiritus in sancta Ecclesia etiam isto tempore... sic operatur, ut ... nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat. Sermonem esse autem de poenitentia ac remissione distincta a baptismo, ostendunt verba num. 7., ubi agit de iis *qui lavacro regenerationis abluti in ecclesia, et accepto Spiritu Sancto velut tanto postea dono Salvatoris ingrati mortifero aliquo peccato se immerserint, qualia sunt vel adulteria, vel homicidia, vel ipsa discessio, sive omni modo a nomine christiano, sive a catholica Ecclesia.* De iis statim pronunciat Augustinus: *Cum et poenitentiae quorumque criminum locus in Ecclesia non negetur.* Quae testimonia ad probandum verum Poenitentiae sacramentum iis adde, quae Bellarminus in controversiis, et Nat. Alexander in Dissert. contra Dallaeum protulere.

Adde etiam sermonem, qui Bellarmini aetate ineditus erat, et modo est in Maurina editione serm. CCXIV. n. 11. *Sanctam quoque Ecclesiam... diligite, praedicate. Ipsa est... quae malos... tolerat in communione sacramentorum. Haec..... claves accepit regni coelorum, ut in illa per sanguinem Christi, operante Spiritu Sancto, fiat remissio peccatorum. In hac Ecclesia reviviscet anima quae mortua fuerat peccatis, ut convivificetur Christo.*

Secundo. Nullorum lethalium occultorum criminum, etiamsi ex tribus capitalibus fuerint, inflicta unquam fuit poenitentia publica. Id probatur tum negative, quia non obstant verba Augustini hoc Enchiridii capite LXXXII. Nam *pudor displicendi*, et nimius affectus in *hominum existimationem* non modo impediunt poenitentiam publicam, sed etiam privatam coram unico sacerdote, ut testantur nimium quantum frequentia eorum sacrilegia, qui non integre confitentur sacramentaliter ex malo pudore: tum etiam positive probatur, si adiungas verba superiora in Enchiridii c. LXV. Tota enim ratio praescribendi tempora poenitentiae cum temporis mensura dicitur esse *ut fiat satis Ecclesiae*, quae scilicet ex publico scandalo laesa fuerit publice. Cum autem peccatum occultum fuit, nulla est necessitas satisfaciendi Ecclesiae publica quadam forma, cum palam laesa non fuerit. Id confirmabis ex serm. CCCLI. al. L. inter L. Homil. num. 9. *Implicitus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in caelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam polliceri?* In quibus verbis vides claves Ecclesiae non modo efficaces esse, sed etiam necessarias. *Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus iam incipiens esse filius maternorum membrorum ordine custodito a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam caeteris ad exemplum.* Audi iam, quando locum habeat poenitentia haec agenda ad exemplum. *Ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere poenitentiam non recuset, non resistat.* Non ergo satis est *grave eius malum*, sed praeterea requirebatur 1. *tantum scandalum aliorum.* 2. quod pensatis omnibus aliis circumstantiis ita *videretur expedire* antistiti; multoties enim ad turbas vitandas aliud expediebat. 3. addit aliud quidpiam Augustinus num. sequenti, idest 10. *Nos vero,* inquit, *a communione prohibere quemquam non possumus, quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari, sive ecclesiastico iudicio nominatum, atque convictum.* Quod utrumque faciendum erat *ordine iudiciario*, ut addit in fine huius num. 10. Quod monui ne putes, ibi agi de spontanea confessione sacramentali, sed existimes, uti revera est, agi ibidem de *iudiciaria, cum* nempe quis non est aliunde plene *nominatus et convictus*, sed semiplenae et non

sufficientes probationes roborantur spontanea rei confessione coram iudice.

Audi eumdem Augustinum serm. LXXXII. al. XVI. de verbis Dom. n. 11. *Novit enim nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quaeris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto: pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo poenitentiam. Hac caritate praediti esse debemus.* Agitur, ut vides, de homicidio, uno ex tribus capitalibus peccatis. Idem paulo post servandum dicit in occultis adulteriis, quae unum sunt quoque ex capitalibus gravioribus delictis. *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus.* Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.

LXXXIV. Iam vero de resurrectione carnis, non sicut quidam revixerunt, iterumque sunt mortui, sed in aeternam vitam, sicut Christi ipsius caro resurrexit, quemadmodum possim breviter disputare, et omnibus quaestionibus, quae de hac re moveri adsolent satisfacere, non invenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus. Cap. LXXXIV. De carnis resurrectione.

LXXXV. Unde primo occurrit de abortivis foetibus quaestio, qui iam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita, ut iam possent renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus; de iis qui iam formati sunt, tolerari potest utcumque quod dicitur: informes vero abortus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quae concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quidquid formae defuit, impleatur? Atque ita non desit perfectio, quae accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quae accesserant tempore: ut neque in eo, quod aptum et congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur; neque in eo, quod adversum atque contrarium dies adtulerant, natura turpetur; sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum. Cap. LXXXV. Foetus abortivi an resurgent.

LXXXVI. Ac per hoc scrupulosissime quidem inter doctissimos quaeri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere, utrum sit quaedam vita et occulta, quae nondum motibus viventis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quae propterea membratim exsecantur et eiiciuntur ex uteris praegnantium, ne matres quoque si mortua ibi relinquantur occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique iam mori potest. Mortuus vero, ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum. Cap. LXXXVI. Foetus in utero quando vivere incipiat.

LXXXVII. Neque enim et monstra quae nascuntur et vivunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo et fratres fidelissimi quod eum viderint retulerunt, et sanctae memoriae Hieronymus praesbyter scriptum reliquit: absit, inquam, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cetera quae singuli quique partus vel amplius vel mirus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad Cap. LXXXVII. Monstrosi foetus quomodo resurrecturi.

humanae naturae figuram resurrectione revocabuntur ; ita ut singulae animae singula sua corpora obtineant, nullis cohaerentibus etiam quaecumque cohaerentia nata fuerant ; sed seorsum sibi singulis sua membra gestantibus , quibus humani corporis completur integritas.

Cap. LXXXVIII. Instauratio carnis, quocumque modo perierit.

LXXXVIII. Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro ; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat , in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur , in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur , illi animae humanae puncto temporis redit , quae illam primitus , ut homo fieret , viveret , cresceret , animavit.

Cap. LXXXIX. Superflua quomodo redibunt ad corpora.

LXXXIX. Ipsa itaque terrena materies , quae discendente anima fit cadaver , non ita resurrectione reparabitur , ut ea quae dilabuntur et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit , si unguibus quod toties dempsit exsectio ; immoderata et indecens cogitantibus , et ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam , et eam vellet artifex rursus ex illius materiae quantitate reparare , nihil interesset ad eius integritatem , quae particula materiae , cui membro statuae redderetur , dum tamen totum ex quo constituta fuerat , restituta resumeret : ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex , de toto quo caro nostra constiterat , eam mirabili , et ineffabili celeritate restituet : nec aliquid adtinebit ad eius redintegrationem , utrum capilli ad capillos redeant , et ungues ad ungues ; an quidquid eorum perierat mutetur in carnem , et in partes alias corporis revocetur , curante artificis providentia ne quid indecens fiat.

Cap. XC In statura et effigie corporis nihil erit indecorum.

XC. Nec illud est consequens , ut ideo diversa sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eadem macie , aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio creatoris , ut in effigie sua cuiusque proprietas , et discernibilis similitudo servetur , in ceteris autem corporis bonis aequalia cuncta reddantur ; ita modificabitur illa in unoquoque materies , ut nec aliquid ex ea pereat , et quod alicui defuerit ille suppleat , qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inaequalitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur ; hoc fiet cuique de materie corporis sui , quod et hominem reddat angelicis coetibus , et nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit ; sed quidquid futurum est , hoc decebit ; quia nec futurum est, si non decebit.

Cap. XCI. Resurgent piorum corpora quoad substantiam carnis , sed sine omni vitio.

XCI. Resurgent igitur Sanctorum corpora sine ullo vitio , sine ulla deformitate , sicut sine ulla corruptione , onere , difficultate : in quibus tanta facilitas , quanta felicitas erit. Propter quod et spiritualia dicta sunt , cum procul dubio corpora sint futura , non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est; ita tunc spirituale corpus erit , corpus tamen , non spiritus erit. Proinde quantum adtinet ad corruptionem , quae nunc aggravat animam , et ad vitia , quibus caro adversus spiritum concupiscit, tunc non erit caro, sed corpus: quia et caelestia cor-

pora perhibentur. Propter quod dictum est, *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Et tamquam exponens quid dixerit, *neque corruptio*, inquit, *incorruptionem possidebit*. Quod prius dixit, *caro et sanguis*, hoc posterius dixit, *corruptio*: et quod prius, *regnum Dei*, hoc posterius, *incorruptionem*. Quantum autem adtinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod et post resurrectionem corpus Christi caro appellata est. Sed ideo ait Apostolus, *seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale*: quoniam tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.

1. Cor. XV. 50.

1. Cor. XV. 44.

De infidelibus scripsit Augustinus lib. XXII. de Civ. c. XII. *Scrupulosissime quaerere, et fidem qua credimus resurrecturam carnem, ita quaerendo, adsolent irridere; utrum foetus abortivi resurgant?* Respondet Augustinus cap. XIII. *Abortivos foetus, qui cum iam vixissent in utero ibi sunt mortui, resurrecturos, ut affirmare, ita negare non audeo; quamvis non video quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum.* Pergit Augustinus in argumentando pro hac assertione, in qua ita obfirmatus est, ut item scribat: *Non invenio quemadmodum dicam ad resurrectionem non pertinere mortuorum.* His tamen non obstantibus concludit Augustinus: *Sed utrumlibet de his quisque sentiat.*

Easdem Augustini dubitationes de abortivis foetibus videre est in his Enchiridii capitibus, quae scripsit an. 421. quinquennio antequam absolveret libros de Civitate Dei, quos perfecit an. circiter 426. Concludit tamen pro resurrectione etiam abortivorum ut constat ex fine cap. LXXXVI.: *Mortuus vero ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum reperire non possum.*

Itaque sententia Augustini est: 1. quod de resurrectione infantium, qui nati sunt, *nullo modo dubitare debeat christianus.* Ita Augustinus c. LXXXIV. Enchiridii. 2. resurrectionem foetuum abortivorum ita Augustino fuisse certam, *ut reperire non posset* quo pacto posset propugnari contraria opinio. 3. non tamen hanc resurrectionem ita esse christiano certam, sicuti resurrectionem natorum. Quare non audet lib. XXII. de Civ. c. XIII. damnare qui dubitant: *Utrumlibet de his quisque sentiat.* De hoc ultimo minus lector mirabitur, cum eximius Doctor p. Suarez tom. II. in III. part. disp. L. sect. III. de resurrectione infantium etiam natorum qui in originali discesserunt: *Haec*, inquit, *conclusio non videtur in Scriptura tam expressa quam praecedens* (de adultis). *Quia testimonia adducta videntur loqui de adultis, qui de propriis actibus sunt iudicandi.* Quare auctor *Quaestionum ad graecos*, sub Iustini Martyris nomine, q. XIII.; licet loquatur de infantibus iustis, *Decens*, inquit, *esse credere infantium resurrectionem.* Minus igitur mirandum est, quod Augustinus abortivorum foetuum resurrectionem sibi quidem certam habuerit, noluerit tamen eam accensere certissimis christianae religionis articulis. Quod adhuc minus mirabitur, qui noverit summam Augustini moderationem in adstruendis propriis sententiis, et contrariis sugillandis nota ac censura infidelitatis vel haereseos: cuius augustinianae consuetudinis testes esse possunt vel soli quatuor libri de *Anima et eius origine.*

Nota in caput LXXXIII. ad XCI.

Quae disseruntur breviter ab Augustino in his capitibus de resurrectione, disputat prolixius, et eruditissime eximius Suarez l. c. Quare nihil est quod in his capitibus illustrandis immoremur, cum liber eximii Doctoris ad manum sit.

Cap. XCII. Corpora damnatorum qualia resurgent.

XCII. Quicumque vero ab illa perditionis massa, quae facta est per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo et angelis eius puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quaecumque in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, in requirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat, quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit; aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Haec in sanctis Scripturis secunda mors dicitur.

Cap. XCIII. Quorum damnatorum futura sit mitissima poena.

XCIII. Nec prima tamen qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda qua poenale corpus anima relinquere non permittitur, homini accidisset; si nemo peccasset. Mitissima sane omnium poena erit eorum, qui praeter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: et in ceteris qui addiderunt tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem.

Nota in caput XCII. et XCIII.

De poenis parvulorum cum originali decedentium breviter Augustinus hoc loco. Qua in re duo distinguenda videntur.

1. Quaestio directa: *utrum hi parvuli puniendi sint poena sensus, igne aeterno.* In qua quaestione sequor communem theologorum sententiam s. Thomae, s. Bonaventurae, Scoti etc. cum Innocentio III. cap. *Maiores de baptismo. Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus.*

2. Quaestio reflexa est de mente Augustini; *an ipse censuerit parvulos puniendos poena sensus.* In qua mihi certissimum videtur, quod ita censuerit; quod solidissime, atque perspicue ostendit recentius cl. p. Alticotius Summ. Aug. par. IV. q. I. art. 4., quem vide. Haec Augustini mens vel ex his solis capitibus elucet. Describit enim poenam corporum damnatorum, et sub ea diserte comprehendit poenas parvulorum, quamvis omnium damnatorum mitissimam. Nonnulla observanda sunt.

Primo. Mirum non est, quod s. Thomas, et s. Bonaventura conati fuerint interpretari mentem Augustini pro communi sententia. Habuere enim prae oculis testimonia Augustini minus efficacia. Et quidem Magister sententiarum in II. dist. XXXIII. ubi breviter insinuat sententiam negativam, non torqueri parvulos poena ignis, nullum Augustini testimonium sibi opponit. S. Bonaventura ibidem obiicit sibi testimonium ex lib. *de Fide ad Petrum*, qui Fulgentii est, non Augustini. S. Thomas in disputatis q. V. de malo sibi opponit locum eumdem ex libro *de Fide ad Petrum*, et alium ex libro *Hypognosticon*, qui non est s. Augustini, neque aliud testimonium in particulari producit. Secus opinati fuissent de mente Augustini, si omnia testimonia prae oculis habuissent, quae congesta et expensa habes apud auctorem cl. quem citavimus. Sane libri sex Augustini *Operis imperfecti contra Iulianum* nonnisi saeculo XVII. prodiere in lucem e tenebris in quibus delitescebant. Iam vero lib. III. num. 199. ita Iulianus obiicit Augustino: *Audiamus, quid parias Aristoteles poenorum: tantum, inquis, malum ei* (parvulo) *inest ut possideatur a diabolo, atque aeternum mereatur incendium.* Respondet Augustinus, et propugnat tamquam verum cum catholica Ecclesia, quod possideantur hi parvuli non baptizati a diabolo. Tum pergens ad illud de *incendio*, non reiicit tamquam absurdam eam sententiam, neque declinat invidiam asperae illius sententiae, in

qua triumphabat Iulianus: non se explicat distinguendo ignem tribulationis ab igne torquente sensum, sed simpliciter fatetur, quod illi obiicitur: *Si autem non eruitur a potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris in igne aeterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur?*

Secundum, quod observari debet, est: *nullum de igne corporeo damnatorum extare fidei decretum*, uti docet Petavius l. III. de Angelis cap. V., licet hoc verissimum sit; qua de re diversa diversis temporibus sensit Augustinus, ut ibidem Petavius observat num. 6. At eodem igne tortore corporum sicuti damnatos adultos, ita pueros cruciari docuit, quamvis longe mitius, cuiuscumque substantiae sit hic ignis, corporeae vel incorporeae. Satis est quod secundum Augustinum ignis crucians pueros sit eiusdem speciei cum igne torquente adultos, et utrique comprehendantur sub ea sententia: *Ibunt isti in combustionem aeternam*, ita enim legit Augustinus, *iusti autem in vitam aeternam.* Non enim mens Augustini ex eo tantum innotescit quod dicat parvulos cruciari igne, cum novum non sit apud Augustinum in hoc ipso Enchiridio cap. LXVIII. quod ignis ponatur pro genere tribulationis; sed ex eo plane demonstrari videtur Augustini mens, quod tam multis, et tam disertis locis doceat eos pertinere ad damnationem ignis, qui cruciabit adultos, et quidem cum poena corporis, ut saepe inculcat his Enchiridii capitibus XCII. et XCIII.

Tertium valde adnotandum est: non quidquid unus aut alter patrum etiam gravissimorum docet pertinere ad fidem, habendum necessario est tamquam fidei dogma. Sane Augustinus videtur habuisse, tamquam dogma certissimum, assertionem hanc suam de parvulis non baptizatis puniendis poena sensus. Nam scribit ep. ad Hieronymum CLXVI. al. XXVIII. a num. 3. *Quid de anima firmissime teneam non tacebo.* Quae autem non tacet sunt, animam esse immortalem, non esse Dei partem, non corpus, sua culpa lapsam, non liberari nisi gratia Christi. Ad haec sex dogmata septimum addit: *Quaecumque autem sine gratia mediatoris et sacramento eius, in qualibet corporis aetate, de corpore exierit, et in poena futuram, et in ultimo iudicio recepturam corpus ad poenam; si autem... regeneretur in Christo.... et requiem post mortem corporis habituram, et corpus ad gloriam recepturam.* Haec sunt quae de anima firmissime teneo.

Fulgentius Augustini discipulus lib. de fide ad Petrum cap. XXVII. statuit vigesimo quarto loco hoc capitulum.

Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive iam de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis... de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni supplicio sempiterno puniendos. Tum reliquis usque ad XL. capitula recitatis: *Haec interim*, inquit, *quadraginta capitula ad regulam verae fidei firmissime pertinentia, fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende, et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge, et tamquam haereticum abiice. Ita enim ista, quae posuimus, fidei catholicae congruunt, ut si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, et his contraria docere non dubitat, haereticus, et fidei christianae inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat.* Fulgentii sententiam fuisse etiam reliquorum episcoporum Bizacenae provinciae constat ex lib. de Incarnatione et Gratia, quem communi consilio scripsere: vide caput XIV. et XXX. His addendus antiquus Auctor Hypognosticon lib. V.

Verumtamen licet alia ab Augustino et Fulgentio proposita dogmata Ecclesia receperit, non hoc tamen de poena sensus parvulorum, quamquam neque improbaverit; quamvis hac poena usi ipsi sint ad argumentandum contra pelagianos, eosque convincendos de existentia peccati originalis. Dixi *de poena sensus*: nam eos parvulos habere poenam damnationis, esse sub potestate diaboli, in infernum descendere poenis puniendos, ut loquitur Florentinum, eos futuros in sinistra parte, ut habet Africae univer-

sale concilium an. 418., et Gelasius Papa in ep. contra pelagianos, haec atque alia etiam ab iis dicuntur vera, qui poenam sensus infligendam parvulis non cognoscunt; quare ad alium certitudinis gradum pertinent.

Ultimo observandum est, non esse dubitandum de mente Augustini de poena sensus parvulorum, quod lib. V. c. Iulianum cap. XI. postquam dixit parvulos futuros in damnatione omnium *mitissima* addat: *Non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.* Non enim inde sequitur, quod Augustinus in suo doctrinali systemate censuerit, parvulos non puniri poena sensus: quod ita ostenditur. Obiecerat Iulianus illud Evangelii de Iuda: *Melius erat homini illi non nasci;* respondet Augustinus: Ego non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit: qui proinde prae aliis scelestis atque impiis poenam sensus atque ignis non gravem solum, sed gravissimam atque acerbissimam passuri sunt. Augustinus itaque dictum evangelicum *melius erat non nasci*, non modo intelligere non audet de parvulis cum originali decedentibus, sed neque de adultis scelestis atque impiis, qui infra scelestissimos sint. Num inde inferas, quod adulti scelesti, quamvis non scelestissimi, ex mente Augustini futuri sint sine poena ignis? Quare iis qui dicunt: si pueri plecterentur poena sensus, *eis ut nulli essent quam ut ibi essent* potius expediret, quod Augustinus asserere non audet; respondetur eam consecutionem veram esse in doctrina s. Hieronymi et aliorum plurimorum, quos citat ac sequitur a Lapide in c. IV. Ecclesiastis. At Augustinus non ausus est id asserere in libris contra Iulianum, quos scripsit anno 421.

Imo in libris de Libero arbitrio, quos absolvit anno 395. absolute propugnat contrarium capitibus VI., VII., et VIII. *Vide quam absurde, et inconvenienter dicatur: mallem non esse quam miser esse:* vel illa capitis VII. *Considera igitur, quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati, et miseri volunt.*

Neque vero Augustinus tantum, sed alii quoque scriptores, quos a Lapide adducit, putant, quod cuicumque etiam adulto damnato ad poenam sensus melius sit esse quam non esse; quamvis haec opinio per alios reiiciatur.

Cap. XCIV. In vita aeterna Sancti plenius cognoscent quid eis contulerit gratia. Ps. C. 1.

XCIV. Remanentibus itaque angelis et hominibus reprobis in aeterna poena, tunc sancti scient plenius, quid boni eis contulerit gratia. Tunc rebus ipsis evidentius apparebit quod in psalmo scriptum est, *misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine*: quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, et nisi per debitum iudicium nemo damnatur.

Cap. XCV. Tunc revelabuntur occulta iudicia Dei in hominum praedestinatione.

XCV. Tunc non latebit quod nunc latet, cum de duobus parvulis unus esset assumendus per misericordiam, alius per iudicium relinquendus, in quo is qui assumeretur, agnosceret quid sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subveniret; cur ille potius quam iste fuerit assumptus, cum caussa una esset ambobus; cur apud quosdam non factae sint virtutes, quae si factae fuissent, egissent illi homines poenitentiam, et factae sunt apud eos, qui non fuerant credituri. Apertissime namque Dominus dicit: *vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Nec utique Deus iniuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si vellet. Tunc in clarissima sapientiae luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit: quamque sit verum quod in psalmo canitur, *Deus autem noster in caelo sursum, in caelo et in terra omnia quaecumque voluit fe-*

Matt. XI. 21.

Ps. CXIII. 11.

cit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.

Cap. XCVI. Deus facit bene etiam sinendo fieri male.

XCVI. Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quaecumque fiunt male. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit : et profecto bonum est omne quod iustum est. Quamvis ergo ea quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona : tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente Bono : cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostrae confessionis initium, qua nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

Nota ad cap. XCIV. XCV. XCVI.

Manuscripti codices undecim apud Maurinos, et editi omnes, una excepta editione Antonii Arnaldi legunt in hoc c. XCV. *Nec utique iniuste Deus noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si vellent.* Quod favet valde libertati reproborum, et universalitati gratiae sufficientis. Addendum tamen, quod editiones indicatae a Maurinis Ioannis Amerbachii, Desiderii Erasmi, Theologorum Lovaniensium, et Lamberti Danaei vulgatae sunt ex codicibus MSS. plurimis, qui ad manus Maurinorum nequaquam pervenere. Quare eae editiones plures alios codices MSS. supponunt.

Ac sane Lovanienses licet vulgaverint, *si vellent*, addidere ad marginem « *forte vellet* ». Sed nullos MSS. codices in favorem huius lectionis ab ipsis excogitatae proferre potuere.

Profecto ille sensus secundum hanc lectionem dignus est Augustino. Nam serm. XXII. al. CIX. de Temp. num. 5. *Fratres mei maxime nunc dicentem me audite.... Fratres iustum videtur vobis, ut ibi ponatur Iudas, ubi positus est Petrus? Et ibi ipse poneretur, si se correxisset. Sed de venia desperans potius sibi collum ligavit, quam Regis clementiam supplicavit. Itaque fratres, sicut dicere coeperam, non est unde reprehendamus Deum. Quid contra illum dicamus non erit, cum venerit iudicare.* Sermon. CIX. al. I. de verb. Dom. n. 1. ad illa verba, *Agite poenitentiam : Prudenter ergo accipiat unusquisque monita praeceptoris, ut non perdat tempus misericordiae Salvatoris, quae modo impenditur, quamdiu generi humano parcitur. Ad hoc enim parcitur homini, ut convertatur, et non sit qui damnetur.*

Lib. I. ad Simpl. n. 10. *Noluit ergo Esau, et non cucurrit, sed et si voluisset, et cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

Lib. I. c. Adv. Legis et Proph. c. VI. *Sic eos ex eadem massa primae praevaricationis merito damnata fecit vasa irae si usque ad finem in hac malignitate perdurant.*

In Ps. LXVII. n. 7. *Alia quidem sunt in honorem, alia in contumeliam: si qui autem mundaverint semetipsos a vasis contumeliae erunt unius modi in domo, et locus sanctus Domini.* Mitto alia plurima.

Quinimo non modo in doctrina Augustini verum est, *salvi essent si vellent*; sed etiam haec alia propositio : *Praedestinati essent si vellent*, habet fundamentum in Augustino. Audi illum in Ps. LXXIII. n. 5. *Talis est, qui cantat in hoc psalmo. Quis est? Corpus Christi. Quis est iste? Vos si vultis, nos omnes si volumus, omnes filii Core*: idest ut dixerat num. 2. *Filii Core filii Christi*, et n. 1. *Homines quos praedestinavit Deus conformes fieri imaginis Filii sui.*

Non est itaque, quod salus hominum etiam reproborum, *si ipsi vellent,* accenseatur erroribus semipelagianis, uti facit Iansenius in Parallelis a nota XXXIII. et deinceps.

Ceterum fateor quod quamquam ea doctrina Augustiniana sit, tamen multo magis contextui quadret lectio usurpata iam antiquitus a Magistro Sententiarum l. I. Dist. XLIII., quamque habent veteres codices XXV. recensiti a Maurinis: *Nec utique Deus iniuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si vellet*, nempe, *si ipse Deus vellet*, aut voluisset illos salvare. Ita enim contextus postulat, qui est recapitulatio praecedentium, et simul ratio: quod dixerat fieri, hoc modo illud dicit fieri non *iniuste*.

Ceterum sive uno, sive alio modo legeris, hic Enchiridii locus valde favet defensoribus gratiae congruae, imo iis etiam theologis huius gratiae defensoribus, qui cum Lessio, Vasquez, aliisque plurimis negant electionem peculiarem ad gloriam ante praevisa absolute merita. Id enimvero sic ostendo.

1. Rogo quid apud Augustinum sit, Deum *nolle Tyrios et Sidonios salvos fieri?* Quid sit *velle illos salvos fieri*, quod velle non utique habuit; sed habere potuit? Lege, quae proxime praecedunt, et si omnem seposueris contentionem, invenies: *Deum noluisse salvos fieri Tyrios et Sidonios* idem esse, ac quod Deus *noluerit, ut apud eosdem fierent virtutes, quae si factae fuissent, egissent ii homines poenitentiam*; *ro egissent* idem est ac *praevidebat Deus acturos.* Eodem pacto voluit Deus ut fierent virtutes apud Corozaim, et Bethsaida, qui non fuerant crediturí, idest qui *praevisi fuerant non crediturí.* Ecce tibi igitur quid sit ex Augustino *Deum nolle aliquem aut aliquos salvos fieri*: nempe Deum nolle concedere media utilia quidem, sed indifferentia, (cuiusmodi sane erant virtutes factae a Christo), quae si concessa fuissent, praevidentur ii homines acturi poenitentiam; sed potius concedere media indifferentia quidem, utilia tamen, de quibus videt ex hominum malitia fore, ut si concedantur, non sint ii poenitentiam acturi. Iam autem quid aliud docent gratiae congruae et scientiae mediae defensores? Ita explicant, quod Deus misereatur cui voluerit, et clemens sit in quem sibi placuerit. Ex dictis enim intelligitur quoque, quid sit velle salvare, nempe velle impartiri virtutes, quae si factae fuissent, egissent homines poenitentiam.

2. Cum Deum nolle salutem aliquorum, velle salutem aliorum explicetur ad mentem Augustini per nolitionem ac volitionem mediorum, ex quibus praevidetur salus aut mors, vides superfluum esse omne decretum immediate intentivum gloriae aliquorum, exqua intentione conferantur in tempore gratiae efficaces. Sane nullum vel Scripturae vel Augustini testimonium a praecipuis adversariis hactenus citatum vidi, quod modo exposito non explicetur. Sed de his alias.

Nota II. in eadem capita.

Innumera sunt Augustini loca, et testimonia, quibus non agens contra pelagianos passim concedit voluntatem Dei non fieri. In psal. XXXVI. Serm. III. n. 5. probat iustum semper facere voluntatem Dei: *Semper enim facit, et secundum voluntatem eius vivit, voluntas Dei de corde eius non recedit, quia voluntas Dei ipsa est lex Dei.* Nam quemadmodum habet l. XXII. contra Faustum c. XXVII. *Lex vero aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans.* Et cap. XXX. *Lex aeterna, idest voluntas Dei creaturarum omnium conditoris conservando naturali ordini consulens* ..... Quare e contrario mali nunquam Dei voluntatem faciunt. Hinc perpetuus est Augustinus in exprobando peccatoribus, quod voluntatem Dei non faciant: nec aliud sonant quae habet Enchiridii cap. XXVII. *Natura.... quae praeceptum sui Creatoris, quod custodire facillime posset, sua male utens potestate calcavit.*

At saepe idem Augustinus contra pelagianos voluntatem Dei invictam praedicat, quemadmodum hoc cap. XCV. et XCVI. Enchiridii. Ut ista concilies, memineris eorum quae scribit Augustinus sermone CXLIX. al. XXVI. de diversis n. 11. *Ergo uterque Scripturae locus ita temperandus est, ut ostendantur di-*

vina praecepta adversa sibi esse nonposse. Nam ista, quae videtur pugna in verbis, pacem intellectoris inquirit. Haec ipsa transferas ad Augustini doctrinam secum ipsa conciliandam.

Quod sic puto praestari posse: voluntas divina secundum Augustini systema, prout eam *ex parte cognoscimus*, non semper impletur, non semper efficaciam habet, illi saepe resistitur; at eadem prout tota atque integra est, atque ex omni veluti parte cognoscitur, impletur, efficaciam habet, non ei resistitur. Inde consequitur, ut invicta semper sit atque invincibilis.

In hanc rem liceat iterum expendere locum Augustini lib. de Sp. ac lit. cap. XXXIII. quem ad alium finem consideravimus (in not. ad caput LII.), ut inde scilicet probaremus universalitatem voluntatis de salute omnium. At nunc ex eo loco probabimus, quo sensu sit ex Augustini mente invicta voluntas Dei: *infideles quidem*, inquit, *contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt, non ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant: experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est, vinceretur autem si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit.*

Itaque si divina voluntas ex *parte cognoscatur*, qua phrasi in sensu non absimili Paulus usus est, et serm. CCXIII. n. 3. et inquantum dicit *volo ut infideles credant Evangelio* illi resistitur, efficaciam non habet in pervicacibus, eam *calcat natura, sua mala utens potestate*, uti habet Enchiridii c. XXVII.; at si divina voluntas tota atque integra consideretur, et non ex parte tantum, ita habet: *Volo ut infideles credant Evangelio; si secus egerint, me iusto iudicio ita sinente ac permittente, inveniam quid de contemptoribus faciam, nec ullo modo poterunt evadere, quod de talibus ipse constitui.* Haec plena atque integra divina voluntas non caret effectu suo, omnimodam efficaciam habet.

Iam vero secundum modum loquendi qui Augustino placet, ut voluntas divina dicatur *vinci*, non satis est ut, si ex parte tantum consideretur, frustrari possit termino, quem vult; requiritur, ut tota voluntas secundum omnem respectum, quem habet circa suum obiectum, frustrari possit: quod non accidit, ut expositum est, et adhuc clarius exponit Augustinus exemplo: *Qui enim dicit verbi gratia volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit in pistrino semper molat; videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere; sed tunc eam vincet, si et pistrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.*

Nec ratione caret modus loquendi s. Augustini. Sicut enim ad veritatem propositionis disiunctivae sufficit veritas alterutrius membri, ita ad efficaciam plenam, plenamque victoriam voluntatis disiunctivae sufficit ut alterutrum obtineatur. Disiunctiva autem reipsa est et voluntas Dei circa actus liberos creaturarum, eorumque praemium ac poenam: Ex gr. *volo ut bene operentur, vel ut poenam luant.* Quare si alterutrum obtineatur, uti certe obtinetur a Deo, is semper vincet.

Similia habet s. Doctor lib. de Catechiz. rudibus c. XVIII. *Quidquid homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum... Novit enim Deus ordinare deserentes se animas..., nec diabolus aliquid Deo nocuit quia vel ipse lapsus est, vel hominem seduxit ad mortem; nec ipse homo in aliquo minuit veritatem aut potestatem aut beatitatem conditoris sui ..... Iustissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per aequitatem vindictae, ipsi ignominiosi per turpitudinem poenae.* Serm. LVI. al. XLVIII. de Diversis n. 7. in illud orationis Dominicae *Fiat voluntas tua:* ea habet quae satis consentiunt cum his Enchiridii capitibus. *Si*, inquit, *non illud tu dicas, non faciet Deus voluntatem suam? Memento quod in symbolo reddidisti:* Credo in Deum Patrem Omnipotentem. *Si omnipotens est, cur oras, ut fiat voluntas eius? Quid est ergo:* Fiat voluntas tua? *Fiat in me, ut*

non resistam voluntati tuae. Ergo et hic pro te oras, et non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fit a te. Nam et quibus dicturus est: Venite benedicti ...., *fiet in illis voluntas Dei ut iusti et sancti accipiant regnum: et quibus dicturus est:* Ite in ignem aeternum ..., *fiet in illis voluntas Dei ut mali damnentur in ignem sempiternum .... Sive ergo bene sit tibi, sive male sit tibi, fiet in te: sed fiat et a te.*

Et serm. LVII al. IX. de Diversis n. 6. *Voluntas Dei necesse est ut fiat: voluntas Dei est ut regnent boni, damnentur mali. Numquid potest ista voluntas non fieri?*

Ex Remigiano libro, quem Maurini patres scriptum putant saeculo VIII, vulgarunt ineditum antea sermonem, qui est in Maurina editione sermo CCXIII. ubi n. 3. in ea verba Symboli, *Patrem Omnipotentem. Nec ideo credant iniqui, Deum non esse Omnipotentem, quia multa faciunt contra eius voluntatem. Quia et cum faciunt, quod non vult, hoc de eis facit, quod ipse vult. Nullo modo igitur Omnipotentis vel mutant vel superant voluntatem. Sive homo iuste damnetur, sive misericorditer liberetur, voluntas Omnipotentis impletur... Ipse bonus etiam eorum malis operibus bene utitur, ne Omnipotentis voluntas aliqua ex parte vincatur... Novit quemadmodum malis Deus bene utatur, ut in omnibus quae nascuntur et administrantur in mundo, voluntas Omnipotentis impleatur.*

Non itaque secundum systema Augustini confundere debemus haec duo: *voluntas Dei omnis efficax est: voluntas Dei omnis invicta, et invincibilis est.* Primum, ne sit *pugna in verbis* Augustini, *pacem intellectoris inquirit*, et verum est sub data distinctione. Secundum sine distinctione est verum. Caeterum aliquam dari voluntatem Dei absolute, et non sub ea tantum distinctione efficacem, cuiusmodi est praedestinatio sanctorum, et aliae huiusmodi, non est dubium in doctina sancti Doctoris. Una esse dubitatio potest, quamnam habeat tendentiam, et num sit aliqua intentiva voluntas distincta ab exequutiva. Sed haec non sunt huius loci.

Consonant dictis, quae leguntur in his Enchiridii capitibus: *Non fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit.* Cum proponit duos modos, quibus hoc contingit, *vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo* quae Omnipotens fieri vult *ipse faciendo*, pertinent ad praedestinationem sanctorum, et ad omnem voluntatem, quae omnino absoluta ac determinata est ad unum. Quae omnipotens fieri vult sinendo ut fiant, pertinent ad eam voluntatem non omnino absolutam, qua non vult mala sive commissionis sive omissionis, vel si eo sinente fiant, vult illis bene uti *gloriosus per aequitatem vindictae*, ut diximus ex eodem Augustino, l. de Cat. rud., ita ut effugere nequeant manus Dei viventis. Totam hanc voluntatem eiusque effectum voluntas hominis nec impedit nec impedire potest. Verum si hanc voluntatem veluti ex parte consideremus in quantum non vult ea mala sive commissionis, sive omissionis, hoc sensu *infideles contra voluntatem Dei facere* indubitanter scribit Augustinus lib. de Sp. et lit. c. XXXIII. et centies ac centies aliis in locis.

Cap. XCVII. Voluntas Dei salvare volentis an impediatur humana voluntate. I. Tim. II. 4.

XCVII. Quamobrem videndum est quemadmodum sit de Deo dictum, quia et hoc verissime Apostolus dixit, *qui omnes homines vult salvos fieri*. Cum enim non omnes, sed multo plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim requiritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem dici de parvulis non potest, quorum nondum est velle seu nolle. Nam quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati iudicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cum resistunt quantum possunt, etiam nolentes eos salvos fieri diceremus. Sed apertius Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem, *quoties*, inquit, *colli*

Matt. XXIII. 37.

gere volui filios tuos sicut gallina pullos suos et noluisti? tamquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, et infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia, qua in caelo et in terra omnia quaecumque voluit fecit, si colligere filios Ierusalem voluit et non fecit? An potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios eius collegit ipse quos voluit? Quia *in coelo et in terra*, non quaedam voluit et fecit, quaedam vero voluit et non fecit; sed *omnia quaecumque voluit fecit.* Ps. CXIII. 11.

De hoc testimonio, *qui vult omnes homines salvos fieri*, quoniam agit fusius s. Doctor in cap. CIII. ibidem et nos agemus. Praestat hoc loco observasse quod scribit Augustinus: *Quando quaeritur causa cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem dici de parvulis non potest, quorum nondum est velle et nolle.* Igitur anno 421. quo Augustinus Enchiridion scripsit, idest novennio post damnatam haeresim pelagianam, doctrinamque catholicam tum conciliis, tum etiam scriptis Augustini quam plurimis stabilitam, sancitam, explicatam, haec erat in Ecclesia consueta intelligentia testimonii Apostolici *vult omnes homines salvos fieri*, ita ut *si non omnes salvi fiant*, ratio quae dari consueverat, esset, *quia ipsi nolunt.* Quam in Dei Ecclesia consuetam intelligentiam recte Augustinus monet usurpandam esse quantum attinet ad solos adultos, non vero quantum ad parvulos, in qua limitatione omnes convenimus parvulorum nullum esse velle vel nolle. Ac sane cum Prosper in epistola inter augustinianas CCXXV. scripsisset de massiliensibus: *Obstinationem suam vetustate defendunt, et ea quae de epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinae gratiae praevenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Augustinus his respondens (in lib. de Praedestinatione sanctorum cap. XIV.) negat suam doctrinam esse contrariam veteribus, quamvis fateatur, eos non fuisse minutius ista persecutos ante haeresim pelagianam, imo suam doctrinam esse conformem omnibus ecclesiasticis tractatoribus, qui exposuerant librum Sapientiae. Et lib. de Dono perseverantiae, sive secundo de Praedestinatione sanctorum cap. XIX., Cyprianum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, et reliquos verbi Dei tractatores, qui de praescientia et vocatione electorum agunt, sibi favere docet. Haec in libris quos scripsit sub annum 429., octennio fere post Enchiridion. *Nota in caput XCVII.*

Iam autem ad illud testimonium, *quoties volui congregare filios tuos. . . . et noluisti*, duo explicite respondet, unum autem tacite, de quo fusius ipse in capitibus consequentibus, et quantum satis in capite antecedenti.

Augustinus primo dicit hoc testimonium ita intelligendum, ut evitetur absurda intelligentia, quod Dei voluntas superata sit hominum voluntate.

Secundo asserit, quod etiam Ierusalem nolente collegerit Ipse filios quos voluit, nempe ea voluntate, qua *Omnipotens vult ipse faciendo* uti dixerat capite praecedenti XCVI.: quae a scholasticis dici solet voluntas efficax, et beneplaciti.

At adhuc reliqua est difficultas: *voluit Christus aliquot alios filios congregare, et Ierusalem noluit.* Huic difficultati responsionem dederat, vel si vis, generalibus terminis insinuaverat capite praecedenti; nempe in iis ipsis, quos Christus voluit congregare, et Ierusalem noluit, Omnipotens suam voluntatem exercuit, sive *Omnipotens fieri voluit sinendo, ut fiat iusto iudicio.*

Idipsum, ut videbis, fusius persequitur sequenti capite XCVIII. *cum non facit per iudicium, non facit* non quia desit illi modus quo hominum voluntates malas in bonum possit convertere, sive non ex defectu potentiae.

Cap. XCVIII. Deus etsi potest convertere quos voluerit, non tamen inique facit, cum alios convertit, alios non convertit. Rom. IX. 18.

XCVIII. Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit: cum autem non facit, per iudicium non facit. Quoniam *cuius vult miseretur, et quem vult obdurat*. Quod ut diceret Apostolus, gratiam commendabat: ad cuius commendationem de illis in Rebeccae utero geminis fuerat iam locutus, quibus *nondum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori*. Propter quod adhibuit alterum propheticum testimonium, ubi scriptum est, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permovere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiae, *quid ergo dicemus*, ait, ? *Numquid iniquitas apud Deum? Absit*. Iniquum enim videtur, ut sine ullis bonorum malorumve operum meritis unum Deus diligat, oderit alterum. Qua in re si futura opera vel bona huius vel mala illius, quae Deus utique praesciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, *non ex operibus*: sed diceret, ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quaestionem; immo nullam, quam solvi opus esset, faceret quaestionem. Nunc vero cum respondisset, *Absit*, id est, Absit ut sit iniquitas apud Deum; mox ut probaret, nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit: *Moysi enim dicit, Miserebor cuius misertus ero, et misericordiam praestabo cui misericors fuero*. Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive iudicium poenale ingerat digno, sive misericordiam praestet indigno? Denique infert et dicit: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Ambo itaque gemini natura filii irae nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, *Miserebor cuius misertus ero*, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per iudicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinae gratiae largitate: quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Altissimo quippe ac saluberrimo sacramento universa facies atque (ut ita dixerim) vultus sanctarum Scripturarum, bene intuentes id admonere invenitur, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*.

Ibid. 11. — Gen. XXV. 23. Malach. I. 2. — Rom. IX. 14. — Rom. IX. 15. Exod. XXXII. 19. — Rom. IX. 16.

Nota I. ad cap. XCVIII.

Deum posse convertere quos voluerit secundum systema praedeterminantium facile intelligitur, neque eos ex hoc capite impugnamus. Sed et facile intelligitur in systemate gratiae congruae. Sicut enim Deus nequit creaturam rationalem producere, quae non possit per tam multas occasiones aut tentationes a Deo deficere peccando (ita enim, uti passim patres et ipse Augustinus expendit, postulat eius natura finita et ex nihilo); eodem pacto Deus nequit creaturam rationalem producere, quam ipse non possit tam multis finitis in infinitum auxiliis indifferentibus sed diversis, ad se adducere per amorem, aliasve virtutes (ita enim postulat perfectio infinita divinae omnipotentiae maxime sibi subiicientis unamquamque rationalem creaturam, quam omnipotentiae perfectionem capitibus XCV. XCVI. XCVII. et XCVIII. commendat Augustinus). At inquiet aliquis sciebat Deus quod si Corozaim, et Bethsaida vidissent virtutes Christi, egissent poenitentiam. Haec scientia conditionata a congruistis dici solet *media*, non libera Deo, sed creaturae. Igitur Deus facere non potest quod si Corozaim et Bethsaida vidissent virtutes Christi, non egissent poenitentiam. Quod videbitur repu-

gnare ideae omnipotentiae, quam tradit s. Augustinus in his capitibus.

Respondeo. Quod attinet ad divinam omnipotentiam rite explicandam sententia congruistarum nihil habet, cur invideat thomistarum praedeterminantium opinioni.

1. Scientia conditionata, quam obiectio ponit, communis est utrisque, sive utrique eam complectuntur tum congruistae tum praedeterminantes.

2. Quo sensu ea scientia non est libera Deo ex sententia congruistarum, neque est libera Deo in praedeterminantium sententia. Explico: *Si Corozaim et Bethsaida cum his in particulari auxiliis, quae reipsa habuere, vidissent virtutes Christi, non egissent poenitentiam.* Hanc scientiam conditionatam dicunt congruistae non esse liberam Deo; esse tamen contingentem, cum Corozaim et Bethsaida his iisdem auxiliis potuissent pro sua libertate agere poenitentiam, eamque proinde scientiam impedire. Eamdem scientiam conditionatam praedeterminantes quoque negant esse liberam Deo quamvis ex alio capite, quia scilicet non est contingens sed necessaria et pertinet ad scientiam simplicis intelligentiae: est enim necessarium necessitate infallibilitatis seu consequentiae, ut si Corozaim et Bethsaida cum his auxiliis, quae reipsa habuere mere indifferentia, proindeque sine gratia praedeterminante videant Christi virtutes, non agant poenitentiam. Atque in genere et universim loquendo necessariae consequentiae est, ut si existat libertas indifferens sine applicatione praedeterminationis ad actum, non existat actus.

Itaque neque Deus in systemate praedeterminantium facere potest, ut si Corozaim et Bethsaida cum his auxiliis, quae reipsa habuere, nihil ulterius addendo, videant Christi virtutes, agant poenitentiam.

3. Quid ergo omnipotens Dei voluntas secundum sententiam praedeterminantium facere potest? Hoc nimirum. Quod si Corozaim et Bethsaida cum his auxiliis, qua ereipsa habuere, *superaddendo aliquid aliud*, nempe explicationem gratiae praedeterminantis, videant Christi virtutes, agant poenitentiam. Atqui simili responsione uti possunt congruistae. Facere nimirum potest Deus in nostro systemate, quod si Corozaim et Bethsaida cum his auxiliis quae re ipsa habuere, *superaddendo aliquid aliud* ex finitis in infinitum diversis et uberioribus cognitionibus et inspirationibus, videant Christi virtutes, agant poenitentiam.

Itaque in forma scholastica distinguitur illatio: Igitur non potest Deus facere, quod si Corozaim et Bethsaida vidissent virtutes Christi sub iis omnino auxiliis *nihil aliud superaddendo*, conceditur illatio; quandoquidem idipsum praedeterminantes dicere debent; negatur autem illatio, si aliud quid a Deo *superadderetur*.

Quod praedictum est fore, ut *maior serviat minori*, ad litteram intelligitur de primogenitura, quam maior amisit, obtinuit minor, quamvis apud Paulum maior primogenitura spoliatus nempe Esau sit figura reproborum, minor Iacob, qui primogenituram assecutus est, sit praedestinatorum typus. Augustinus tamen tum hoc loco tum alibi Esau habet non modo ut figuram reproborum, sed ut reprobum, quemadmodum Iacob uti praedestinatum: quod supponendum est. *Nota II. ad cap. XCVIII.*

Hoc tamen dato, duo mihi verissima videntur.

1. Nihil esse in tota hac Augustini doctrina de Esau et Iacob, quod vel minimum repugnet doctrinae de gratia congrua et non praedeterminante.

2. Imo nihil esse quod repugnet doctrinae illorum congruistarum, qui in schola Societatis docent cum Lessio ac Vasquez nullum dari divinum decretum efficaciter intentivum gloriae, sive nullam efficacem electionem immediatam ad gloriam ante merita absolute praevisa, quemadmodum neque reprobationem ante demerita absolute praevisa.

Satis autem fuerit hoc secundum breviter expedire, ex quo a fortiori consequetur veritas illius primi.

Ostenditur itaque ex idea praedestinationis, ac reprobationis, quam nobis exhibet Augustinus. Etenim l. de Praed. ss. c. X. n. 19. *Inter gratiam porro, et praedestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praepa-*

ratio, gratia vero iam est ipsa donatio. Et paulo post in eo, quod ait Apostolus: operibus bonis quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus *praedestinatio est*, ait Augustinus. Et iterum: *Quocirca praedestinatio Dei, quae in bono est, gratiae est, ut dixi, praeparatio; gratia vero est huius praedestinationis effectus.*

Neque opponas distinctionem vulgatam quod alia scilicet sit praedestinatio ad gloriam, ex cuius tamquam finis efficaci intentione consequitur praedestinatio ad gratiam. Scio, hanc distinctionem celebrem esse apud quamplurimos gravissimos theologos.

At modo agitur de mente Augustini, quem contendo nunquam usurpasse hanc distinctionem seu loquendi modum, imo neque rem ipsam sub his distinctionis vocibus expressam docuisse; quod tamen secundum probare non est huius loci. Sane liber, qui unus inter omnia Augustini opera consensu omnium tum manuscriptorum tum editorum inscribitur de *Praedestinatione sanctorum* (libri enim *de Praedestinatione et gratia*, *et de Praedestinatione Dei* non sunt Augustini), non aliam praedestinationem nominat, aut agnoscit, quam praedestinationem gratiae: cum autem haec gratia et opera bona consequentia sint *propter regnum caelorum, non propter regnum terrenum*, ideo semel (cap. XX. n. 42.) praedestinatione dicitur ab Augustino *Deus ad regnum coelorum et ad vitam aeternam parare et convertere hominum voluntates*; quae ipsa, ut vides, est praedestinatio gratiae effectricis bonorum operum seu voluntatum.

Libro autem de dono perseverantiae, qui ex s. Prospero, consentientibus tribus manuscriptis appellabatur *Liber secundus de Praedestinatione sanctorum*, non alia praedestinatio agnoscitur, ac defenditur, quam praedestinatio gratiae. Nam capite VII. n. 15. *Deus convertit ad fidem ... Deus donat perseverantiam usque in finem. Haec Deus facturum se esse praescivit. Ipsa est praedestinatio sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti* .... Cumque massilienses, num. 34., opposuissent: *Praedestinationis definitionem utilitati praedicationis adversam*, respondet Augustinus num. 35. *An quisquam dicere audebit, Deum non praescisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quae utique si praescivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, praescivit. Haec est praedestinatio sanctorum* (nihil aliud): *praescientia, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur... Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratiae praedestinatione discreti.* Et iterum, c. XVII. n. 41., *Ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse praescivit, et in sua praescientia praeparavit... In sua, quae falli, mutarique non potest praescientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est praedestinare.*

Iterum cap. XX. n. 53.: *Omnia itaque Dei dona... quis non dicam negare sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse praescisse, et quibus daturus fuerit, nunquam potuisse nescire? Haec est praedestinatio manifesta, et certa sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum iam contra pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit.*

Similem explicationem sparsim toto in libro legere est. Cum autem hanc *gratiae praedestinationem* hoc eodem libro ter vocet *praedestinationem in regnum et gloriam*, nempe num. 57. et 58. et 61, inde constat, quid Augustinus in aliis intellexerit, ubi nominat *ordinatos in vitam aeternam, praedestinatos in regnum Dei, electos ad regnandum cum Christo*, et similia: nempe praescientiam et praeparationem beneficiorum ad vitam aeternam intelligit, quandoquidem *ista et non alia est praedestinatio sanctorum*, ut ex Augustino audisti. Hinc cap. VII. libri *de Correptione, et gratia*; et nominat *electos ad regnum, et ad regnandum cum Christo*, et eam fuisse dicit *electionem* gratiae. Imo in hoc ipso Enchiridii c. XCVIII. habes et gratiae commendationem et altitudinem gratiae, ut intelligas

non aliam hoc loco praedestinationem ab Augustino praedicari, quam praeparationem gratiae, dum agit de Iacobi prae Esau praedestinatione.

His positis quis mirabitur, quod Augustinus hoc Enchiridii capite XCVIII. doceat, *non ex operibus* sive bonis Iacob sive malis Esau factum esse, ut Deus unum dilexerit, alterum odio habuerit, idest unum per praedestinationem gratuitam separaverit a massa perditionis, alterum vero ab ea massa non separaverit, sed reprobaverit? Si Augustinus non aliam praedestinationem sanctorum agnovit, quam praescientiam et praeparationem beneficiorum quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, praedestinatio Iacob gratuita fuit, omnium catholicorum consensu, et ex propriis bonis operibus; atque idipsum sine controversia verum erit de aliorum omnium praedestinatione. Hinc sequitur, quod Deus non praeparaverit similia beneficia Esau, ut eum a peccato et damnatione liberaret (quae est reprobatio negativa non innixa ullis malis propriis praevisis operibus), ex quo consequitur status peccati, et voluntas debite puniendi Esau propter peccatum, quae est reprobatio positiva quam omnes concedunt ex peccato praeviso. Cum autem integra reprobatio positiva coalescat ex negativa et positiva, clarum erit, quod tota reprobatio non erit ex praevisis propriis malis operibus.

Quare ad quaestionem *utrum praedestinatio sanctorum sit gratuita*, respondendum est, praedestinationem sanctorum, ut eam explicat Augustinus, quique eam promiscue dicit et *praedestinationem gratiae et praedestinationem in regnum et gloriam*, utique esse gratuitam sine ulla inter catholicos controversia. Si autem eo praedestinationis nomine intelligatur *decretum gloriae*, tunc esse locum controversiae. Qui enim agnoscunt duplex decretum alterum intentivum gloriae, alterum exequutivum dicent praedestinationem sumptam pro eo primo decreto esse gratuitam. Qui autem non agnoscunt nisi unicum decretum exequutivum gloriae, dicent praedestinationem esse ex meritis gratiae, et non gratuitam.

Nolim praetermittere, quod observavi in epistola Prosperi aquitani ad Augustinum, quae est CXXV. inter augustinianas, non modo catholicos defensores praedestinationis cum Augustino eam habuisse ideam praedestinationis, quam descripsimus: *Ista, et non alia est praedestinatio* ..... verum etiam massilienses, qui putabant suam opinionem *patrum opinioni et ecclesiastico sensui* congruere, similem ideam habuisse: *Quicumque*, aiebant, *ad fidem et ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt* (ex solis viribus liberi arbitrii), *quive in ea fide, quae deinceps per gratiam sit iuvanda mansuri sunt, praescisse ante mundi constitutionem Deum, et eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futura electione et de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit*. Brevius idipsum complectitur Hilarius epistola inter augustinianas CXXVI. *Caeterum praescientiam, et praedestinationem vel propositum ad id valere contendunt, ut eos praescierit, vel praedestinaverit vel proposuerit eligere, qui fuerint credituri*. Quare hoc intererat inter praedestinationem ab Augustino propugnatam, et eam quam propugnabant massilienses; illa erat praescientia et praeparatio beneficiorum Dei....., includendo ipsam fidem ex gratia; haec autem a massiliensibus praedicata praedestinatio erat praeparatio beneficiorum, sed propter fidem ex viribus arbitrii liberi habitam.

Ex omnibus fortasse locis quae card. Norisius (in vind. cap. IV. §. 10.) cum aliis gravibus theologis citat in favorem sententiae de propria reprobatione aut denegatione gratiae efficacis finalis propter peccatum originale remissum, verba s. Augustini in hoc Enchiridii capite maiorem prae se ferunt difficultatem. Argumentatur Norisius: peccatum originale Esau remissum fuit per circumcisionem octavi diei; atqui, teste Augustino in hoc Enchiridii capite, Deus reprobavit Esau propter originale; ergo eum reprobavit propter originale remissum. *Nota III. in cap. XCVIII.*

De hac difficultate actum est in nota ad cap. LIII. Sed examen verborum Au-

gustini in Enchiridio reiecimus in hunc locum, quod attinet ad Esau, eiusque reprobationem.

Respondeo ad argumentum: esto, reipsa Esau circumcisus fuerit octavo die, proindeque remissionem originalis peccati consecutus sit; at secundum Augustini sententiam circumcisus non fuit, aut certe ex substantiali aliquo defectu in eius sacramenti applicatione, inscrutabilibus Dei iudiciis ita disponentibus, circumcisione non deletum fuit eius originale peccatum. Est enim circumcisio, si defectus non subsit et rite administretur, remissiva originalis ex mente Augustini l. XVI. de Civ. c. XXVII., et alibi passim in libris contra pelagianos. Neque reponas videri incredibile, quod Isaac non curaverit filii sui circumcisionem octavo die. Haec enim obiectio impugnat Augustinum, qui ita censet, non autem me, qui hoc solum dico Augustinum in ea fuisse opinione, ut putaret Esau non obtinuisse circumcisione remissionem originalis. Vera ne sit an falsa, non hoc quaeritur. Caeterum quemadmodum infantes israelitarum in deserto a circumcisione excusati sunt, ita fieri potuit quod alii, et inter hos Esau, infirmitate aliqua carnis distulerint circumcisionem ad plures annos: habens autem Esau rationis usum non eam dispositionem attulerit, quae necessaria erat adultis ad fructum circumcisionis.

Hanc opinionem de Esau non iustificato ab originali, habuit Augustinus annis fere viginti quinque ante conscriptum Enchiridion, nempe lib. I. ad Simplicianum ubi cum post multas ratiocinationes aggreditur solutionem quaestionis de reprobatione Esau n. 15.: *Sit igitur*, inquit, *hoc fixum...quod nulla est iniquitas apud Deum...Sunt omnes homines, quandoquidem, ut ait Apostolus*, in Adam omnes moriuntur..., *una quaedam massa peccati, supplicium debens divinae summaeque iustitiae; quod sive exigatur sive donetur, nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, et quibus donandum sit, superbe iudicant debitores....* Quibus verbis et aliis sequentibus utique loquitur de peccato originali. Tum num. 18. conciliat, quod scriptum est: *nihil odisti eorum, quae fecisti*, et illud *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; conciliat, inquam, dicens: *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.* Quibus etiam verbis sermo esse potest tantum de originali peccato, tum quia ita poscit contextus ab initio ratiocinationis de massa peccati, tum quia Augustinus perpetuo inculcat sermonem esse de nondum natis et sine operibus. Verum quoniam quis dicere posset, Deum odio habuisse Esau peccatorem, sed peccatorem per denominationem a peccato originali remisso, audi quod subdit Augustinus: *Quod ergo Iacob dilexit, numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat.* En itaque quid Deus praestitit. In Iacob dilectio prae Esau odio habito *culpam delebat*, *gratiam donabat*. Igitur in Esau *non* culpam delebat, *non* gratiam donabat. Vel ergo Augustinus putavit circumcisionem per accidens ex aliquo defectu separatam fuisse in Esau a fructu iustificationis (nam circumcisionem separari a remissione originalis per se repugnat notissimae constantissimaeque doctrinae s. Augustini), vel Augustinus non censuit Esau circumcisum, ita disponente divina providentia ad ostensionem iustitiae suae.

Similia habet in epist. CLXXXVI. al. CVI. ad Paulinum, quam scripsit quinquennio ante Enchiridion. Plura fuse de iis geminis Isaac filiis n. 16. *Evidentius apparet* (Iacob) *a poena debita liberato, et gratis iustificato quantum beneficii conferatur, quod alter* (Esau) *aequaliter reus sine punientis iniquitate punitur.* Audis Iacob dici gratis iustificatum prae Esau, hunc autem vocari *reum punitum?* Iam autem neque adversarii catholici dicunt hominem cui remissum est originale, esse reum, quemadmodum passim ab Augustino supponitur Esau odio habitus. Et infra num. 21. *Si ambo qui nondum propria vel bona vel mala operabantur, rei tamen ex origine nascebantur, laudet misericordiam qui liberatur, non culpet iudicium qui punitur.* Iacob ergo dicitur liberari a reatu originis, Esau puniri propter reatum originis, quod de homine mundato ab originali peccato non recte dici potest.

Epist. CXCIV. ad Sixtum al. CV. late versat idem geminorum exemplum. *Intelligat Iacob*, inquit num. 38., *ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum, cum quo habuit communem causam, videt per iustitiam meruisse damnari, nonnisi per gratiam se potuisse discerni.*

Poterat ne Augustinus clarioribus vocibus explicare, quod Esau relictus fuit in suo originali peccato? nempe in massa originalis iniquitatis damnatus est, a qua frater discretus est.

Caeterum mens Augustini constat vel ex solo hoc XCVIII. Enchiridii capite, ubi de iis geminis: *Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive iudicium poenale ingerat digno, sive misericordiam praestet indigno?* Quae autem fuerit ista dignitas iudicii poenalis, ista indignitas misericordiae in utroque Esau ac Iacob, explicat statim: *Ambo natura filii irae.... originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti.* Itane loquitur Augustinus, aut ullus catholicus de homine olim reo originalis nunc remissi, *Ingeri iudicium poenale filio irae et obstricto vinculo damnationis?*

Fundamentum autem Augustini fuit ex verbis Pauli adhibentis quoque Malachiae testimonium, supposito quod ea loquantur ad literam de dilectione, et odio Dei non quantum ad corpus et bona primogeniturae, sed quantum ad animam. Haec est ratiocinatio Augustini. Deus proprie odio habuit Esau, et quidem eo odio de quo alibi: *similiter odio sunt Deo impius et impietas eius*, ut expresse habet l. I. ad Simplicianum. Sed non propter peccatum proprium; scriptum est enim *non ex operibus*. Ergo propter originale; ergo illi non fuit remissum; nam profecto odio habere Esau propter originale remissum, et quidem eo odio, quo *Deus odio habet impium et impietatem eius* etiam ab adversariis non admittitur. Punit quidem Deus homines propter originale remissum poenalitatibus huius vitae, non tamen dicitur eos odio habere, eoque odio quo odit impium et impietatem.

Unum est animadvertendum ad rectam Augustini intelligentiam: non esse omnino idem in Augustino liberari a reatu originalis, a vinculo damnationis Adae, ac liberari aut discerni a massa perditionis, a conspersione Adam etc... Hoc enim posterius saepe latius patet quam primum. Sit exemplum ex ep. CLXXXVI. ad Paulinum al. CVI. num. 3. *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, quod fides vera et catholica tenet semper Ecclesia, pusillos cum magnis a morte primi hominis transfert non solum peccata delendo, verum etiam ad non peccandum, recteque vivendum eos, qui iam uti possunt voluntatis arbitrio sic adiuvando, ut nisi adiuvet, nihil pietatis atque iustitiae sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possimus.* Audis in quo situm sit transferre a morte primi hominis ad vitam secundi, si id tota sua amplitudine usurpetur? Gratia deletionis peccatorum transfert a morte primi hominis: sed et qui deinde post deleta peccata adiuvantur ad bene vivendum, transferuntur et ipsi a morte primi hominis ad vitam secundi. Nimirum mors primi hominis non solum reatum originalis peccati dicit, sed alia plura complecti potest, ex. gr. ignorantiam et concupiscentiam.

Lib. de Corr. et grat. c. VII. n. 12. *Qui in melius non commutati perseverantiam non acceperunt... non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam omnibus euntibus ex uno in condemnationem.* Soluti quidem fuerunt in baptismo a reatu originalis; sed quoniam massa irae, peccati, perditionis, dicit etiam ignorantiam et concupiscentiam in quas tenebras et tyrannidem iterum relabuntur qui non perseverant, optime dicuntur non omnino discreti a massa perditionis; discreti quidem secundum quod ad eam massam pertinet reatus originis, qui in baptismo solvitur, nec reviviscit; non autem secundum quod ad eam massam pertinet ignorantia, et concupiscentia.

Cap. XCIX. Ut magna bonitate miseretur Deus, ita nulla iniquitate obdurat.

XCIX. Cum autem Dei misericordiam commendasset in eo quod ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* : deinde ut etiam iudicium commendaret (quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed iudicium; non est quippe iniquitas apud Deum) : continuo subiunxit, atque ait, *dicit enim Scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Quibus dictis ad utrumque concludens, idest, et ad misericordiam et ad iudicium, *Ergo*, inquit, *cuius vult miseretur, et quem vult obdurat.* Miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis. Hoc autem qui eo modo audit, ut dicat, *Quid adhuc conqueritur? nam voluntati eius quis resistit?* tamquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus *cuius vult miseretur, et quem vult obdurat* : absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum; *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Hoc loco enim quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendae rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est. *O homo tu quis es?* Et in talibus quaestionibus ad suae capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi, sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim haec non capit, quis est qui respondeat Deo ? Si autem capit, magis non invenit quid respondeat. Videt enim, si capit, universum genus humanum tam iusto iudicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare iustitiam; et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum iudicium Dei duceret nisi eis indebita misericordia subveniret: ut volentium de suis meritis gloriari, *omne os obstruatur; et qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Rom. IX. 17. Exod. IX. 16. Rom. IX. 18. Ibid. XX. 21. Rom. III. 19. I. Cor. I. 31.

Nota I. in caput XCIX.

Nonnulla observanda sunt, ut Augustini ratiocinatio facilius exponatur.

1. Homini secundum se et multo magis supposito originali peccato, indebitum est utrumque supernaturale auxilium tum sufficiens tum efficax : sufficiens autem in aliquo gradu sive proximo sive remoto debitum est solum in quantum necessarium est ad assequendum eum finem, et implenda ea praecepta, quae sine illo consequi aut implere non possumus: *Firmissime creditur Deum iustum et bonum impossibilia non potuisse praecipere :* ait Augustinus lib. de Nat. et gr. c. LXIX. *Magnum aliquid pelagiani se scire putant, quando dicunt: non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat ?* ait Augustinus lib. de Gr. et lib. arb. c. XVI. Non ergo sollicitus est Augustinus in hoc capite, aliisque aliorum librorum locis similibus, ut rationem det de negata gratia saltem remote sufficienti, quoniam haec non negatur: *Hominibus natura filiis irae propterea dantur praecepta vivendi quia datur et gratia, ut qui iubet iuvet.*

2. Hinc facilius intelligitur iustitia Dei negatis peculiarem uberiorem aut victricem gratiam, quandoquidem indebita est omnino homini habenti quod satis est. Expende quae Augustinus habet l. II. Quaestionum supra Exodum q. XVIII. *Ut ergo tale cor haberet Pha-*

rao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit. Ubi vides, et misericordiam moventem ad pietatem, idest auxilium sufficiens, et vitium resistens misericordiae moventi.

At enim vero: *Quis dicat modum quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse!* ait Augustinus l. I. ad Simplic. q. II. n. 14. Atque universim loquendo verissime dixerat num. 13. de omnibus pervicacibus: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur.* Iam autem haec specialia beneficia pertinent ad *misericordiam indebitam*, quae si negetur, non est locus querelae. Hinc idem Augustinus de Pharaone, ubi supra: *Quod vero ea facta sunt, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei .... dispensationis fuit divinae.* Non potuit autem conqueri Pharao, quia ut dixerat Augustinus: *Patientia Dei movebatur ad pietatem.* Quare habebat quod satis erat; ceterum sua culpa, *non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter renitebat*, ut ibidem ait Augustinus.

3. Satis igitur est ad querelas retundendas, quod diximus de *misericordia indebita.* Quo nomine comprehendi debet non modo gratia congrua atque efficax eruens adultos a peccatis lethalibus actualibus, sed etiam gratia baptizatis impartita parvulis. Cum ergo *indebita misericordia ac miseratio* sit non modo quae eruit a statu peccati originalis, sed etiam ab actualibus illos quoque, qui regenerati iam fuerant, et soluti a reatu originalis, quid est quod Augustinus ad vindicandam Dei iustitiam negantis pluribus *misericordiam* indebitam, non sistit in hoc summo Dei iure nemini debentis specialem miserationem, sed vim praeterea etiam facit in originali peccato? Vel ergo responsio apologetica divinae providentiae petita ex *causa communi originalis peccati, et apostaticae radicis* non est universalis, vel Deus negat misericordiam gratiae efficacis et victricis etiam propter originale remissum, quod supra negavimus.

Respondetur 1. Summum Dei ius nemini quidquam debentis, ex suppositione autem legis impositae solum debentis vires sufficientes non autem uberiores, atque uberrimas, esse rationem sufficientem, ob quam Deus, cui vult, neget, etiam nullum habenti originale peccatum quo pacto eam negavit Adamo atque Evae iustis, et angelis apostatis. 2. Peccatum originale non remissum esse praeterea sufficientem aliam rationem, cur neget Deus et gratiam regenerationis, et gratias congruas conversionis a peccatis actualibus. 3. Si autem sermo extendatur etiam ad regeneratos adultos, dico peccatum originale, quod iam remissum est, non esse motivum negandi gratias efficaces, sed ut dixi (in not. ad cap. LIII.) esse *principium argumentandi* ad emolliendam difficultatem atque arduitatem, quam humanus intellectus apprehendit, cum Deus non omnium, ut posset, miseretur, sed aliquorum. Hoc argumentandi principio uti videtur Augustinus hoc Enchiridii cap. XCIX. *Universum genus humanum tam iusto divino iudicio in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei damnare iustitiam.* Minus ergo mirandum est, si plures Deus ab hac damnatione liberat tantum ad tempus, tum permittit iterum ingredi vias suas, et in perditionem relabi, quamquam non in reatus remissos, quandoquidem permittere poterat, ut homo peccati originalis reus perpetuo iaceret in eadem damnatione.

(*Sic oportuisse liberari ....*) Haec et similia patrum testimonia, et ratio, quae his testimoniis indicari videtur, in causa fuerunt, cur plures sibi suaserint Deum necessitari saltem moraliter ad optimum. *Nota II. ad cap. XCIX.*

Audiendus Godefridus Guillielmus Leibnitius (Theodiceae part. I. num. 8. latinae versionis an. 1719.): *Iam suprema ista sapientia bonitati non minus infinitae adiuncta, non potuit non eligere optimum; nam sicut minus malum est quoddam boni genus, ita minus bonum est species quaedam mali, si bono maiori obicem ponit, essetque in Dei actionibus corrigendum aliquid, si melius agendi locus foret.* Quamvis autem hoc argumentum, si quid probat, evincat necessitatem Dei ad optimum non mora-

lem modo, sed metaphysicam ; tamen Leibnitius pluribus epistolis , quarum fragmenta refert latinus interpres in monito prolegomeno p. 17. ait: *Deus necessitatus est ad mundum creandum moraliter non metaphysice*. Et alia epistola: *In Deo optime agendi necessitatem* agnoscit.

In hac controversia asserendum videtur. *Primo* : Deum necessitate metaphysica facere optimum ex parte agentis , cum omnis eius actus propter se ipsum , idest propter bonum infinitum sit , ideoque perfectissimus sit. *Secundo* : Deum necessitate metaphysica facere optimum ex parte rerum , cum hac limitatione , nempe comparatione huius aut illius finis a se libere intenti ; qui finis in praesenti providentia est magna quaedam suorum attributorum manifestatio. Ratio est, quia si finem intendit , fieri non potest, ut media proportionem accuratissimam non habeant ad eum assequendum. *Tertio*: Deum nulla necessitate neque metaphysica neque physica neque morali ferri ad faciendum optimum ex parte rerum , si absolute loquamur, ac nulla facta suppositione.

Ratio repetenda est cum Augustino ex infinita Dei perfectione. *Intelligendum est* (ait lib. I. con. Adv. Legis et Proph. c. VII.) *quod non ea* (bona creata) *fecerit eorum indigus, sine quibus esse in sua perfecta beatitudine potuit sine initio sempiternus. Ideo quippe istorum faciendorum causa sola Dei bonitas fuit , quia necessitas eius ulla non fuit*. L. XIII. de Trin. c. X. de Deo inquit , *cuius potestati omnia aequaliter subiacent*. Ratio autem esse ulterior potest , quoniam in rebus finitis repugnat optimum. *Nullus quippe numerus quamlibet magnus vel dicitur, vel si dici iam non potest , cogitatur, cui non addi possit, ut maior sit* ait Augustinus l. I. c. II. contra Adv. Legis et Proph. Similia dixeris de creaturis, vel qualibet creaturarum universitate.

Hinc solvitur argumentum Leibnitii: *minus bonum, esto, sit aliqua mali physici species :* at essentialis est haec imperfectio cuicumque finitae rei aut operi, *quia non est aequale facienti* , ait Augustinus ibidem cap. III. Non est autem reprehendendus , qui omisit melius, quia quodcumque faciat , semper melius ac melius facere potest; dummodo quod facit bonum sit.

Cap. C. Nihil fieri praeter voluntatem Dei , etiam dum fit contra eius voluntatem. Ps. CX. 2.

C. Haec sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*: et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset , id est, non quod ille , sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturae voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene utens et malis, tamquam summe bonus, ad eorum damnationem quos iuste praedestinavit ad poenam , et ad eorum salutem quos benigne praedestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos adtinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem fecerunt eius, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea namque *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius* : ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit sed volens: nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene.

Cap. CI. Voluntas Dei bona per bonas aeque et malas voluntates hominum semper impletur.

CI. Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid , quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius multoque certius voluntate ; nam illius mala voluntas esse nunquam potest. Tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest , ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona, velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus, nempe ille vult quod non vult Deus, iste vero id vult quod vult et Deus , et tamen bonae Dei voluntati

pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam huius idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, et ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut probetur aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas; sicut per iudaeos malevolos bona voluntate Patris pro nobis Christus occisus est: quod tantum bonum factum est, ut apostolus Petrus quando id fieri nolebat, satanas ab ipso qui occidi venerat, diceretur. Quam bonae apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant apostolum Paulum Ierusalem pergere, ne ibi pateretur mala quae Agabus propheta praedixerat: et tamen Deus haec illum pati volebat pro annuntianda fide Christi, exercens martyrem Christi. Neque istam bonam voluntatem suam implevit per christianorum voluntates bonas, sed per iudaeorum malas: et ad eum potius pertinebant qui nolebant quod volebat, quam illi per quos volentes factum est quod volebat; quia idipsum quidem sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.

CII. Sed quantaelibet sint voluntates vel angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas semper invicta est: quae et mala esse numquam potest; quia etiam cum mala irrogat iusta est, et profecto quae iusta est, mala non est. Deus igitur omnipotens sive per misericordiam cuius vult misereatur, sive per iudicium quem vult obduret, nec inique aliquid facit. nec nisi volens quidquam facit, et omnia quaecumque vult facit.

Cap. CII. Voluntas Dei invicta semper et numquam mala, sive misereatur sive obduret.

Quae diximus nota II. in cap. XCIV. et seqq. de voluntate Dei efficaci, atque inefficaci in sensu s. Augustini, confirmantur abunde ex hoc capite C. et duobus consequentibus, in quibus si bene numeres, septies profitetur voluntatem Dei quae non impleatur, *Non quod ille.. voluit.... factum est quod Creator noluit.... Quod Deus noluit fecerunt.... Contra voluntatem fecerunt eius* et cet... At in his eisdem capitibus vides tam eloquenter commendari invictam Dei voluntatem.

Modus, quo duo haec Augustinus componit, habetur in iis verbis capitis C. *Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt; quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere potuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem eius fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius.* Lege sequentia.

Iam vero hic conciliandi modus, quem hoc loco usurpat Augustinus, nonnullis vocibus immutatis, est ille ipse, quem explicuimus in nota II. cap. XCIV. et seqq. ex eodem Augustino in libro de Spiritu et litera. Repete actum integrum, ac completum divinae voluntatis circa ea quae impii negligunt, ac in quibus eam non implent. *Voto, ut creaturae rationales haec faciant, atque illa omittant, sub spe praemii, ac metu poenae, vel si id negligant, volo, ut poenas luant, et hoc ipso suo malo ad plura bona curanda inserviant.* In quo actu divinae voluntatis bipartito, si voluntas Dei ex priore parte consideretur, saepe non impletur, non fit: haec autem voluntas Dei, sive hic voluntatis respectus, si subtiliter res cum Augustino expendatur, est voluntas Dei non in quantum omnipotens est, sed in quantum supremus legislator est, ad quem spectat haec vetare, illa praecipere, et obedientibus quidem praemium aeternae salutis, inobedientibus supplicium aeternae damnationis constituere. Haec est Dei voluntas de qua hoc capite C. Augustinus. *Quantum*, inquit, *ad ipsos* (impios) *attinet, quod Deus noluit, fecerunt.* Si autem actus voluntatis divinae non ex prima tantum parte consideretur, verum etiam ex secunda, idest si non ex parte, sed totus consideretur, nunquam inefficax est, sed semper atque omnino effi-

Nota in cap. C., CI., CII.

cax, non ex ratione potestatis mere legislativae, sed ex ratione omnipotentiae exequentis. Dicit enim, quod si non obediant, luant debitas poenas. Iam autem de toto actu divinae voluntatis, prout hanc etiam posteriorem partem complectitur, verum est quod ait Augustinus hoc loco: *quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt; quia nempe,* ut addit s. Doctor, *de ipsis facta est voluntas eius*, eos scilicet puniendo, et plura bona ex eorum malis eliciendo. Animadvertas autem, quod haec voluntas non inaniter, sed efficaciter exequutiva suppliciorum in impios, et ex malis bona faciens, proprie, ac propriissime non ad merum legislatorem pertinet, sed ad legislatorem *omnipotentem*, et legislatori superaddit omnipotentem voluntatem: quare omnino proprie, ac formalissime, ut in scholis dicimus, loquitur Augustinus, cum de voluntate divina circa impiorum actus ac poenas scribit: *quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt.*

Revera enim voluntas prout exprimitur in secunda parte actus propositi, sive prout non modo constituit poenas impiis, sed eas valet potentissime exequi, alia praeterea etiam bona eliciendo ex malis peccatorum, in quantum, inquam, voluntas divina talis est, omnipotens est et ad omnipotentiam pertinet quam superaddit potestati legislativae.

Quapropter quemadmodum supra ex libro Augustini de Spiritu et litera ad conciliandam difficultatem de qua modo controvertitur, distinximus inter voluntatem Dei *ex parte* consideratam, et *ex toto*, ita mutatis verbis, eodemque sensu retento consentanee ad modum loquendi in his capitibus usurpatum ab Augustino, distinguere possumus inter voluntatem mere legislativam, et voluntatem omnipotentem, ita scilicet ut ea non semper impleatur, haec autem impleatur semper. Atque hoc pacto *omnipotentis voluntas semper invicta est*, ut ait Augustinus hoc cap. CII. quamvis voluntas legislatoris ab inobedientibus contemnatur, eamque impii calcent et transgrediantur, ut ait s. Doctor huius Enchir. c. XXVII. Similia leges infra capite CV.

Cap. CIII. Excutitur dictum Apostoli. I. Tim. II. 4. Qui vult omnes etc.

CIII. Ac per hoc cum audimus et in sacris litteris legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimae Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri:* tamquam diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat, nisi quem velit, et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus et quod in Evangelio scriptum est: *Qui illuminat omnem hominem;* non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certe sic dictum est, *qui omnes homines vult salvos fieri*; non quod nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse poenitentiam si fecisset; sed ut *omnes homines* omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, foeminas, infantes, pueros, adolescentes, iuvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum et conscientiarum varietate innumerabili constitutos, et si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum, unde non Deus per Unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, et ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest quodcumque

Ioan. I. 9.

voluerit? Praeceperat enim Apostolus, ut *oraretur pro omnibus hominibus*, et specialiter addiderat *pro regibus et iis qui in sublimitate sunt,* qui putari poterant, fastu et superbia saeculari a fidei christianae humilitate abhorrere. Proinde dicens, *hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo*, id est, ut etiam pro talibus oretur: statim ut desperationem tolleret, addidit, *qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Hoc quippe Deus bonum iudicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem praestare sublimium: quod utique iam videmus impletum. Isto locutionis modo et Dominus est usus in Evangelio, ubi ait pharisaeis, *decimatis mentam et rutam et omne olus.* Neque enim pharisaei et quaecumque aliena et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic *omne olus*, omne olerum genus; ita et illic *omnes homines*, omne hominum genus intelligere possumus: et quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse; qui sine ullis ambiguitatibus, si in coelo et in terra, sicut eum veritas cantat, *omnia quaecumque voluit fecit,* profecto facere noluit quodcumque non fecit.

1. Tim. II. 1. etc.

Luc. XI. 42.

Ps. CXIII. 11.

CIV. Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi iam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse praescisset. Quia vero eum male usurum libero arbitrio, hoc est peccaturum esse praesciebat; ad hoc potius praeparavit voluntatem suam, ut bene ipse faceret etiam de male faciente, ac sic hominis voluntate mala non evacuaretur, sed nihilo minus impleretur omnipotentis bona.

Cap. CIV. Quae fuerit voluntas Dei erga Adamum, quem peccaturum praesciebat.

Non tamen debemus omnipotentissimae Dei voluntati aliquid derogare... Inhaerentes distinctioni, quam proxime usurpavimus inter voluntatem Dei ut meri legislatoris, et voluntatem Dei ut omnipotentis, dicere verissime possumus Augustinum cum coarctat voluntatem salvandi homines ad solos praedestinatos, qui reipsa salvabuntur, intelligere non de voluntate Dei ut meri legislatoris, sed de voluntate Dei ut Domini omnipotentis non modo in inferendis praemiis, atque suppliciis post merita ac demerita, sed etiam in distributione suorum donorum praeparantium ad vitam aeternam. Haec distinctio coincidit in distinctionem a theologis usurpatam de voluntate antecedenti ac consequenti, absoluta et conditionata, inefficaci et efficaci. Sed hoc habet commodi, quod pressius inhaereat verbis Augustini in his Enchiridii capitibus, aliisque tum superioribus ac consequentibus ac proinde etiam aliis Augustini libris, in quibus voluntatem salvandi homines videtur coarctare ad solos praedestinatos, cuiusmodi sunt libri *de Civitate Dei,* libri sex *contra Iulianum*, liber *de Correptione et gratia*, epistola *ad Vitalem*, liber *de Praedestinatione Sanctorum*, libri *Operis imperfecti:* qui omnes post Enchiridion conscripti sunt, aut certe, uti libri sex *contra Iulianum*, eodem saltem anno. In his autem omnibus libris, si bene observes, semper Augustinus vim facere in eo solet, quod voluntas omnipotentis inanis esse non possit. Idipsum autem saepissime inculcat in hoc Enchiridio a capite XCV. ad caput CIV.

Nota in cap. CIII. et CIV.

Hanc autem voluntatem omnipotentis praeparantis efficaciter dona sua ad assequutionem vitae aeternae, Augustinus distinxerat clarissime a voluntate legislatoris capitibus proximis C., CI., et CII. quam non impleri fatetur septem saltem in locis, uti supra animadvertimus. Expende ea verba: *Cum angelica et humana natura peccasset idest non quod*

ille, sed quod voluit ipsa, fecisset. Itaque angelica et humana natura peccando fecit quod ille non voluit utique voluntate legislativa, cui peccatum contrariatur secundum illud Augustini: *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem aeternam*. Haec voluntas, quam saepius profitetur Augustinus in toto contextu, non sane semper impletur. Ad hanc legislativam voluntatem pertinet voluntas generalis et conditionata salvandi omnes, si ipsi bene utentes divina gratia velint, sicut etiam generalis et conditionata voluntas puniens omnes, si male utentes divina gratia peccent.

Quod ad legislativam voluntatem pertineat voluntas conditionata praemii conferendi, quae voluntas proinde inefficax esse potest, clare vides in hoc capite CIV. *Etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque... ad meliorem perducere... si ad permanendum sine peccato perpetuam voluntatem habiturum esse praescisset.*

Igitur ex Augustini sententia in legislatore Deo habemus hunc actum: *ne pecces; si id feceris volo te custodire in salute qua conditus es, et ad meliorem perducere*. Similem aut similes actus possumus ac debemus ex Augustini sententia concipere in Deo legislatore circa alios homines secundum illud Augustini tract. XII. in Ioan. n. 12. *Quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult... Salvari non vis ab ipso? ex te iudicaberis*. In quibus, ut vides, perspicue supponit hanc legislatoris praecipientis voluntatem de conferendo praemio negligi posse ac contemni.

Itaque spectato contextu horum quatuor Enchiridii capitum C., et CI. de quibus proxime supra, et CIII., ac CIV. de quibus in hac nota, habes 1. voluntatem Dei legislatoris praecepta sua et praemia omnibus proponentis: quod enim de Adamo, idem de aliis dici debet, ut ex textu citato, aliisque innumeris, praecipue toto libro de Gr. et lib. arb. constat, in quibus praecepta et praeceptorum observandorum praemium omnibus indifferenter proponuntur.

Habes 2. voluntatem Dei omnipotentis in suorum donorum distributione, qui quoniam Dominus est, non vult omnibus praeparare dona reipsa perducentia ad gloriam, et hoc pacto omnes efficaciter salvare. Hanc voluntatem specialem, quam Augustinus ex capite omnipotentiae commendat, distingui in sententia s. Doctoris ab alia legislativa voluntate generali clamat universus contextus.

Confirmatur hoc ultimum: quod enim specialis voluntas Dei ut omnipotentis, in erogandis specialibus suis donis distinguatur in sistemate s. Augustini a voluntate legislativa omnibus communi proponente indifferenter praecepta, ac praemia, et poenas omnibus viatoribus, hoc inquam facilius concipies, si ex te quaesiero, quid sit secundum Augustinum in hoc cap. CIII. Enchiridii voluntas salvandi praedestinatos, quam voluntatem salvandi non habet erga reprobos. Expende verba huius capitis CIII. in Enchiridio: *Aut certo sic dictum est, qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse poenitentiam si fecisset.*

Dicit 1. Augustinus esse homines, quos Deus salvos fieri non vult.

Dicit 2. quid sit Deum nolle, ut salvi fiant: exemplum ponit in ea nolitione, qua Christus noluit virtutes miraculorum facere apud eos, quos dicit acturos fuisse poenitentiam, si fecisset: quod exemplum omnino respondet alteri quo *haec misericordia subtracta est ab Esau*, ait Augustinus lib. I. ad Simplic. q. II. num. 10., *ut non sic vocaretur, ut et vocato inspiraretur fides, et credens misericors fieret, ut bene operaretur*. Etenim, inquit idem Augustinus n. 14. *quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?*

Ecce tibi igitur, quid sit Deum nolle salvare aliquos in sensu Augustini: est nolle ita ipsorum misereri. *Quia si vellet etiam ipsorum misereri*, ait Augustinus n. 13., *posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, intelligerent et sequerentur.*

Cum ergo nolle homines aliquos salvos fieri, quantum ex hoc Enchiridii capite intelligitur, *sit nolle virtutes facere apud eos, qui poenitentiam egissent si fecisset,* ab opposito deprehendes, quod velle salvos facere eos, qui re ipsa salvi fiunt, ex omni hominum genere, nihil aliud sit, quam *velle virtutes facere apud eos, qui poenitentiam acturi sunt, si faciat*, idest vocibus universalioribus, ut lib. I. ad Simpl. q. II. n. 13. est *velle ipsorum misereri, sive ita vocare quomodo illis aptum est, ut et moveantur, et intelligant et sequantur.*

Iam autem haec voluntas salvandi omnes, idest omne hominum genus erogando illis specialem misericordiam, non est voluntas pertinens ad Deum, ut merum legislatorem proponentem omnibus indifferenter viatoribus praecepta, proemia ac poenas seria voluntate, sed est voluntas distincta per nostrum cogitandi modum a Deo legislatore, et pertinens ad Deum, uti legislator omnipotens est. Quare Augustinus l. I. ad Simplic. q. I. num. 14. postquam plures vocationis modos enumeravit, qui ad manum sunt omnipotentiae divinae, ita concludit: *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res saepe alio modo dicta moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi etiam Esau?... Quis enim dicat modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?*

Videtur igitur, quantum satis, declaratum, quod Augustinus hoc Enchiridii cap. III. coarctans voluntatem salvandi omnes homines, de qua Apostolus, intellexerit de voluntate omnipotente in distribuendis suis specialibus donis, quibus cuius vult specialiter miseretur; non autem intellexisse de voluntate Dei ut legislatoris proponentis praecepta, poenas ac praemia, quam voluntatem et agnoscit in his ipsis capitibus proximis Augustinus, et fatetur posse non impleri; quae distinctio coincidit cum consuetis scholasticorum distinctionibus, quae tamen Baio, Iansenio, aliisque in Augustini lectione profecto versatis minus arrisere, quia voces usurpant ab Augustino non usurpatas.

Quae huc usque disputavimus imprimis adiungenda sunt iis, quae in nota ad caput LII. fusius dicta sunt de voluntate Dei salvandi omnes secundum mentem s. Augustini; tum aliqua corollaria colligenda.

Corollarium I. Ex dictis colligitur veritas asserti illius, quod ad complementum doctrinae, ac sistematis exhibuimus in nota ad cap. LII. ubi de voluntate salvandi omnes; at ne commentatio nimis excresceret, reiecimus in alium locum eius asserti probationem, quae modo tradenda est.

Asseruimus eo in loco veritatem gravissimi momenti, quod Augustinus in his libris ubi testimonium Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, interpretatur de speciali voluntate, quae complectitur solos electos, inseruerit tamen, vel praesupposuerit aliqua quae evincunt ex eius sententia Deum praeter eam voluntatem specialem de electis, habere seriam generalem voluntatem salvandi etiam reprobos.

Iam autem ostendimus, quod Augustinus statim cap. CIV. agnoscit Deum habere voluntatem legislativam proponentem omnibus praecepta, poenas et praemia etiam aeterna, et quidem pro statu non modo naturae innocentis, sed etiam lapsae, de qua loquitur per similes phrases; ergo hoc ipso Enchiridii loco quo tradit expositiones testimonii apostolici *vult omnes homines salvos fieri....* insinuat eam generalem voluntatem quam nos tuemur.

Firmior erit magisque inconcussa huius corollarii veritas nonnullis aliis additis animadversionibus in huius Enchiridii cap. CIII.

Animadversio 1. quod explicatio apostolici testimonii, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, prout aptatur solis electis, quam hoc capite CIII. proponit Augustinus, est secundum quamdam distributionem accommodam, ita ut sensus sit, non quod velit universaliter salutem omnium hominum, sed quod nullus sit salvus, quem Deus non velit salvum fieri: additque alibi exemplum, quo dici solet: hic magister docet omnes pueros huius civitatis, non quod omnes omnino universaliter doceat, sed quod nullus di-

scat literas nisi per ipsum. Sed hoc Enchiridii loco usurpat exemplum solis, et Christi per solem figurati, secundum quam allegoriam Ioannis I. dicitur: *illuminat omnem hominem*. Hanc explicationem adhibet Augustinus non modo in hoc Enchiridii c. CIII. verum etiam l. IV. c. Iulianum c. VIII. lib. de Corr. et gr. c. XIV. lib. de Praedest. sanct. c. VIII. ibique affert exemplum magistri, tandem etiam in epist. ad Vitalem.

Accommodanda est autem distinctio, quam usurpavimus in nota ad c. XLVIII. et seqq. Alia est veritas, quae in hac explicatione *asseritur*, ac docetur, alia quae *praesupponitur*, quamvis non asseratur, aut doceatur. Asseritur ea voluntas beneplaciti efficacis de salute electorum tantummodo per distributionem accommodam. At praesupponitur voluntas generalis, et universalis ad omnium salutem, qualem debet habere Legislator universalis proponens universalia praecepta cum poenis ac praemiis aeternis. Dicitur quidem magister docere omnes civitatis pueros, si nullus doceatur nisi per ipsum; at hoc erit verum praesupposita voluntate universali, quam magister habet, et universali praeparatione ad docendum omnes etiam qui re ipsa non docentur. Fac enim eum magistrum habere voluntatem solum docendi eos, quos docet: utique nullus docebitur nisi per ipsum; quis autem dicat eum docere omnes pueros civitatis, eum esse magistrum omnium puerorum civitatis? Eodem sensu sol illuminat omnem hominem, non quia omnes illuminentur, sed quia nullus illuminatur nisi per ipsum. At hoc optime procedit praesupposita universali praeparatione solis ad omnes quantum ex se est, universaliter illuminandos. *Ipse Iesus quidem, ipse splenduit sicut sol, se lumen esse significans, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod est iste sol oculis carnis, hoc ille cordibus.* Verba sunt Augustini serm. LXXVIII. n. 2. qui saepe alias hanc solis et Christi universalitatem commendat. Quare tr. XIV. in Ioan. n. 2. *Erat lumen verum, ait Evangelista, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si ergo omnem hominem, et ipsum Ioannem, quia et ipse de hominibus.* Observes diligenter eam causalem.

Lib. II. c. epist. Parm. c. XIV. *Si omnem hominem illud lumen illuminat, nullus relinquitur.*

Animadverto 2. quod explicatio altera apostolici testimonii, prout electis solis aptatur, quam secundo loco Augustinus usurpat, est qua distributio, *omnes homines salvos fieri*, accipitur incomplete pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum. Hanc Augustini explicationem in hoc Enchiridii cap. CIII. sequuntur Fulgentius lib. de Incar. Chr. c. XXXI. Beda et Anselmus vulgatus ad hunc locum Pauli. Probat Augustinus expositionem suam ex contextu Apostoli. *Praeceperat enim Apostolus ut oraretur pro omnibus hominibus, et specialiter addiderat, pro regibus et iis qui in sublimitate sunt: qui putari poterant fastu et superbia saecularia a fidei christianae humilitate abhorrere. Proinde dicens hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo*, idest, *ut etiam pro talibus oretur, statim ut desperationem tolleret, addit*, qui omnes homines vult salvos fieri, et in cognitionem veritatis venire: *hoc quippe Deus bonum iudicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem praestare sublimium.* Haec quoque explicatio, quamvis non asserat, praesupponit tamen voluntatem Dei universalem salvandi omnes. Quemadmodum enim ex orationibus quae fiunt pro regibus, et iis qui in sublimitate sunt, colligit Augustinus vel praesupponit voluntatem salvandi omne hominum genus, ita ex orationibus pro omnibus hominibus et unoquoque in particulari praesupponitur ab Augustino aliqua saltem voluntas seria salvandi singulos, ut *desperatio tollatur*: *voluntas*, inquam, *seria* per quam non stet quin omnes omnino et distributive, et collective sumpti salventur, quaeque non *permittat*, *aliquem se excusare de umbra mortis*, ut idem ait Enarr. I. in ps. XVIII. num. 7. Quemadmodum oratio pro omni hominum genere non stat sine divina voluntate salvandi omne hominum genus; ita oratio pro omnibus hominibus non stat sine aliqua praesupposita Dei voluntate salvandi omnes.

Animadverto 3. quod ultima augustiniana explicatio apostolici testimonii *Deus vult omnes homines salvos fieri* prout solis electis aptatur, non habetur hoc Enchiridii cap. CIII. sed lib. de Corr. et gr. c. XV. Docet igitur quod *Deus velit omnes homines salvos fieri*, idest faciat ut homines velint omnes salvos fieri, eo sensu quo Paulus ad Rom. VIII. dicit. *Spiritus postulat pro nobis*, idest postulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*. Et Gen. c. XXII. *Nunc cognovi*, idest cognoscere feci, *quod timeas Dominum*. At haec quoque explicatio, licet non asserat, praesupponit tamen voluntatem Dei seriam et universalem salvandi omnes, sicut effectus praesupponit suam causam. Etenim oratio plurimum valet ad alienam salutem obtinendam: *orate pro invicem, ut salvemini* (inquit Iacobus Apostolus in sua epistola canonica); *multum enim valet oratio iusti assidua*. Quam veritatem profitetur Augustinus hoc ipso Enchiridii cap. CIII. *Hoc quippe Deus*, ait s. Doctor, *bonum iudicavit; ut orationibus humilium dignaretur salutem praestare sublimium, quod utique iam videmus impletum*. Et supra eodem hoc capite CIII. dixerat: *Non quod nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat, nisi quem velit, et ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit*.

Legendus Augustinus ser. CCCLXXXII. al. IV. de sanctis num. 4. *Ut noveritis quantum valuerit oratio s. martyris Stephani, recurrite nobiscum ad illum adolescentem nomine Saulum... Dominus ad illum: Quare me persequeris?... Sed contra tanta mala quae committis in me olim quidem debui perdere te; sed Stephanus servus meus oravit pro te*. Pergit Augustinus describendo orationis fructum: *Elisus est saeviens, erectus est credens; elisus est lupus, erectus est agnus; elisus est persecutor, erectus est praedicator: dicam planius, dicam apertius: elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis, elisus est Saulus, erectus est Paulus. Nam si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet; sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus*. Quare Augustinus agnoscit in Deo hunc aut similem actum *volo conferre victricem gratiam Paulo, si Stephanus oret; nolo conferre si non oret*.

Cum ergo tantam efficaciam orationibus statuta lege adnexuerit Deus, in eo ipso quod nos ad orandum pro aliis imo pro omnibus tam saepe ac vehementer excitet, ostendit se omnium salutem velle seria aliqua voluntate. Quare quod Deus velit ut pro aliis oremus effectus est praesupponens generalem voluntatem salvandi omnes.

Animadverto ultimo quod habet Augustinus hoc Enchiridii cap. CIII. ubi postquam proposuit eas explicationes apostolici testimonii in quantum aptatur solis electis, concludit: *et quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse*. Quibus verbis aperit mentem suam, quod non excludat alias interpretationes, quibus nihil denegetur efficaciae omnipotentiae; cuiusmodi est voluntas illa generalis, quam explicuimus saepe, et quam ex ipso Augustino conciliavimus cum Dei omnipotentissima voluntate.

Constat itaque de veritate corollarii quod modo proposuimus, et de asserto, quod alibi exhibuimus. Modo autem probandum suscepimus s. Augustinum non modo complecti interpretationem apostolici testimonii, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, tamquam adstruentis voluntatem generalem, sed quod in iis ipsis locis, quibus tradit expositiones alias, quae solos electos comprehendunt, insinuat tamen, et praesupponit generalem illam voluntatem salvandi omnes, cui adeo contradicunt baiani, et ianseniani.

Corollarium II. Ex dictis descendit non quidem alia responsio re ipsa diversa, sed alia responsionis forma obiicientibus Augustinum in hoc Enchiridii cap. CIII. interpretantem verba Pauli de generibus singulorum hominum, non autem de singulis generum. Responderi enim potest cum distinctione: Augustinus interpretatur de generibus singulorum hominum voluntatem salvandi omnes homines, voluntatem, inquam, salvandi intellectam pro voluntate conferendi bene-

ficia, et dona congrua, concedo; intelleciam pro voluntate conferendi beneficia et dona, quae satis sint, si per hominem non steterit, nego. Exposuimus quippe, quod sicuti apud Augustinum in hoc c. CIII. nolle salvare aliquos idem sit ac nolle facere miraculorum virtutes apud eos, qui acturi fuissent poenitentiam si fecisset, ita velle salvare sit idem ac velle facere virtutes, sive alia beneficia elargiri iis, qui bene eis essent usuri.

Corollarium III. Inde confirmatur, quod alias insinuavimus, voluntatem salvandi, prout eam Augustinus explicat, non esse voluntatem efficacem intentivam finis, ex qua sequatur voluntas conferendi media.

Cap. CV. Voluntas hominis ad bonum et malum aliter libera in primo statu, aliter in ultimo.

CV. Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut et bene velle posset, et male; nec gratis, si bene, nec impune, si male; postea vero sic erit, ut male velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nunc nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo praetermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale quod etiam non peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit: sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam non mori, quamvis maior futura sit in qua non possit mori.

Cap. CVI. Libero arbitrio gratia necessaria in primo et secundo statu.

CVI. Illam natura humana perdidit per liberum arbitrium, hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium praeberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit, nemo est enim qui non se ipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est, si adiutoria sive alimentorum sive quorumcumque tutaminum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem: ut autem ab eo teneretur vita iustitiae, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adiuvaret. Sed post illam ruinam maior est misericordia Dei, quando et ipsum arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per se ipsum, sed per solam Dei gratiam, quae in fide Christi posita est, liberatur: ut voluntas ipsa, sicut scriptum est, a Domino praeparetur qua cetera Dei munera capiantur, per quae veniatur ad munus aeternum.

Prov. VIII. 35. sec. LXX.

Cap CVII. Vita aeterna merces et tamen gratia. Rom. VI. 23.

CVII. Unde et ipsam vitam aeternam, quae certe merces est operum bonorum, gratiam Deo appellat Apostolus: *Stipendium enim*, inquit, *peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro.* Stipendium pro opere militiae debitum redditur, non donatur: ideo dixit, *stipendium peccati mors*, ut mortem peccato non immerito illatam sed debitam demostraret. Gratia vero nisi gratis est, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera; quibus cum vita aeterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Sic ergo factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset non sine adiutorio divino, et suo fieri perversus arbitrio. Utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. Proinde quia suam maluit fa-

cere quam Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis, quae de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: in honorem per misericordiam, in contumeliam per iudicium ut nemo glorietur in homine; ac per hoc nec in se.

CVIII. Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum hominem Iesum Christum, nisi esset et Deus. Sed cum factus est Adam, homo scilicet rectus, mediatore non opus erat. Cum vero genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, occisus est, reconciliari nos oportebat Deo usque ad carnis resurrectionem in vitam aeternam: ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur, ac sanaretur, et demonstraretur homini quam longe a Deo recesserat, cum per incarnatum Deum revocaretur, et exemplum obedientiae per hominem Deum contumaci homini praeberetur; et Unigenito suscipiente formam servi, quae nihil ante meruerat, fons gratiae panderetur; et carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso Redemptore praemonstraretur et per eamdem naturam, quam se decepisse laetabatur diabolus vinceretur; nec tamen homo gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur: et si quid aliud de tanto mediatoris sacramento a proficientibus videri et dici potest, aut tantum videri, etiamsi dici non potest.

Cap. CVIII. Ex Deo salus nostra, ita ut nec per Christum liberaremur, si non esset Deus.

In his capitibus tria observari utiliter possunt, praeter illa quae capitibus CV. et CVII. repetuntur de voluntate Dei invicta, omnino consentanea iis, quae proxime exposita sunt.

Primo. Observanda distinctio *servitutis*, cui respondet libertas a servitute, et *necessitatis*, cui respondet libertas a necessitate. Servitus autem est tum culpae, tum poenae, tum etiam praecepti atque obligationis. Hinc illa Augustini hoc cap. CVI. *Ipsum arbitrium liberandum est a servitute*. Libertas autem a necessitate insinuatur in statu naturae lapsae per ea verba: *Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam non peccare possit....* Igitur non modo agnoscit Augustinus potentiam peccandi, sed etiam potentiam non peccandi, idest arbitrium liberum ab inevitabili necessitate. Nam ut ait Augustinus l. de Sp. et lit. c. XXXI. *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur*.

Nihil autem obstat, quod voluntas dicatur libera, quamvis necessario velit felicitatem. Nam quamvis necessario velit finem ultimum felicitatis, tamen libera est in electione mediorum, in quibus bonum miscetur cum defectibus; quare potest ea complecti aut respuere. *Electio non est de fine, sed de his quae sunt ad finem ut dicitur III. Ethic.* ait s. Thomas I. p. qu. LXXXII. art. 1. Ipsi beati quamvis non sint liberi quantum ad finem, sive Deum videndum et amandum, sunt tamen liberi in aliis pluribus et possunt velle hoc aut illud, quorum neutrum a fine deordinat, ut docet s. Thomas in II. d. XXV. q. I. art. 1. ad 1. Falso ergo scribit Iansenius l. VII. de Gr. Ch. c. XIII. fieri non posse ut eadem potentia voluntatis circa finem versetur ut natura, et in ea quae sunt ad finem, ut potentia libera.

Nota in cap. CV. CVI. CVII. et CVIII.

Observandum secundo loco, quod de necessitate gratiae in statu naturae innocentis docet Augustinus. Iansenius quidem abutens, ut solet, auctoritate Augustini, docet l. II. de Gr. Chr. cap. V. et saepe alibi in eo libro praecipue, quod nec Adam, nec angeli sancti aliquid boni operari potuerunt sine gratiae auxilio, neque absque coelestis gratiae adiutorio perseverare potuerunt. Cum autem cap. VI. discrimen adiutorii primi et secundi hominis proposuisset, quod videlicet *adiutorium sine quo non* in Adami arbitrio relinqueretur, ut illo pro sua naturali libertate uteretur, *adiutorium* vero Christi *quo* invicte donet ipsum sui et voluntatis usum, addit paulo post, quod primus effectus huius diversitatis adiutorii est, quod angelis, et Adamo adiutorium illud *sine quo non*, non donaret me-

ritum voluntati, quod illa licet cooperante nascebatur, sed hoc ipsa sibi voluntas pareret... illud sibi ipsa vel daret una cum gratia cooperando, vel abiiceret nutum suum concursumque reprimendo; nunc vero gratia potentissima et velle voluntati, et consentire gratiae, et cooperationem et meritum donat.

Ad Iansenium revincendum in eo quod docet meritum naturae innocentis non fuisse in gratia, satis est horum capitum Enchiridii contextus: *Illam* (minorem immortalitatem in Paradiso terrestri) *natura humana perdidit per liberum arbitrium: hanc* (maiorem immortalitatem coelestem) *est acceptura per gratiam quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum.* Hoc dicto, si attendatur verborum cortex, videtur docere s. Doctor, quod si natura humana non peccasset, acceptura fuisset immortalitatem coeli per meritum sine gratia, modo vero acceptura illud sit per gratiam, sive per meritum cum gratia.

Hunc sensum postulat vis propositionis adversativae, in qua *meritum* contraponitur *gratiae,* meritum in statu naturae innocentis opponitur gratiae in statu naturae lapsae.

Postquam Augustinus passus est sibi excidere eam assertionem, utitur, ut rhetores solent, figura correctionis: *Quamvis*, inquit, *sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset:* ac si diceret: quod asserui, non careat difficultate, cum enim et natura lapsa accipiat immortalitatem coelestem per meritum ex gratia, et natura innocens acceptura fuisset eamdem immortalitatem per meritum cum gratia factum, videtur nullius momenti esse datum a me discrimen ac diversitatem.

Postquam hanc difficultatem expolivit Augustinus, aggreditur nodi solutionem: *sed post illam ruinam maior est misericordia Dei, quando et ipsum arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum; nec omnino per se ipsum, sed per solam Dei gratiam, quae in fide Christi posita est, liberatur.* Ac si nimirum Augustinus dicat: verum est, si bene intelligatur, quod asserui discrimen naturae innocentis ac lapsae, quod lapsa accipiat immortalitatem coelestem per gratiam, innocens acceptura fuisset per meritum; nam quamvis etiam hoc meritum naturae innocentis gratia sit sive ex gratia et adiutorio in statu innocentiae necessario, dispar tamen est utriusque status gratia atque adiutorium; nam gratia naturae innocentis erat tantummodo adiuvans participatione immutabilis boni; at gratia naturae lapsae est *misericordia maior;* est enim et adiuvans et *liberans a servitute, cui dominetur cum morte peccatum, liberans,* inquam, *in fide Christi.* Ecce tibi Augustini sensum se ipsum interpretantis. Poterat quidem Augustinus dicere: natura lapsa accipit per gratiam maiorem, quod natura innocens acceptura fuisset per meritum ex minori gratia. At placuit Augustino uti modo loquendi magis emphatico, et cuius plurima exempla dedimus in nota ad cap. I. et II. huius Enchiridii, et gratiam quidem *magnam* naturae lapsae nominare, gratiam *minorem* naturae innocentis silere. Quod eo liberius, et tutius facere potuit, quo statim subsequebatur in hoc capite declaratio, quam expendimus. Hinc habes 1. quid sibi velit Augustinus, dum l. de Cor. et gr. cap. X. dicit, *Angelos per liberum arbitrium stetisse*, quod *liberum arbitrium* pari modo etiam Adamo tribuit: non tamen negat sive angelis sive Adam gratiam omnem etiam solius adiutorii: negat ex toto contextu gratiam liberantem seu *gratiam liberationis:* lege caput sequens XI. ab iis verbis *quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immo vero habuit magnam, sed disparem.... Ille in bonis erat... Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis haec gratia....* Lege serm. CLXXIV. al. VIII. de ver. Apost. contra pelagianos num. 2. *Perierat homo per liberam voluntatem, venit Deus homo per gratiam liberatricem.* Ubi vides liberam voluntatem Adami contraponi non cuicumque gratiae, sed gratiae liberatrici.

Habes 2. quid sibi velit Augustinus lib. de Praed. ss. c. XI. n. 31. *Humana hic merita conticescant, quae perierunt per Adam, et regnet quae regnat Dei gratia per Iesum Christum.* Sensus est: humanae naturae merita quae sine necessitate gratiae sanantis habita perierunt

per Adam, non habent amplius locum : sed sola regnet gratia liberatrix per Iesum Christum, qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc est discrimen ab Augustino intentum toto eo num. 31. quo Christum commendat ut nostrum caput, et nos ut membra eius: hoc discrimen consonat verbis Enchiridii hoc capite CVI., minime vero discrimen in eo situm est, ut capitibus l. II. citatis saepe inculcat Iansenius, quod merita naturae innocentis vocentur *humana*, cum aeque bene merita *humana* vocentur merita naturae lapsae per gratiam reparatae, sicut hoc ipso Enchiridii capite CVI. utraque natura et innocens et lapsa vocatur *humana*. Enchiridii cap. CVI. habes *hominis merita*, et quidem hominis in statu naturae lapsae. Quid vero interest inter merita *hominis*, *et merita humana*? vide etiam sermonem Augustini CLXXIV. ad illa verba Apostoli *humanus sermo*... Atque hactenus de observatione secunda.

Tertio, atque ultimo loco observandum in his Enchiridii capitibus, et praecipue cap. CVI, quod maxime conducat explicandae sententiae s. Augustini, *liberum arbitrium sine Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valere, nostrum nihil esse nisi peccatum:* ita l. de Sp. et lit. c. III., l. III. c. duas epistolas pelagianorum, l. I. Retract. c.XV., serm. CLXXVI. al. X. de verbis Apost., Epistola CLVII. al. LXXXIX., Ep. ad Paulinum CLXXXVI. al. CVI. eadem ex Carthaginensi, et Milevitano usurpat Coelestinus c. X. et Arausicanum can. XXII. *Nemo*, inquit, *habet de suo nisi mendacium et peccatum.* Quam doctrinam Augustini, et veterum patrum passim usurpant baiani, ac iansenistae, ut calumnientur Pontificibus, qui damnarunt baianam propositionem XXVIII. *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet.* Quandoquidem haec damnata propositio eadem videtur cum Augustini ac veterum doctrina.

Ut gravis haec difficultas non ita difficile expediatur, expende similitudinem, qua utitur Augustinus hoc Enchiridii c. CVI. ut probet assertum suum. *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium praeberetur.* Ecce tibi similitudinem Augustini hoc capite : *Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit, nemo est enim, qui non se ipsum ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere ; ad vitam vero tenendam voluntas non satis est, si adiutoria sive alimentorum, sive quorumcumque tutaminum desint, sic homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem ; ut autem ab eo teneretur vita iustitiae, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adiuvaret.* Scis autem quod simili omnino modo loquatur Augustinus de statu etiam naturae lapsae, nisi quod in hoc statu est gratia non solum adiuvans, sed etiam liberans; in statu autem naturae innocentis est solum adiuvans: ex innumeris Augustini locis lege serm. de Cantico novo tom. VI. maur. edit. cap. VIII. *Si tunc ille homo non fuit cautus nunc homo caveat vel expertus. Odit Deus praesumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi adiuvetur a Deo.* Ex eo quod Adae accidit, infert Augustinus quid homo lapsus valeat. Eamdem illationem habet Ep. CLXXXVI. ad Paul. c. XI, n. 37. estque concilii Arausicani canon XIX. et Prosperi sententia CCCVIII. ex Augustino: *Natura humana etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adiuvante, servaret; unde cum sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest recuperare quam perdidit?* Quare quae de uno statu dicentur, ad alium sunt transferenda. Iam nonnulla animadvertenda sunt.

1. Liberum arbitrium, sive libertas adaequata ad mortem et vitam non sita est in uno quodam indivisibili, sed in gemina potestate, quarum una est voluntas ipsa habens potestatem mortis vel nolendo vesci, altera praeter ipsam voluntatis potentiam superaddit potentiam aut *adiutorium alimentorum* sive *quorumcumque tutaminum*: quamvis ex his duabus

partibus constituentibus principalior, et uti scholae dicunt in recto, sit voluntas, quae etiam sola vocari potest liberum arbitrium, non quidem proximum, sed remotum.

2. Ex his duabus partibus constituentibus liberum arbitrium ad mortem et vitam, *mors* quidem effective respondet *voluntati*, non adiutorio alimentorum... non enim hoc adiutorium, sed illa voluntas influit in mortem. At vero vita respondet quidem voluntati, non tamen soli, sed in quantum adiutae *adiutorio alimentorum*, *sive quorumcumque tutaminum*.

3. Hinc habes planum et obvium sensum eius sententiae. *Liberum arbitrium per voluntatem sine adiutorio alimentorum potest mori*, *non potest vivere*; *to sine adiutorio* idem est, ac sine influxu, concursu, et cooperatione alimentorum; non autem necessario significat sine alimentis. Id significat formalissime, atque etiam scholastice vox adiutorii: excluditur ergo influxus, concursus, et cooperatio alimentorum ad mortem, non excluduntur ipsa alimenta: quae etiam si habeantur, aut sint in hominis potestate, semper verum erit, *homo per se ipsum mori potest sine adiutorio*; *quamvis ea habeat*, *vivere non potest*, *nisi ea non modo habeat*, *sed etiam adhibeat*.

In idem recidit alia similitudo saepe usurpata ab Augustino de sano oculo illuminato: nam l. de Nat. et gr. c. XLVIII. n. 56. *Si de integra et sana hominis natura loqueretur*, *quam modo non habemus*, *nec sic recte diceret*, *quod non peccare nostrum tantummodo sit*, *quamvis peccare nostrum esset: nam et tunc esset adiutorium Dei*, *et tamquam lumen sanis oculis*, *quo adiuti videant*, *se praeberet volentibus*. Igitur oculus liber ad non videndum, et videndum (eo sensu quo potentiae distinctae a voluntate esse possunt saltem mediate liberae) constituitur ex duobus, potentia et luce, ita tamen ut potentia visiva sit constitutivum principalius in recto: ac *non visio* quidem est effectus qui respondet soli oculo, qui potest se ipsum claudere ne videat; visio autem non soli oculo respondet, sed oculo ut adiuto per lucem. De oculo autem etiam illuminato et pro eo statu quo lumen habet, verissime dicitur, quod potest *non videre* sine adiutorio lucis, id est sine cooperatione lucis, potest autem videre, sed oculo, cum quo cooperetur lux: iam ad paritatis applicationem.

1. Libertas contradictionis ad peccandum, sive etiam libertas contrarietatis ad peccandum et bene agendum non est quid ut ita dicam, unicum, simplex, et indivisibile, sed sita est in gemina potestate, quarum una est voluntas ipsa, quia ex nihilo est, potens peccare; altera, nimirum potestas non peccandi, vel bene agendi, praeter ipsam potentiam voluntatis superaddit adiutorium divinum tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis, idest adiutorium cognitionis, et affectionis, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali pro varietate materiae, circa quam exerceri debet libertas; quamvis voluntatis potentia se habeat ut quid principalius, et in recto.

2. Peccatum respondet effective potentiae voluntatis, minime vero adiutorio divino cognitionis, atque affectionis; non enim haec adiutoria, sed potentia volitiva influit in mortem: omissio autem peccati vel bonum opus respondent quidem volitivae potentiae, sed ut adiutae.

3. Inde fit aperta veritas sententiae augustinianae. *Liberum arbitrium sine Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet*, idest liberum arbitrium *sine* influxu, concursu, et cooperatione divini adiutorii, nonnisi ad peccandum valet. Quis hoc negat ubi non est influxus, concursus, cooperatio divini adiutorii, sed actus exit ex solo libero arbitrio, in quantum distinguitur a divino adiutorio seu naturalis, seu supernaturalis ordinis, non exit nisi malus actus. Ipsi actus indifferentes in individuo secundum auctores, a quibus propugnantur, non ita emanant a solo libero arbitrio, ut non etiam a cognitionibus et affectionibus naturalibus emanent, quae licet non sint de obiecto positive honesto, sed indifferenti, sunt tamen coelestis quaedam protectio, qua pro eo tempore excluduntur mali actus: quare locum habet in aliquo saltem gradu ea gratia, de qua illud celebre Augustini: *gratiae tuae deputo et quaecumque non feci mala*, l. II. conf. c. VII.:

imo Enchiridii c. CXV. *sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem.*

Neque alius, quam sensus proxime expositus congruit canoni arausicano: *Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum.* Cum enim fiunt actus boni sive supernaturales sive naturales, imo etiam actus indifferentes in individuo, si possibiles sint, haec omnia non de nostro tantum fiunt, sed de alieno, sive de aliqua vel supernaturali, vel naturali gratia, aut protectione, qua saltem malum morale vitatur.

Baiana autem propositio XXVII. falsa est meo iudicio, quod doceat, liberum arbitrium non valere, nisi ad peccandum, sine adiutorio gratiae Dei, quo nomine constat illum intelligere *gratiam fidei*, quam exprimit prop. XXII, sive *gratiam ipsius Christi*, quam exprimit prop. XXIX. et XXX. negata distinctione amoris naturalis, et gratuiti, ut habes prop. XXXIV. Simili argumentatione reiicias doctrinam Quesnelli in pluribus propositionibus eiusdem doctrinae, uti prop. XXXVIII. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris.*

Corollarium. Hinc infero: quod saepissime habet Augustinus *de libero arbitrio sine Dei adiutorio,* sive *de libero arbitrio se solo,* non significat re ipsa contingere realem separationem arbitrii a quocumque divino sive naturali, sive supernaturali adiutorio, sed separationem *ab usu* adiutorii. Abutitur enim Iansenius his testimoniis tum alibi, tum tomo III. lib. III. qui totus est de *Gratia sufficiente*, ut probet reipsa esse quemdam statum arbitrii, praecipue in infidelibus, qui sit sine ullo Dei adiutorio ad evitandum peccatum; proindeque cum omnimoda necessitate peccandi.

Corollarium hoc praeter dicta potest aperte confirmari ex sermone CLXXIV. al. VIII. de verb. Apost. contra pelagianos: nam num. 2. haec habentur: *Quaeris quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem* (in Paradiso). *Quaeris quid valeat ad auxilium Deus et homo? Attende in eo gratiam liberantem. Nusquam potuit sic ostendi, quantum valeat voluntas hominis usurpata per superbiam ad vitandum sine adiutorio Dei malum. Non potuit plus et manifestius exprimi quam in homine primo.* Quod possit voluntas hominis ad vitandum malum *sine adiutorio Dei*, idest, *sine* cooperatione adiutorii Dei, profecto hoc manifestissime exprimitur in Adamo: tam grande enim peccatum effectus fuit solius voluntatis, et nullo pacto effectus fuit adiutorii divini. Quid vero valeat voluntas hominis ad vitandum malum *sine adiutorio Dei,* idest sine existentia adiutorii divini, sive spoliata adiutorio, quomodo ostenditur in homine primo? de quo Augustinus l. de Corr. et gratia cap. XI. *Quid vero? Adam non habuit gratiam? Imo vero habuit magnam.*

Ex hoc igitur sermone contra pelagianos habemus quo pacto similes phrases intelligendae sint in aliis Augustini testimoniis.

Simile argumentum confici potest ex sermone ad Catech. de cantico novo tom. VI. maur. ed. cap. VIII. n. 8. *Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuvetur a Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, et posuit ante eum Deus, sicut Scriptura dicit, ignem et aquam: ad quod volueris, inquit, porrige manum tuam.* Quomodo Adam ostendit quid valeat liberum arbitrium non adiutum, cum ipse dicatur in eadem periodo magnum adiutorium habuisse accipiendo arbitrium rectum cum plenissima facultate boni? nempe illa verba non significant arbitrium *sine adiutorio*, sed *sine cooperatione* adiutorii ex Adami ipsius culpa. Ita in aliis sexcentis locis interpretaberis.

CIX. Tempus autem quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie vel aerumna, pro eo quod sortita est in carne cum viveret.

Cap. CIX. Animarum receptacula ante resurrectionem.

Nota in cap. CIX. In hoc breve caput satis sint commentarii loco verba s. Thomae Augustinum interpretantis in IV. Dist. XLV. q. L. art. 1. ad 2. *Ad secundum dicendum quod inter illa abdita receptacula, de quibus Augustinus loquitur, etiam sunt computandi infernus et Paradisus, in quibus animae aliquae ante resurrectionem continentur: sed ideo distinguitur tempus ante resurrectionem, et post, quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore, post autem erunt cum corpore, et quia aliquibus receptaculis nunc sunt animae, in quibus post resurrectionem non erunt.* Haec s. Thomas. Ceterum de statu animarum iustarum post mortem ante iudicium, quae pro variis temporibus scripserit Augustinus, quem in pluribus imitatus est Bernardus, notiora sunt quam quae nos morari debeant.

Cap. CX. Sacrificium altaris et eleemosynae pro defunctis, quatenus et quibusnam prosint.

CX. Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel elemosynae in Ecclesia fiunt. Sed eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut non ei prosint ista post mortem: est vero talis in bono, ut ista non requirat, et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adiuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicae sunt adversa sententiae, qua dictum est, *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Quia etiam hoc meritum sibi quisque dum in corpore viveret comparavit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitae quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Rom. XIV. 10. II. Cor. V. 10.

Nota in cap. CX. Quae dicuntur in cap. CX. satis consonant cum opinione cardinalis Caietani, quam recentiores magno plausu amplectuntur, suffragia atque indulgentias defunctis magis aut minus prodesse pro maiori aut minori dispositione meritorum ac laborum quibus satagentes per bona opera certam suam vocationem, et electionem fecerint; neque sufficere statum gratiae. Quod enim meruerunt simpliciter in statu gratiae decedendo, esse meritum, ut aliquo modo prosint; maius autem meritum requiri, ut citius ac plenius prosint. Hinc verissimum esse illud Augustini hoc loco: *omne meritum....*

Quae autem cap. hoc CX. disseruntur de *tolerabiliori damnatione*, suasere cl. Dionysio Petavio, ut haec scriberet lib. III. de angelis cap. VIII. n. 15. *Augustinus in Enchiridio damnatorum animas, etsi non omnino a poenarum aeternitate salvantur, sublevari tamen istis vivorum auxiliis, eorumque mitigari supplicia credit.* Sed alium sensum videtur pati posse verba Augustini, imo et debere. Quod enim aliqui dicunt damnationem ibi late sumi pro poenis Purgatorii, nimis alienum est a stylo Augustini, qui damnationem nonnisi damnatis tribuit. *Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis* (nempe quibus neque pro lethalibus remissis, neque

pro venialibus aliquid luendum superest; ii autem homines sunt satis singularis perfectionis) *gratiarum actiones sunt ; pro non valde malis propitiationes sunt* (huiusmodi dixeris eos quibus superest luendum sive pro lethalibus remissis, sive pro venialibus: ad hoc genus pertinent negligentes baptizati, imo qui plurimis etiam se lethalibus inquinarunt, ceterum sacramento aut contritione reconciliationem in tempore obtinuere: hi omnes non valde mali sunt), *pro valde malis* (quorum numero comprehendes omnes qui decessere sine vera poenitentia) *etsi nulla sint adiumenta mortuorum*, *qualescumque vivorum consolationes sunt.* Hactenus ex proprio sensu Augustinus. At quoniam sequenti capite CXII. dicturus erat de opinione agnoscente mitigationem poenarum in damnatis, concludit doctrinam traditam assertione disiunctiva: *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Augustinus secundum suam sententiam, qua de valde malis, sive impoenitentibus dixerat *nulla esse adiumenta* ex suffragiis, concludere hoc tantum debuisset: *Quibus autem prosunt ad hoc prosunt ut sit plena remissio:* qua scilicet obtenta, transferantur in locum quietis. At quoniam repraesentaturus erat statim opinionem docentium damnationem *valde malorum* sive impoenitentium per suffragia fieri *tolerabiliorem* contra ac Augustinus ipse ex proprio sensu docuerat *nulla esse adiumenta horum mortuorum*, ideo absolvit caput CX. ea disiunctiva oratione, ac si diceret: *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio*, secundum scilicet meam opinionem qua dixi *nulla esse adiumenta mortuorum valde malorum*, proindeque totam utilitatem esse hominum *non valde malorum*, qui per suffragia transferuntur ad quietem; *aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio* secundum opinionem mox exponendam aliorum, qui contra ac ego dixi, asserunt aliqua esse adiumenta mortuorum impoenitentium et valde malorum.

Haec saltem suadent ita posse accipi Augustini verba; et caput sequens CXII. ostendit ita debere accipi, et declarari.

CXI. Post resurrectionem vero facto universo completoque iudicio, suos fines habebunt civitates duae, una scilicet Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum; utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi; istis in aeterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in aeterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio praestabilius, in miseria vero illi alius alio tolerabilius permanebunt.

Cap. CXI. Duae civitates post iudicium in aeterna vel beatitudine vel miseria.

CXII. Frustra itaque nonnulli, immo quam plurimi, aeternam damnatorum poenam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quaeque molliendo, et in leniorem flectendo sententiam, quae putant in eis terribilius esse dicta, quam verius. *Non enim obliviscetur*, inquiunt, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas.* Hoc quidem in psalmo legitur sancto: sed de his sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiae nuncupantur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est, *et ibunt isti in supplicium aeternum:* ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus e contrario dictum est, *Iusti autem in vitam aeternam.* Sed poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiam sic quippe intelligi potest ma-

Cap. CXII. Poenam damnatorum aeternam fore.

Ps. LXXVI. 10.

Matt. XXV. 46.

nere in illis ira Dei, hoc est, ipsa damnatio (haec enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio): ut in ira sua, hoc est, manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas; non aeterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus. Quia nec psalmus ait, ad finiendam iram suam, vel post iram suam; sed *in ira sua.* Quae si sola esset quanta ibi minima cogitari potest; perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novimus comparari, si illa sit aeterna, ista autem sint quamlibet multis saeculis longa.

Ps. XX.

Cap. CXIII. Mors impiorum, ut vita piorum, perpetua.

CXIII. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communis, quaelibet homines de varietate poenarum, de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant.

Nota in caput CXI. CXII. CXIII.

De poenarum perpetuitate ex doctrina patrum eruditissime, et copiosissime Petavius l. III. de Angelis cap. VI. VII. et VIII. ubi etiam habes omnia simul Augustini testimonia sive recitata, sive indicata.

Capite autem CXII. huius Enchiridii immoratur Augustinus in exponenda opinione docentium mitigari posse damnatorum poenas. At clarum videtur quod eam *permittat* iis qui hanc sententiam tueri volunt, non vero tamquam ex suo sensu probet. Hinc illud: *Existiment, si hoc eis placet;* et infra: *Quaelibet homines de varietate poenarum, de dolorum relevatione pro suis humanis motibus suspicentur*, ubi eam benignam opinionem adnumerat *suspicionibus*, quae oriuntur ex *humanis motibus*, sive commiserationis affectu. Idem Augustinus lib. XXI. de Civ. cap. XXIV. eamdem sententiam proponit de poenis damnatorum mitigandis, tum ita concludit: *Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto.* Non oppugnavit ergo hanc sententiam Augustinus, sed permisit.

At inquies: exponit Augustinus, quod etiam secundum hanc opinionem interpretari congrue possimus versiculum psalmi: *Non obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas.* Respondeo, omnino ita esse; sed nihil contra nos. Profert enim Augustinus discrimen quod intercedit inter errorem asserentium poenas damnatorum habituras finem, et inter levem opinionem docentium eas habituras aliquam mitigationem; primam omnino reiicit et aperte contrariam putat Dei verbis, etiamsi quamplurimi per eam aetatem ex iis, qui Scripturas admittebant, in hoc errarent; quod etiam colliges ex lib. de Fide et operibus, et libro XXI. de Civitate Dei. Alteram extenuat quidem, et accenset levibus suspicionibus; permittit tamen eam amplecti volentibus. Ac quoniam primi erroris fautores obiiciebant eum psalmi versiculum, negat Augustinus eum illis favere: et interpretatur secundum veram doctrinam, quae neque dependet ab errore asserente damnationis finem, neque a suspicione docente poenarum mitigationem. Addit deinde, quod qui hanc suspicionem seu opinionem tenent, possunt quantum satis interpretari illum versiculum in sententia propria, nec coguntur, ut se se praecipitent in eam aliam interpretationem, quae per errorem nimis noxium populo Dei docet finem poenarum.

At Chrysostomi mens videtur satis clara pro opinione de mitigatione poenarum infernalium, nec pati interpretationes, quas aliqui tentarunt. Nam in epist. ad Philip. hom. III. multa habet num. 3. de peccatoribus morientibus; numero autem 4.: *Non igitur omnes ploremus mortuos, sed eos qui in peccatis; hi lamentis digni, hi eiulatibus, hi lacrymis... Nam in inferno quis confitebitur tibi?... Hos igitur lugeamus; opem pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium compare-*

mus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo? quave ratione? Cum ipsi preces fundamus, tum alios ut pro ipsis fundant obsecrantes, ac pro ipsis frequenter dantes eleemosynas pauperibus. Affert haec res aliquid sodalii. Audi enim Deum ita docentem. Protegam urbem hanc propter me, et propter David servum meum, IV. Reg. XX. *Si sola iusti memoria tantum valuit, ubi opera praeterea pro mortuo fiant, quid non poterunt? Non frustra haec ab apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis, inquam, atque honorificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore quo universus populus stat manibus passis ac coetus sacerdotalis, et illud horrorem incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? atque id quidem de his qui in fide decesserunt.*

Perspicua ista videntur, nec iis aptari posse, quae aliqui docuere apud Bellarmi. de Purg. lib. II. cap. XVIII., Chrysostomum solum videri negare orandum esse publice vel sacrificandum pro catechumenis. At imprimis vides, hic non agi de catechumenis, de quibus tamen quid sentiat accipe ex iis quae sequuntur: *Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis. Vult enim Deus ut mutuum nobis auxilium afferamus. Ecquid enim aliud causae sit, cur pro pace et bono mundi statu precari iusserit? Cur pro omnibus hominibus? Nam hic quidem inter omnes sunt etiam latrones, sepulchrorum effossores, fures atque aliis sexcentis scatentes malis. Attamen pro omnibus precamur. Erit enim fortasse quaedam ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus istis precamur, qui nihil a cadaveribus differunt, ita etiam pro illis precari licet.* Excludit igitur damnatos catechumenos ab utilitate, ac fructu sacrificiorum, non tamen ab utilitate eleemosynarum, ac precum, quamvis non publicarum in sacrificio Eucharistico.

Hinc habes quo sensu verum sit, quod *nec nunc oretur pro infidelibus, impiisque defunctis*, ut ait Augustinus l. XXI. de Civ. c. XXIV. Ex quo magnum argumentum sumitur a Petavio contra eam mitem sententiam: *Maximum*, inquit, *adversus illam praeiudicium est, quod nunquam Ecclesia pro damnatis orare consuevit, quod profecto faceret, si levari saltem illorum cruciatus possent, etiam si terminari non possent:* ita lib. III. de Angelis cap. VIII. n. 18. At hac in re alia est quaestio facti, alia iuris. Quaestio facti est, utrum Ecclesia explicitas orationes habeat pro damnatis, eorumve poenis saltem mitigandis? non habere testatur s. Augustinus, neque contrarium evincunt verba Chrysostomi. At cum idem Augustinus una cum Paulino episcopo Nolano lib. de Cura pro mortuis capite I. num. 1. et 3. *Universa pro defunctis*, inquit, *Ecclesia supplicare consuevit;* oritur quaestio iuris, utrum hae generales preces comprehendant aliquo pacto, et aliqua utilitate etiam damnatos? In qua quaestione Augustinus negativam, at Chrysostomus affirmativam opinionem habuit, Augustino ipso non quidem docente, sed ut vidimus permittente.

Chrysostomi sententiam approbat non quidem Damascenus a Petavio citatus in Orat. pro defunctis, non enim eius est illa oratio; *sed missa pro cuius anima dubitatur*, ita enim inscribitur in Gellonensi codice pervetusto apud maurinos ad caput CX. Enchiridii, et Natalem Alexandrum diss. I. Saec. II., in qua haec est oratio: *Omnipotens, et misericors Deus, qui habes potestatem mortificare, et iterum vivificare, deducere ad inferos, et iterum reducere, et vocas ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt, cuius potestas et in coelo, et in terra, et in mari, et in inferis plena adsistit, te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de praesenti saeculo absque poenitentiae spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam per haec sacra oblationis libamina vel tolerabilia fiant ipsa tormenta.*

Adrevaldus lib. de miraculis s. Benedicti c. XXI. scribit Floriacenses pro a-

nimabus praedonum in acie caesorum preces ad Dominum fudisse: *Quatenus etsi perpetuis non mererentur absolvi cruciatibus, saltem minoribus mulctarentur a stricto iudice poenis.* Pro eadem opinione maurini patres ibidem citant Sententiarum lib. IV. d. XLV., et Glossam in II. q. XIII. c. *tempus.* Pro eadem sententia leges apud s. Th. in IV. dis. XLV. q. II. nomina Praepositivi, Porretani, Altisiodorensis.

Huius opinionis censuram habes apud sanctum Thomam ibidem: *Est nihilominus praedicta opinio praesumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria et vana, nulla auctoritate fulta, et nihilominus irrationalis.* Sanctorum dicta contraria referuntur apud s. Thomam nonnisi verba quaedam Dionysii Areopagitae, Augustini, et Gregorii. Quod autem dicit *nulla auctoritate fultam* ostendit se, non attendisse ad Hom. III. Chrysostomi in ep. ad Philippenses, aut hymnum V. Prudentii post festum Paschale: cuius auctoritatem si eludamus, quod poetice cecinerit, nulla eius auctoritas erit, ubi tam multa adstruit religionis nostrae mysteria aut ceremonias. Non itaque spernenda eius auctoritas est; poeta est enim qui non fabulas, sed mysteria ritusque religiosos metro illigavit.

Placet censura Petavii l. III. de Ang. c. VIII: *De hac damnatorum saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia Catholica, ut propterea non temere tamquam absurda sit explodenda sanctissimorum patrum haec opinio, quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena*: cui moderatae censurae favet Augustinus citatus.

Cap. CXIV. Exposita fide, agit de spe.

CXIV. Ex ista fidei confessione, quae breviter symbolo continetur, et carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritaliter autem considerata ac tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui caritas sancta comitatur. Sed de iis omnibus quae fideliter sunt credenda, ea tantum ad spem pertinent quae oratione dominica continentur. *Maledictus* enim *omnis*, sicut divina testantur eloquia, *qui spem ponit in homine:* ac per hoc et in se ipso qui spem ponit, huius maledicti vinculo innectitur. Ideo nonnisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos vel pro bonis operibus adepturos.

Ierem. XVII. 5.

Cap. CXV. Orationis dominicae apud Matthaeum petitiones septem. Matth. VI. 9. seqq.

CXV. Proinde apud evangelistam Matthaeum septem petitiones continere dominica videtur oratio: quarum tribus aeterna poscuntur, reliquis quatuor temporalia, quae tamen propter aeterna consequenda sunt necessaria. Nam quod dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, (quod non absurde quidam intellexerunt, in spiritu et corpore) omnino sine fine retinenda sunt: et hic inchoata quantumcumque proficimus augentur in nobis; perfecta vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod vero dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo,* quis non videat ad praesentis vitae indigentiam pertinere? In illa itaque vita aeterna, ubi nos semper speramus futuros, et nominis Dei sanctificatio, et regnum eius, et voluntas eius in nostro spiritu et corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus est quia hic est necessarius, quantus animae carnique tribuendus est, sive spiritualiter, sive carnaliter, sive utroque intelligatur modo. Hic est etiam quam poscimus remissio, ubi est commissio peccatorum; hic tentationes quae nos ad peccandum vel alliciunt vel im-

pellunt ; hic denique malum unde cupimus liberari : illic autem nihil istorum est.

CXVI. Evangelista vero Lucas in oratione dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est : nec ab isto utique discrepavit, sed quomodo istae septem sint intelligendae, ipsa sua brevitate commonuit.

Cap. CXVI. Petitiones tantum quinque apud Lucam, qui cum Matthaeo conciliatur. Luc. XI. 2.

Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam praetermittendo facit intelligi. Deinde tres alias adiungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille in ultimo posuit, *sed libera nos a malo ;* iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *sed libera ;* non ait, et libera tamquam unam petitionem esse demonstrans : (Noli hoc, sed hoc :) ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem.

CXVII. Iam porro caritas, quam duabus istis, id est fide ac spe maiorem dixit Apostolus, quanto in quocumque maior est, tanto melior est in quo est. Cum enim quaeritur, utrum quisque sit homo bonus, non quaeritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui recte amat, procul dubio recte credit et sperat : qui vero non amat, inaniter credit, etiam si sint vera quae credit ; inaniter sperat etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quae sperat : nisi et hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest ut id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire. Tamquam si speret vitam aeternam (quam quis non amat?) et non amet iustitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quae per dilectionem operatur, et quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quaerit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei. Fides namque impetrat quod lex imperat. Nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu Sancto, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, iubere lex poterit, non iuvare ; et praevaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas.

Cap. CXVII. De caritate, quae cum fide ac spe adesse debet.

Matth. VII. 7. II. Sent. d. XXVI. cap. Etsi. Rom. V. 5.

In his capitibus exponitur utraque idea quam de spe et caritate habet Augustinus ; spei nonnisi expectationem, ac fiduciam rerum obtinendarum tribuit, uti declaravimus ac probavimus in nota ad cap. VII., et VIII. Caritati autem tribuit id omne quod est *rectus amor* operativus (simplex enim quidam amor et complacentia boni est inseparabilis a spe, ut docet Augustinus iis verbis, *sperare sine amore non possit*), quo fit homo bonus ac legem implens. Hic enim est amor *id amans, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire, tamquam si speret vitam aeternam et non amet iustitiam, sine qua nemo ad illam pervenit.* Fides, ac spes si inanes non sunt, eo collineant, ut precibus obtineant hanc iustitiam sine qua nemo ad vitam aeternam pervenit. Id si obtineat, tunc fides per dilectionem operatur, quae dilectio est ipsa iustitia, quam *lex imperat.*

Nota in caput CXIV. CXV. CXVI. CXVII.

Vides ergo quod in tripartita divisione fidei, spei, caritatis Augustinus tertio hoc loco sub caritatis nomine complectatur omnem iustitiam a fide, et spe distinctam, qua lex impletur. Si lex iubeat, et per hominis negligentiam Spiritui Sancto resistentis non cooperetur cum homine donum divinae gratiae, non conseque-

tur legis observantia, sed inexcusabilis praevaricatio. Dei donum iuvans ad legem implendam vocatur Spiritus Sanctus diffundens caritatem in cordibus nostris, cum iustitia mandatorum et caritas hoc loco idem sint.

Hinc habes discrimen assertionis augustinianae hoc loco: *Regnat enim carnalis cupiditas ubi non est Dei caritas*, et quesnellianae propositionis XLV. ex damnatis in bulla *Unigenitus: Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat.*

Discrimen ex eo quoque sumi posset, quod Augustinus loquatur de Dei caritate, prout universim complectitur amorem iustitiae, et observantiam legis ac mandatorum, uti constat ex toto capite CXVII. Quis autem dubitat, quominus regnet carnalis cupiditas in homine in quo pro tempore et loco non est observantia legis, non est iustitia et iustitiae amor, proindeque inaniter credit, inaniter sperat?

Quum contra vero Quesnellus loqui videatur de caritate dominante, regnante ac proinde iustificante quae non est in peccatoribus: haec caritas est amor Dei specialis super omnia, non generalis caritas, sive iustitiae et mandatorum amor.

Observandum est autem Augustinum loqui de homine, sive de statu hominis, non de actu quolibet morali singulari; non enim in unoquoque eorum actuum necesse est ut regnet vel Dei caritas etiam usurpata pro generali virtute et amore boni, vel carnalis cupiditas: sive quia actus non positive bonus esse potest indifferens in individuo, sive quia ad summum erit cum aliquo veniali defectu; non tamen regnantem habebit carnalem cupiditatem.

Cap. CXVIII. Status vel aetates hominis quatuor, ante legem, sub lege, sub gratia, et in pace.

II. Petr. II. 19.

Rom. V. 20.

CXVIII. Sed cum in altissimis ignorantiae tenebris nulla resistente ratione secundum carnem vivitur, haec sunt prima hominis. Deinde cum per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinitus adiuvat spiritus, secundum legem volens vivere vincitur, et sciens peccat, peccatoque subditus servit: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est:* id agente scientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo praevaricationis adiecto, atque ita quod scriptum est impleatur; *lex subintravit, ut abundaret delictum.* Haec sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda quae mandat ipse adiuvare credatur, et agi homo coeperit Dei spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore caritatis: ut quamvis adhuc sit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen iustus vivat, iusteque vivat, in quantum non cedit malae concupiscentiae vincente delectatione iustitiae. Haec sunt tertia bonae spei hominis, in quibus si pia perseverantia quisque proficiat, postrema pax restat, quae post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta. Sic est et Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura et numero et pondere cuncta disponit. Nam fuit primitus ante legem; secundo sub lege, quae data est per Moysen; deinde sub gratia, quae revelata est per primum Mediatoris adventum. Quae quidem gratia nec antea defuit, quibus ea oportuit impertiri, quamvis pro temporis dispensatione velata, et occulta. Neque enim antiquorum quicumque iusterum praeter Christi fidem salutem potuit invenire, aut vero nisi et illis cognitus fuisset, potuisset nobis per eorum ministerium alias apertius, alias occultius prophetari.

CXIX. In quacumque autem quatuor istarum velut aetatum singulum quemque hominem gratia regenerationis invenerit, ibi ei remittuntur praeterita universa peccata ; et reatus ille nascendo contractus, renascendo dissolvitur. Tamque multum valet, quod *Spiritus ubi vult spirat*, ut quidam secundam illam servitutem sub lege non noverint, sed cum mandato incipiant adiutorium habere divinum.

Cap. CXIX. Regeneratio peccata abolet universa in quavis aetate. Io. III. 8.

Discutienda iam est celebris doctrina de quatuor hominum statibus, quam catholice pluribus in locis Augustinus tradit, erronee autem Iansenius, et Quesnellus. *Sententia Augustini*, ait Iansenius l. III. de Statu nat. lapsae cap. II., *quam tantopere pelagiani detestati sunt, non alia quam ista est : quod arbitrium voluntatis post lapsum primi hominis, antequam divina gratia visitetur, hoc est antequam christianam suscipiat fidem unde incipit gratia, sub cupiditatibus terrenis ita arcte captivum possideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis adstricta nullomodo possit surgere, ut bonum velit aut faciat, sed ut tantummodo captivo motu versetur in malo. Qua de causa liberum arbitrium toto illo tempore non tam esse liberum quam servum, hoc est liberum esse iustitiae, peccati autem servum, sublata funditus indifferentia proxima ad bonum et malum.*

Doctrina ista in Augustini scriptis tam luculenta, et perspicua est, ut ausim dicere nullam in hac tota materia esse clariorem, quam ipse non tamquam opinionem suam, sed tamquam immobilem Christianae fidei basim docet, cui tota oeconomia christianae gratiae et voluntatis incumbit.

Eam probat pluribus argumentis, quorum *quartum* capite sexto est: *Ex quatuor statibus populi Dei, ante legem, sub lege, sub gratia, et in pace. Apud Augustinum*, inquit, *inter status illos ista differentia est, quod in duobus primis arbitrium sub peccati concupiscentia captivum et servum iacet, ita ut legem iustitiae sibi propositam, seu ipsum opus bonum, quod lex iubet implere non possit. Nam quamvis in secundo statu* (sub lege) *iam instructus homo per legem, et supplicii timore territus, quibusdam subinde bene vivendi desideriis percellatur, quia tamen arbitrium, nondum est a peccato, idest a concupiscentia voluntati seu consensui eius dominante, liberatum, non potest motibus illius resistere... In ceteris duobus statibus arbitrium gratia liberante liberum est, et vel... dimicat, vel... in beatitudinis pace requiescit. Status isti certis gradibus in toto humano genere distinguuntur, ut primus locum habuerit in plerisque ab Adami lapsu usque ad Moysem, qui legem dedit, quo toto tempore in summa ignorantia vixit genus humanum. Secundus a Moyse usque ad Christum, qui gratiam liberantem dedit: totum enim istud spatium tempus legis fuit tollentis quidem ignorantiam, nullam tamen bene operandi gratiam, multoque minus libertatem arbitrio a dominantis peccati tyrannide largientis. In tertio statu Christi gratia genus humanum liberat, ut legem peccati saevientis in membris nostris ab eius iam consensu liberati superare possimus. In quarto perfectissime liberi triumphamus.*

Nota ad cap. CXVIII. CXIX.

Iam attende sequentia: *Status isti*, pergit Iansenius, *proportione quadam in singulis etiam hominibus locum habent. Primus et secundus quamdiu homo in profunda legis seu iustitiae faciendae ignorantia, vel etiam si iam praecepta noverit, fide tamen vera vel spiritu caritatis liberante destitutus sub cupiditatibus suis vincientibus, et vincentibus iacet; ita ut eas vel sine ulla prorsus pugna cum delectatione sectetur, vel si forte voluntas damnationis metu perculsa pugnare velit, viribus tamen idoneis destituta vincatur. In tertio statu arbitrium eruitur et liberatur a lege peccati et mortis, ut iam Deo adhaerens cum poena sua liberum dimicet. In quarto per beatam resurrectionem liberatur ab omni malo.*

Eamdem doctrinam probare nititur

Iansenius ex multis Augustini libris, et maxime ex hoc Enchiridii c. CXVIII. Eamdem iterum Iansenius tradit l. I. de Gr. Chr. cap. XIV. cuius titulus est: *Lex virtus peccati, et iram operatur, et in singulis hominibus etiam christianis, et in toto populo Dei, qui instar unius hominis eruditur in quatuor statibus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.*

Eamdem doctrinam de quatuor statibus tradit Quesnellus in suis observationibus moralibus ad Galatas cap. V.; quam doctrinam concludit propositione, quae est sexagesima quarta inter damnatas in bulla *Unigenitus: Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.* Quesnelli celebris apologista, qui Collator dicitur, recitato Augustini textu in Enchiridio c. CXVIII. ait, *non ovum ovo simile magis reperiri, quam integrum Quesnelli textum cum Augustini doctrina.* Citat Iansenius etiam Augustinum in Commen. ep. ad Galatas, in Expos. quarumdam prop. ep. ad Rom., in lib. LXXXIII. quaest., in lib. de Nat. et gr., lib. de Gestis Pelagii, in Enarrationibus psalm., et in epistolis. Quare *doctrinam Augustini in scripturis fundatissimam plurimis in locis traditam, et propter rei magnitudinem, summopere christianis inculcatam appellat* l. 1. de Gr. Chr. cap. XI.

Verum detectio omnis aequivocationis *ex duobus capitalibus principiis pendet.*

Primum est. Quaecumque Augustinus minus commoda minusque honorifica scripsit de statu ante legem Moysis, et de statu sub lege Moysis, intelligenda sunt de iis statibus per se, et secundum se consideratis, sive attenta propria ipsorum vi ac sufficientia, non vero iis attentis bonis, quae in eos status ex Christo derivabantur. Inter quae bona erat adiutorium saltem sufficiens. Haec distinctio qua secernuntur haec duo *vis praeceptorum*, et *vis gratiae Dei*, traditur totidem verbis ab Augustino serm. XXXII. al. XX. de diversis.

Hoc principium ostenditur ex libro III. contra duas epistolas pelagianorum, qui cum aliis scriptus est anno 420, aut paulo post, idest proxime ante Enchiridion. Nam quemadmodum ex libris, quos etiam antea scripserat Augustinus, ianseniani attribuunt Augustino errores de statu sub lege, ita etiam pelagiani abutentes iisdem libris Augustini in quadam epistola Thessalonicam missa: *Legem veteris testamenti nos aiunt dicere non ob hoc datam fuisse ut iustificaret obedientes, sed ut gravioris fieret causa peccati.* Ita refert Augustinus cap. II. Compara hoc dictum pelagianorum cum iis, quae habet Iansenius l. I. de Gr. Chr. Nam capitis IX. titulus est: *Effectus legis graviorem ruinam afferre, arctiusque concludere sub peccato.* Quod idem confirmat cap. X. et XI. omnia probans ex male intellecto Augustino. Idem ergo absurdum et pelagiani, et ianseniani Augustino tribuunt.

Respondet Augustinus: *Prorsus non intelligunt quid de lege dicamus, quia id quod dicit Apostolus quem non intelligunt, dicimus.* Et paulo post: *dicimus lege fieri ut Deus quid fieri velit audiatur:* En munus legis, ex vi quae sibi inest: *ad quam*, ut iterum ait cap. VII. n. 22., *iubere pertinet non invare; gratia vero fieri, ut legi obediatur.* En munus proprium gratiae ex Christi meritis. Non ergo legis veteris testamenti ex se et vi sua, sed ex consortio et adiutorio gratiae tribuitur, ut *iustificaret obedientes.* Idem aliis vocibus repetit: *Lex ergo auditores facit, gratia factores .... Ecce quod dicimus: orent ut aliquando intelligant, non litigent ut nunquam intelligant.*

At numquid sub eo legis statu dabatur gratia saltem sufficiens? Audiatur Iansenius l. I. c. VIII. *Gratiam affuisse sufficientem, quae iudaeos a peccati, seu concupiscentiae dominatione liberaret, hoc est liberos faceret, ut legis praecepta custodiendo vita aeterna potirentur .... recentiores philosophiae potius humanae, quam theologiae divinae scita persequendo statuunt. Haec enim imaginatio ab Augustini sexcentis in locis tradita doctrina per quam longe recedit.* Scias autem quod similia pelagiani tribuerint Augustino in epistola Thessalonicam a pelagianis missa. Audi Augustinum l. III. c. IV. *Ex his etiam illa quae nobis obiiciunt, refelluntur. Quis enim catholicus dicat, quod nos dicere*

iactant, Spiritum Sanctum adiutorem in veteri testamento non fuisse: nisi cum vetus testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit, a monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo praefigurabatur novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei ... veteris quidem testamenti dispensatores et gestatores, sed novi demonstrantur haeredes ... Sive igitur Abraham (pergit n. 8.) *sive ante illum iusti, sive post eum usque ad ipsum Moysen, per quem datum est testamentum a monte Sina in servitutem generans, sive ceteri prophetae post eum, et sancti homines Dei usque ad Ioannem Baptistam, filii sunt promissionis et gratiae secundum Isaac filium liberae... Ad testamentum autem vetus* (subdit n. 9.), *quod est a monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cum acceperint legem sanctam et iustam et bonam, putant sibi ad vitam literam posse sufficere; et ideo qua fiant factores legis, divinam misericordiam non requirunt, sed ignorantes Dei iustitiam, et suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo quae adversus Deum in eremo murmuravit, et idolum fecit, et illa quae in ipsa terra promissionis fornicata est post Deos alienos.* En primum caput, ex quo homines testamenti veteris dicebantur pertinere ad testamentum vetus prout *in servitutem generans*, sive prout generans servos, et non filios.

Accipe aliud caput. *Illi etiam* (pergit Augustinus l. c.) *quicumque ibi erant sola quae ibi* (idest in testamento seu lege veteri dato per Moysen in monte Sina) *Deus pollicetur, terrena promissa sectantes, et quid pro novo testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore et omittendorum timore Dei praecepta servabant; imo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem praecepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: magis vult enim omnino non facere, si secundum ea quae cupit et metuit, permittantur impune. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui praecipit, inspicit Deus. Tales erant filii terrenae Ierusalem, de qua dicit Apostolus: Servit enim cum filiis suis, pertinens ad testamentum vetus a monte Sina in servitutem generans quod est Agar. Ex ipso genere fuerunt qui Dominum crucifixerunt et in eadem infidelitate manserunt. Inde sunt adhuc etiam filii eorum in ingenti multitudine iudaeorum .....*

Haec quamvis longiuscula descripsisse non piguit propter insignem utilitatem. Augustinus ergo obiicientibus pelagianis, quasi a catholicis doceretur, *Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in veteri testamento non fuisse*, hanc propositionem negat sine distinctione a catholicis dici. Distinguit autem, et falsam eam dicit in iis, qui non sistebant in veteri testamento, et in praemiis ac minis temporalibus ibidem comprehensis, praefigurantibus tamen spiritualia, erantque proinde veteris quidem testamenti dispensatores, et gestatores, sed novi haeredes. *An vero*, inquit ibidem Augustinus n. 6., *ad testamentum novum negabimus pertinere, qui dicit, cor mundum crea in me Deus?* Quod igitur ad istos attinet, *Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in veteri testamento non fuisse* negat Augustinus. Ubi vides sermonem esse de adiutorio dante proximam potentiam ad legem servandam, quam potentiam utique ii iusti habebant. At Augustinus eam propositionem a pelagianis sibi tributam non negat, ac proinde concedit in iis qui pertinent *ad testamentum vetus generans in servitutem*, idest ut eum explicantem audisti, qui negligunt orationem, praesumentes de suis viribus, et unice ducuntur ab amore ac timore temporalium.

Iam vero si Spiritus Sanctus adiutor negabatur negligentibus preces humiles, et male amantibus temporalia, ac male timentibus, conficitur argumentatio perspicua in doctrina s. Augustini, quod ii negligentes, et male amantes, ac timentes habebant adiutorium saltem sufficiens idest adiutorium quod quamvis comparate ad legem implendam esset remotum, tamen comparate ad humiles preces, sive etiam ad eum malum amorem, ac timorem aliquantulum infringendum

esset proximum. Veritas haec maximi momenti sic ostenditur.

Perspicuum est enim in doctrina s. Augustini quod is qui iubetur orare et ex personali negligentia punitur, habet auxilium necessarium ad orandum; perspicuum est quod is cui aliquid vetatur, et ex culpa personalis inobedientiae punitur is habet auxilium necessarium ad culpam vitandam.

Lib. de Gr. et lib. arb. c. IV. n. 9. ad ea verba, *Vigilate et orate*... scribit: *Cum vero addidit* et orate, *ostendit Deum adiuvare, ne intretur in tentationem.* Habes igitur regulam universalem, cum a Scripturis, cum ab Augustino dicitur *orate*, in hoc ipso supponitur Deum iuvare ad orandum. Pergit Augustinus: *Dictum est libero arbitrio, Fili, noli deficere a disciplina Domini; et Dominus dixit: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* quibus verbis promittitur divinum adiutorium. Concludit Augustinus generali regula: *Homo ergo gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur.* Ubicumque igitur Augustinus audit praeceptum orationis, sive alterius rei, omnino atque inseparabiliter subintelligit adiutorium, ne sine causa iubeatur. Iam vero eodem illo loco Augustinus scribit: *Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem, idest ne sit ab illa abstractus et illectus.* Ex quibus inferas, quod unusquisque sive christianus in statu gratiae, sive iudaeus in statu legis gratiam orandi habuit et habet. *Homo ergo gratia iuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur.*

Eodem lib. de Gr. et lib. arb. cap. XVIII. num. 37. *Cur ergo dictum est, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est, nisi quia praecepto admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod iubebatur impleret. Cum dicitur diligamus invicem, lex est: cum dicitur, quia dilectio ex Deo est, gratia est. Sapientia quippe legem et misericordiam in lingua portat. Unde scriptum est in psalmo: etenim benedictionem dabit, qui legem dedit.* Quotiescumque ergo tum Scripturae, tum Augustinus monent seu iubent, ut homines orent, praesupponitur ab Augustino, quod quilibet eorum *acceperit aliquid dilectionis,* ut addi sibi quaerat, unde impleat, quod iubetur; idest quod acceperit aliquid auxilii. Quare sapientia Dei tum christianis, tum etiam iudaeis, *non solam legem, sed et misericordiam in lingua portavit*, ita ut qui legem daret, *daret etiam benedictionem.* Constat igitur in doctrina Augustini, quod si Spiritus Sanctus adiutor in veteri testamento non fuerit iis qui pertinebant non utcumque ad vetus testamentum, sed ad vetus testamentum *in servitutem generans*, idest ut explicat Augustinus, iis qui non clamabant: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*; et ex hac ipsa negligentia hoc modo puniebantur de propria praesumptione; perspicuum est, inquam, quod *acceperant aliquod* auxilium, unde orare possent, sive quod *acceperant aliquid dilectionis*, ut addi sibi quaererent, unde implerent quod iubebatur; secus admoniti et iussi fuissent *sine suo fructu* prorsus, sive ut supra dixerat *sine causa.*

Inde etiam evincitur, quod si iudaei culpabantur propter malum amorem et timorem temporalium, et inde pertinebant *ad testamentum vetus in servitutem generans*, ac proinde in poenam Spiritus Sanctus adiutor in iis non fuit adiutorio pleno ac proximo, evincitur, inquam, quod ad eum amorem, sive auferendum, sive minuendum *aliquid* auxilii omnino acceperant, ne ipsis *sine causa iuberetur, et sine suo fructu admonerentur.* In quam rem innumera alia adduci possent: verum ne evagemur a lib. de Gr. et lib. arbitr. c. XVI. n. 32. *Magnum aliquid pelagiani se scire putant quando dicunt: non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri; quis hoc nesciat?* Et catholici hoc sciebant et pelagiani: id utrique profitebantur. Discrimen erat, quod pelagiani dicerent *hoc posse* situm esse in viribus naturae, catholici contra assererent *hoc posse* situm esse in divino adiutorio. Si igitur omnes quibus iubentur pietatis opera, habent posse catholicum, idest constitutum ex adiutorio divino: habebant igitur et hoc posse iudaei,

quibus malus amor et timor temporalium seiunctus ab amore iustitiae, generans servos et non filios, vetabatur.

Confirmatur I. ratiocinatio facta: *Lex paedagogus ad gratiam per terrorem*, est apud Iansenium titulus cap. XII. l. I. de Gr. Chr. *Est autem causa huius rei verissima*, inquit, *et in sancti Doctoris lucubrationibus frequentissima, quod eos qui sub se vivebant, iudaeos tamquam parvulos ad agnitionem gratiae Christi et consequenter ad fidem auctoris eius manu duceret.... Hoc enim ipso potentissime suadebatur, ut quia Deum sciebant iniustitiae, et crudelitatis expertem, sufficientes vires rogantibus daturum esse non diffiderent, quibus praecepta legis implerent*. Haec verissime Iansenius. Sane pleni sunt Augustini libri commendantes hanc legis utilitatem, ut homines propriam infirmitatem agnoscentes, fracta superbia, et propriarum virium praesumptione confugerent ad gratiam. Ex quibus infero: ergo, quemadmodum aiebat Augustinus l. de Gr. et lib. arb., Sapientia Dei legem et misericordiam in lingua portabat, benedictionem dabat, qui legem dabat, idest simul cum lege coniungebat Deus misericordiam aliquam suam auxiliantem, ac praevenientem. Probo hanc consequentiam. Pelagianum enim fuisset dicere, quod lex *sola litera sonante* et *sine iuvante spiritu* utilis esset frangendae superbiae ac praesumptioni iudaeisque perducendis ad humiles preces, quibus sibi poscerent cor mundum ac spiritum novum. Id saepissime diris omnibus anathematizat Augustinus iis ipsis libris contra duas Epistolas pelagianorum, et lib. de Gr. et lib. arb. et passim. *Ubi illius inspiratio et unctio illius non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba.* ait Aug. Tr. III. in epist. I. Io. n. 13. Vim huius argumenti deprehendes in verbis Augustini quae ex l. de Nat. et gr. c. XII. exscribit Iansenius l. c. *Dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut . . . confugiatur ad gratiam Domini miserantis.* Et lib. de Gr. Chr. c. VIII. *Haec ostendatur legis utilitas, quoniam . . . cogit confugere ad gratiam liberandos .... ut attentius, ac sollicitius gratiae medicina quaeratur.*

Confirmatur II. Observabis in libris Augustini quod sicuti ex praecepto dato hominibus infert liberum arbitrium, ita ex oratione, eiusque necessitate, et tam frequenti eius commendatione infert gratiam nedum plenam, et proximam, quae est orationis fructus, sed illam etiam, quae est principium orandi, et dat ipsum posse petere, posse implorare. Ergo sicuti quicumque urgetur praecepto, habet liberum arbitrium, ita quicumque et in quocumque statu sive ante legem, sive sub lege urgetur admonitionibus orandi, habet eam gratiam quae est orandi principium.

Utraque pars antecedentis constat ex unico cap. XVIII. num. 37. lib. de Gr. et lib. arb.: *Haec ergo praecepta caritatis inaniter darentur hominibus non habentibus liberum voluntatis arbitrium.* En necessitas liberi arbitrii ex praecepti natura: addit paulo post: *Admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod iubebatur impleret.* Vides igitur quod si non sit liberum voluntatis arbitrium, *inaniter* datur praeceptum: et quod nisi prius accipiat aliquid dilectionis ut quaerat, *sine suo fructu prorsus* admonetur liberum arbitrium, ut quaerat. Igitur in omni statu sicut ex praeceptis infertur liberum arbitrium, ita ex internis aut externis divinis admonitionibus orandi infertur gratia dans posse implorare. Quare serm. CLXXVI. al. X. de verb. Apos. contra pelagianos num. 5.: *Ad medicum curras, medicum implores, qui ubique est: et ut implorares excitavit cor tuum, et posse implorare donavit tibi.*

Id totum pendet ex generali assertione Augustini, quam tradit serm. XXXII. al. XX. de diversis, et XXXI. ex Homil. L. *Vocat enim te Deus*, ait num. 9., *et iubet ut facias.* Haec generalia sunt omnium hominum, aut hominis statui. Addit quod maxime tenendum est: *Sed ipse dat vires, ut quod iubet impleri possit.*

Principium alterum sit. Gratia adiuvans simpliciter, et sine addito usurpata, quemadmodum et *potestas bene a-*

gendi, ac similia significare solent in doctrina s. Augustini gratiam proximam, et completam implendi legem, quemadmodum et facultatem seu potestatem proximam implendi, non vero ita universaliter gratiam aut potestatem remotam, initialem, quaeque sit tantum potestas aut gratia proxima quaerendi, et petendi. Hanc loquendi, ac scribendi consuetudinem usurpari ab Augustino facile ostenditur.

Serm. CLXV, al. VII. de verbis Apostoli contra pelagianos num. 1. et 2. ad illa verba: *Peto... det vobis*, inducit loquentem Paulum: *Quod peto a vobis rogo det vobis. Peto enim a vobis propter arbitrium voluntatis; rogo det vobis propter auxilium maiestatis.... Quia ut Deus velit dare, debes et tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam divinae bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis?* Ecce tibi *auxilium maiestatis et gratiam divinae bonitatis*, quod auxilium, quam gratiam homo accipiat veluti praemium, ac fructum eo quod accommodaverit voluntatem, eiusque sinum aperuerit. At unde haec accommodatio voluntatis, et aperitio sinus? num ex merito solius liberi arbitrii? num ex sola sua virtute? Apage ab Augustino iam episcopo, et contra pelagianos sermocinante tam pravum errorem. Hinc in eodem sermone num. 9. *Cum psalmo*, inquit, *dicamus miserere mei. Quare? Quia virtutem habeo, qua te promerear? Non. Quare? Quia voluntatis arbitrium gero, unde gratiam tuam meritum meum praecedit? Non*. Igitur accommodatio voluntatis, et aperitio sinus ad *accipiendam gratiam divinae bonitatis, et maiestatis auxilium*, supponitur oriri ex initiali aliquo auxilio, quod Augustinus absolute, ac simpliciter non dignatur nomine *gratiae* et *auxilii*, sed alibi vocat *aliquantulam gratiam* alibi *aliquid caritatis*, ut saepe citavimus, alibi cum limitatione *gratiam per quam bona voluntas incipit*, uti habet l. de Gr. et lib. arb. c. XV.

In psalmo LXX. serm. I. n. 6. *Ego qui de captivitate volo liberari, per gratiam tuam, clamo ad te. Libera me de manu peccatoris, de potestate eius ne cum saevit, adducat ad consensionem, ne cum insidiatur, persuadeat iniquitatem*. Si vult liberari per gratiam, non habet gratiam. Illa tamen voluntas et ille clamor ex aliquo auxilio est, et ex aliqua praeveniente misericordia secundum illud: *Quid habes quod non accepisti?* Quod inculcaverat Augustinus hoc ipso sermone n. 4. Absolute tamen non initialem hanc, sed eam vocat gratiam qua non *adducitur ad consensionem* nec persuadetur iniquitas.

Enarratione in psalm. CVI. n. 4. *Fac enim hominem primo nihil quaerentem, secundum vitam veterem seductoria securitate viventem.... Ut excitetur iste ad quaerendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus et tamquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum?* En distinctio inter manum Dei excitantem, quae est misericordia aliqua praeveniens, et *gratiam Dei*, quod nomen accommodat gratiae danti proximam potentiam et proximas vires. Addit Augustinus, quod per eam excitationem incipiat *pergere ad civitatem* quietis.

In psalm. CXVIII. serm. X. n. 5. *Credimus, et oramus per gratiam nobis donari ut faciamus, quod per nos ipsos implere non possumus*. Nomen *gratiae* illi tribuitur pleniori, quae fructus est orationis, per quam gratiam donatur, ut faciamus, et legem impleamus. Sed tamen credere, et orare ex praeveniente misericordia est, quam tamen non simpliciter vocat gratiam Augustinus.

Sed missis innumeris aliquid indicemus ex epistola CXXXVII. ad Hilarium contra pelagianos al. LXXXIX. A numero 5. ad 10. saepissime nominat *divinum adiutorium*, qua voce semper solet intelligere illud plenius, quo possumus legem implere, quodque est fructus orationis, ac fidei, quae utique sunt ex aliqua misericordia praeveniente: *Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adiuvetur, quod fit humiliter petendo, et faciendo. Desertum vero divino adiutorio... nullo modo habebit iustitiae soliditatem*. Divinum adiutorium, quod orando habetur, non orando non habetur, illud cumulatius adiutorium appellatur, quod oratione, aliisque piis actibus obtinetur, in

quibus aliqua Dei misericordia praevenit nos. Quam loquendi consuetudinem observabis in consequentibus illius gravissimae contra pelagianos epistolae.

Utramque gratiam distinxit in psal. XCV. num. 7. *Descendit ad te ille, qui non cadit: tu ceciderat, ille descendit: porrexit tibi manum* (en initialis misericordia), *non potes viribus tuis surgere: amplectere manum descendentis* (en usus bonus gratiae initialis), *ut erigaris a forti* (en gratia erigens et praebens plenas vires).

Similia occurrent in aliis Patribus. Lege sermonem s. Leonis M., qui est CXLVIII. Append. ad Augustinum n. 1. *Ideo praecepta dat, ut excitet desiderium, et praestet auxilium.* Ecce tibi excitatio desiderii contradistinguitur ab auxilio. Vid. serm. LXXI. in App. n. 6.

Ex *duobus principiis* positis facile intelligitur doctrina de quatuor hominis statibus et hoc Enchiridii capite CXVIII., et saepe alias tradita ab Augustino, qua doctrina tam male Iansenius abutitur.

Nego hominem in primo statu esse sine sufficientia omni ad salutem sive proxima sive remota, quae nisi per hominem steterit proxima fiet. Id verum est non modo de quolibet singulari homine, qui in magnis tenebris vivat ante gratiam iustificationis, sed etiam de mundi statu ante legem Moysi. Uterque enim status augustiniana phrasi vocatur status ante legem. Vide Augustinum in psalm. LVII. n. 1. *Cui enim iniquo non facile est loqui iustitiam?..... Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripsit.* Quod tibi non vis fieri ne facias alteri. *Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde iudicarentur et quibus lex non esset data.* Lege reliqua in hanc rem eloquentissime scripta. Vide etiam serm. XXV. in psalm. CXVIII. n. 4. et 5. Quod si habent unde iudicentur, non modo habent sufficientiam cognitionis, sed etiam potestatis ad evadendam damnationem, quae respondet mortalibus peccatis. Tract. XXXV. in Io. num. 4. *Quid agimus de infidelibus? Numquid illis non est praesens? Est praesens et illis. Sed quibus eam videant oculos non habent cordis. Audi de illis ex evangelio ipso prolatam sententiam: Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.*

Serm. CXCVII. qui est contra paganos, ostendit eos Augustinus praevaricatores, reos, superbos etc. dicit reddere debuisse Deo, quod ab illo habebant, *ut ad hoc tenendum quod videre poterant, ab illo sanarentur, qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem servarent, et possent purgari, atque illi beatissimae contemplationi cohaererent. Quia vero superbia erat in eis etc.*

Quod consonat iis, quae s. Doctor scripserat lib. V. Quaest. super Deuter. q. XV. n. 4. *Infideles non contemperantur adiutorio gratiae, sed ignorantes Dei iustitiam et suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti.* Deest ergo illis adiutorium gratiae, sed uberioris ac proximae in poenam culparum personalium. Quae in doctrina s. Augustini tam evidenter supponunt sufficientiam ab iis cavendi, ut lib. de duabus animabus cap. XII. num. 17. scripserit: *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis est et insaniae.* Et lib. III. Op. imperf. n. 76. *Praeceptum Dei tyrannicum non est.* Et lib. de Nat. et grat. cap. XLIII. *Non igitur Deus impossibilia iubet.*

Quaeres obiter. Cum plures sint opiniones de modo, quo Deus consuluerit ac porro consulat tum ante legem Moysi per bis mille quingentos ut minimum annos, tum universim omnibus constitutis extra ecclesiam sive christianorum sive iudaeorum, quis modus ab Augustino propugnetur ac doceatur. Respondeo: quantum observare potui in lectione Augustini, tam certus fuit s. Doctor de sufficientia omnibus adultis data etiam ante legem aut infidelibus, quam incertus de *modo*, quem spectare dicit ad profunditatem divini consilii. Hinc serm. CLXV. al. VII. de verbis Apostoli contra pelagianos n. 5. versat illud dubium. *Quare illi datum est et illi non est datum?* statuit hanc generalem veluti thesim: *De profundo nescio quo iudiciorum Dei quae perscrutari contemplarique non possumus, procedit omne*

quod possumus. De profunditate, inquam, nescio qua iudiciorum Dei quae inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus, procedit omne quod possumus. Quod possum video; unde possim non video, nisi quod et hoc hactenus video, quod novi esse a Deo.

Lib. de diversis quaest. LXXXIII. q. LXVIII. *Ad misericordiam pertinet vocatio..... Numquid ergo latebat Pharaonem quantum boni consequutae fuerint terrae illae per adventum Ioseph? Illius ergo rei gestae cognitio vocatio eius fuit, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit sed exercuit crudelitatem in eis,... meruit poenam.* A Pharaone transitum facit Augustinus ad alios: *Haec autem vocatio quae sive in singulis hominibus sive in populis atque ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, altae et profundae ordinationis est. Quo pertinet etiam illud: In utero sanctificavi te, et cum esses in renibus patris tui, vidi te.* Addit ista pertinere ad longitudinem, latitudinem, altitudinem et profunditatem. Ex quibus, multoque magis ex iis quae retractans hunc locum scribit lib. I. Retract. c. XXVI. patet, vocationem tum Pharaonis tum reliquorum hominum, de qua hic, pertinere ad ordinem gratiae miserantis, et talem sufficientiam dantis, qua abutentes in culpa sint; quamvis distinctior harum rerum explicatio comprehensionem nostram excedat.

Tandem audi Augustinum lib. II. de Pecc. mer. et remiss. cap. VI. *Innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini praecepisse, nec Deo ad opitulandum et adiuvandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse.*

Atque haec de hominibus ante legem.

Nego praeterea, quod homines sub lege constituti sint sine *omni misericordia praeveniente*, ut loquitur Augustinus lib. I. Retract. cap. XXVI. ad q. LXVIII., esto plerique sint sine adiutorio uberiore, quo homo quod vult potest. Expende Augustinum lib. LXXXIII. quaest. in q. LXVI. ubi late exponit *quatuor differentias in uno homine, quibus gradatim peractis in vita aeterna manebitur.* Hoc loco abutitur Iansenius lib. III. de St. nat. laps. cap. VI., et lib. I. de Grat. Chr. cap. XIV. Itaque num. 5. recitatis verbis Apostoli, *si autem quod nolo hoc ago...* inquit: *Huc usque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia, qui etsi nolit peccare, vincitur a peccato. Invaluit enim consuetudo carnalis et naturale vinculum mortalitatis, quo de Adam propagati sumus. Imploret ergo auxilium qui sic positus est, et noverit suum fuisse quod cecidit, non suum esse quod surgit. Iam enim liberatus agnoscens gratiam liberatoris sui dicit: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia per Iesum.*

Observa hunc hominem dici ab Augustino nondum sub gratia constitutum, nempe ut paulo post explicat, sub *gratia liberatoris* quam liberatus habebit. Abiudicat ergo ab hoc homine auxilium proximum ad legem implendam, non tamen omnem vocationem et misericordiam praevenientem.

Primo quia ait: *Noverit suum fuisse quod cecidit.* Ergo quoniam teste Augustino lib. de Duab. anim. c. XII. n. 17. *peccati reum tenere quemquam quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis est et insaniae*, inde sequitur, quod homo sub lege constitutus tantum habet misericordiae praevenientis, quantum opus est ad imputandum illi peccatum. Quod confirmabis ex eodem libro LXXXIII. Quaest. in q. LXVIII. n. 5. *Qui autem vocatus non venit..... sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit.*

Secundo. De hoc homine sub lege constituto ait Augustinus: *Imploret ergo auxilium, qui sic positus est.....* Ergo quoniam teste eodem Augustino lib. de Grat. et lib. arb. cap. XVIII. n. 37. *Praecepto admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum, quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod iubebatur, impleret*; inde sequitur, quod homo sub lege constitutus acceperit *aliquid dilectionis, ut addi sibi quaerat, unde impleat quod*

iubetur; quod cum facere negligit, utique *secundum legem volens vivere vincitur*, ut ait Augustinus hoc Enchiridii capite CXVIII., *et sciens peccat, peccatoque subditus servit .... cumulo praevaricationis adiecto*. Quia non utcumque peccat, sed constitutus sub lege peccat contra legem positivam expressius cognitam, quod phrasi s. Pauli et Augustini *praevaricari* est. Vide Augustinum in psalm. CXVIII. Serm. XXV. a n. 4.

Atque haec dixerim de hominibus, qui ab Augustino dicuntur sub lege per analogiam ad Iudaeos sub lege mosaica.

Nego, quod homo constitutus sub gratia ita ab Augustino describatur, ac si tunc primum experiatur aliquid gratiae sive proximae sive remotae. Quod verissime negari constat ex dictis, cum probatum sit, accepisse *aliquid dilectionis*. Homo itaque sub gratia constitutus hanc appellationem habet, eo quod constituatur sub gratia proxima et conferente plenam potentiam servandi legem. Hanc gratiam, non autem eam quae initialis sit, agnoscit Augustinus tamquam characteristicam in descriptione huius tertii status, quam habes hoc Enchiridii capite CXVIII. *Si autem*, inquit, *respexit Deus, ut ad implenda, quae mandat, ipse adiuvare credatur* (en gratia non tantum excitans praeveniente aliqua misericordia, sed immediate ac proxime adiuvans ad mandata implenda) *et agi homo coeperit Dei spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore caritatis, ut ..... ex fide iustus vivat, iusteque vivat*. Observa: in primo statu hominis qui analogus est statui legis naturae, et in secundo qui analogus est statui legis scriptae, accipitur, ut probavimus, *aliquid caritatis* ex Augustino. At in tertio statu sub gratia *concupiscitur fortiore robore caritatis, vivitur ex fide et vivitur iuste*.

Quid sit autem iuste et ex fide vivere, statim explicat s. Doctor: *In quantum*, inquit, *non cedit malae concupiscentiae vincente delectatione iustitiae*. Quare patet, sermonem esse de delectatione deliberata: hac enim, non vero per delectationes indeliberatas, *vivitur iuste*; quam deliberatam delectationem supra vocaverat *fortius robur caritatis*, alibi vocat voluntatem bonam, magnam, robustam, ut lib. de Grat. et lib. arb. c. XVII. n. 33., qua tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus, ut ait ibidem cap. XVI. n. 32.

His Enchiridii verbis de vincente delectatione iustitiae respondent illa serm. XXV. n.7. in psalm. CXVIII. *Carnales delectationes, quae legis litera vetantur potius quam vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, et eadem usque ad perfectionem crescente victoria perimuntur*. Carnales delectationes quae vetantur a lege, sunt praecipue et proprie delectationes deliberatae: hae vincuntur per deliberatas spirituales oppositas. Haec victoria per deliberatas delectationes si ad magnum excessum crescat perfectionem evangelicam constituit.

Addit Augustinus, gratiam quae characteristica est tertii status, et qua *iuste vivitur*, fuisse in aliis duobus statibus humani generis sub lege Moysi et ante legem, nempe penes iustos homines. Ceterum aliquam gratiam saltem minus plenam et uberem distributam fuisse omnibus, probatum est, eiusque abusu factum est, ut pleniorem non haberent. Hinc Augustinus in psalm. LXXVII. n. 2. *An soli prophetae habebant hanc fidem, non et populus? Imo etiam qui prophetas fideliter audiebant eadem adiuvabantur gratia, ut intelligerent quod audiebant*. Qui vero infideliter audiebant, habentes proinde sufficientiam audiendi fideliter, ii a pleniore gratia excidebant. Nam ut ait in psal. XCIII. n. 9. *Istae omnes voces Dei per orbem terrarum fiunt*.

Haec de tertio statu sub gratia. Nam de quarto in pace et beatitudine nulla est inter nos et Iansenium controversia.

Cap. CXX. Regenerati morientes ante usum rationis non pereunt. Rom. XIV. 9.

CXX. Antequam possit autem homo capax esse mandati, secundum carnem vivat necesse est; sed si iam sacramento regenerationis ablutus est, nihil ei oberit si tunc ex hac vita migraverit. Quia *ideo Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur*; nec tenebit regnum mortis eum, pro quo mortuus est ille liber in mortuis.

Nota in caput CXX.

Si quis teneat regulam ab Augustino traditam lib. XI. Confess. cap. XX. *Intelligatur quod dicitur... Pauca sunt enim quae proprie loquimur, plura non proprie, sed agnoscitur quid velimus:* hanc, inquam, regulam si quis teneat, non putabit verba Augustini hoc cap. CXX. favere Iansenio tom. III. lib. III. de Grat. Chr. c. XXI. docenti, *Christum mortuum... tantummodo pro illis, quibus mors eius profuit.* Duo velim observes.

Observatio I. Non est novum a Iansenii temporibus, quod Augustinus propter aliqua librorum suorum testimonia visus sit docere: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Haec enim sunt totidem verba obiectionis seu capituli IX. ex quindecim Gallorum capitulis contra Augustinum obiectis dum viveret, et statim post eius mortem. Legantur Prosperi Aquitani pro Augustino responsiones ad capitula calumniantium Gallorum, liber unus quem maurini patres inseruerunt tomo X. Oper. s. Augustini parte III. Appendicis. Itaque ab aetate Augustini tributa fuit s. Doctori haec sententia. In alio libello, qui ibidem apud maurinos patres inscribitur, Prosperi Aquitani pro Augustini doctrina responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum, quae sexdecim sunt, obiectio prima est: *Quia Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus.* Vetus igitur est ab Augustini aevo haec cantilena et a quatuordecim iam saeculis decantata.

Observatio II. Sed nova non est, imo aeque antiqua responsio, quod ea doctrina tribueretur Augustino per calumniam. Hinc Prosper Augustini discipulus ea quindecim inscripsit *Capitula calumniantium Gallorum.*

Utriusque huius observationis veritas, in cuius obsequium captivare debet intellectum suum quilibet Augustini discipulus non indocilis, constat ex ipso Prospero in Praefationibus eorum libellorum, hoc est ex teste qui cuicumque non indocili esse debet omni exceptione maior.

In praefatione primi libelli haec habet: *Doctrinam, quam sanctae memoriae Augustinus Episcopus contra pelagianos ..... per multos annos apostolice asseruit litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo aut intelligi eam nolendo, reprehendere, et hoc quasi compendium cognitionis his qui iudicio eorum ducebantur, afferre, ut quae in libris praedicti viri damnabilia se reperisse iactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent, talique commento et detestationem eius, quem impeterent, obtinerent, et ab his quae infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur ostentant, singulis capitulis, quae damnationis titulo praenotarunt, brevi et absoluta professione respondeo, in nullo recedens a tramite earum definitionum, quae in sancti viri disputationibus continentur, ut facile vel tenuis diligentiae animadvertat inspector, quam iniustis opprobriis catholici praedicatoris memoria carpatur, et in quod peccatum cadant qui scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare quam nosse.*

Similia continet praefatio alterius libelli ad obiectiones vincentianas: *Quidam.... contexunt et qualibus possunt sententiis, comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda et ingerenda multis publice privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro sensu esse, qualia diabolico continentur indiculo: quae falso in nos ad excitandam invidiam iactari ..... Unde... plene dilucideque pandamus, quid de*

perversis definitionibus iudicemus ..... ut qui paululum se ad legenda haec dignati fuerint occupare, evidenter agnoscant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhaesisse vestigium, et blasphemias quas perspexerint nostra professione damnari, in earumdem repertoribus censeant debere puniri.

Ex his constat, utramque observationem veram esse.

Constat prima; nam ipso Augustino vivente et paulo post eius mortem circumferebantur aliquot *indiculi* sententiarum ipsius, inter quas decima quinta in indiculo Gallorum et prima in indiculo vincentiano negabat mortem Christi pro omnibus. Hi indiculi ingerebantur, *publice ac privatim*, ut proinde coacti fuerint discipuli Augustini ad publicas responsiones.

Constat etiam secunda; quod discipuli Augustini aperte negarunt eas sententias Augustini esse, imo redarguerunt adversarios, quod non *noscerent* et intelligerent verba Augustini: dixerunt neque solidum vestigium earum sententiarum in Augustini libris esse: totum tribuerunt malevolentiae ac malignitati, quod saltem in multis verum esse potuit; nonnullos enim pie credere debemus commotos fuisse zelo sed non secundum scientiam.

Addere praeterea possumus, constare ex praedictis, quod sententia negans mortem Christi pro omnibus, quam semipelagiani tribuebant Augustino et quam Prosper cum Augustini discipulis negabat esse s. Doctoris, ab utraque tamen adversaria parte in hoc consentiente censebatur *damnabilis; commentum dignum detestatione et infamia, opprobrium, ineptissima blasphemia, prodigiosum mendacium et diabolicum, impia et profana opinio et blasphemia*. His phrasibus utitur Prosper describens ea quindecim capitula et sexdecim obiectiones, in quibus erat sententia negans mortem Christi pro omnibus, imo etiam in quibus erat: *Quod non omnes homines velit salvare, sed certum numerum praedestinatorum:* ita enim habet obiectio VIII. ex quindecim capitulis Gallorum; erat, *quod Deus nolit omnes salvare etiamsi omnes salvari velint;* quae est obiectio secunda ex sexdecim vincentianis.

Universa haec ratiocinatio videtur esse demonstratio moralis contra iansenianos iactantes pro suis erroribus auctoritatem Augustini.

Iam autem responsio s. Prosperi ad ea dicta Augustini quae sonare videntur Christum non esse mortuum pro omnibus, est eadem reipsa cum consueta responsione scholasticorum post s. Thomam: Christum non esse mortuum pro omnibus sed pro iis solis qui salvi fiunt, quantum ad efficaciam et realem utilitatem: mortuum tamen pro omnibus quantum ad sufficientiam pretii persoluti ex serio fine salvandi omnes. Hinc s. Prosper ad capitulum IX. calumniantium Gallorum: *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus*, reponit: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit.... qui ideo in infirmitate nostra communionem subiit mortis; ut nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis*. Addit s. Prosper quod *rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram humanae naturae susceptionem* (ex fine quem proxime dixerat ut nos in virtute eius habeamus consortium resurrectionis). Vides redemptorem universalem propter sufficientiam pretii pro omnibus oblati. Pergit s. Prosper: *Potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Ecce tibi redemptio non omnium sed specialis quantum ad efficaciam utilem, quam sic declarat s. Prosper: *Dicit enim Evangelista, quia Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. In sua enim venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui ..... ex Deo nati sunt.* Mors pro his Dei filiis est mors efficax et utilis. At mors etiam pro aliis saltem quantum ad sufficientiam, iterum declaratur a s. Prospero verbis sequentibus. *Diversa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dictum est,* mundus eum non cognovit; *ut possit secundum hoc dici: Redemptor mun-*

di dedit pro mundo sanguinem suum, sed mundus redimi noluit. En redemptio universalis quantum ad sufficientiam, quae per Deum non stat, quin efficax sit.

Similia imo clariora habet in responsione ad obiectionem I. vincentianam. Sed haec non repeto. Vide enim quae superius diximus in nota ad cap. XLI. et seqq.

Quis ergo prudens ac docilis non acquiescat explicationi, quam et vivo et mortuo Augustino dedere ipsius discipuli, ac Prosper praecipue qui apologiam sui magistri, cum adhuc is viveret, inchoavit, uti patet ex epistola ad Ruffinum scripta anno 429. apud maurinos patres in appendice tom. X. Part. III?

Hanc autem s. Prosperi explicationem non esse arbitrariam, sed fundamentum habere in s. Augustino prolixe probavimus in nota ad cap. XLI., ostendentes distinctionem theologorum scholasticorum traditam fuisse ab Augustino sub tribus verborum formulis, quarum secunda apprime coincidit cum sensu Augustini in hoc Enchiridii capite CXIX.

Hoc igitur loco ait Augustinus: *Si iam sacramento regenerationis ablutus est, nihil ei oberit, si tunc ex hac vita migraverit. Quia ideo Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur, nec tenebit regnum mortis eum, pro quo mortuus est ille liber in mortuis.* Quibus verbis de eo loquitur, pro quo mortuus est Christus non quomodocumque, sed morte applicata per baptismum regenerationis, idest aliis terminis et phrasi augustiniana lib. VI. contr. Iul. c. XV. quam expendimus in not. ad cap. XLI., pro quo Christus non tantum mortuus est semel in cruce, sed iterum in baptismate. Ad utramque hanc mortem in cruce et in baptismate respicit Augustinus lib. II. Op. imp. n. 30. *Aperte nega pro parvulis mortuum, qui unus pro omnibus mortuus est..... Dic aperte, mortui parvuli non sunt qui peccatum nullum habent, morte pro se Christi, in qua baptizentur, non opus habent.* Recole huius Enchiridii cap. LII. ubi tam eloquenter repraesentat et mortem Christi tamquam similitudinem nostrae regenerationis in baptismate, et baptisma tamquam similitudinem mortui Christi, quod etiam fecerat brevius c. XLII. Hinc illa: *Sacri baptismatis grande mysterium in cruce Christi ..... Nihil aliud esse baptismum quam mortui Christi similitudinem .... Nihil aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem:* quibus et similibus modis dicendi s. Augustini qui assuetus fuerit, planam ac facilem putabit interpretationem quam dedimus.

Quam liceat concludere argumento, nisi fallor validissimo ex discrimine harum duarum assertionum, quod passim animadvertes in operibus Augustini. Prima assertio est. *Hic aut ille praedestinatus aut electus est.* Hanc assertionem passim Augustinus superare cognitionem nostram docet, passimque inculcat illud, *novit Dominus qui sunt eius:* neque modo in libris contra Pelagianos, sed in sermonibus ad populum, uti serm. CLXXV. al. VII. de verb. Apost. n. 1. et alias saepissime. Hinc serm. XLVII. n. 15. *Non scit nisi praedestinatione et praescientia oves et hircos ille solus qui praedestinare potuit, qui praescire.* Saepe etiam docet, oportuisse tantum secretum occultari. Hinc lib. de Corr. et grat. c. XIII. n. 40. *Quis enim ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur in numero praedestinatorum se esse praesumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio ut etiam per Satanae angelum ne extolleretur tantus colaphizaretur Apostolus.*

Altera assertio est: *Tu es a Christo redemptus; hic aut ille redemptus est a Christo.* Huiusmodi assertio ac similes sine ullo scrupulo ab Augustino enunciantur, neque sub dubio aut ambiguitate, sed omnino absolute, certo atque indubitanter, idque tam saepe ut liber confici posset ex his assertionibus. Lege serm. CLXXVI. al. X. de verb. Apost. n. 4. ubi ad illa verba Pauli: *Ut in me ostenderet Christus omnem longanimitatem*, ita inducit Paulum loquentem: *Sic dicit Paulus unicuique aegroto et de se volenti desperare: Qui curavit me, misit me ad te, et dixit mihi: illi desperanti vade, et dic quod habuisti, quid in te sanavi,*

quam cito sanavi... Vade dic aegrotis, clama desperatis: Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere. *Quid timetis, quid trepidatis?* Quorum primus ego sum. Tam certus erat Augustinus, Christum mortuum esse pro unoquoque quantumvis scelerato atque impio, ut inducat Paulum ex mandato Christi dicentem unicuique, *Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere* (cum tamen Quesnellus contrarium doceat Prop. XXXVIII. ex damnatis in Bulla *Unigenitus: Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimet ipsi renunciasse ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem et mysteria, ut habet s. Paulus dicens: Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.*). Num suademur dicere unicuique, *Tu es ex ovibus praedestinatis?* Minime sane. Non ergo in doctrina Augustini convertuntur sive ad convertentiam dicuntur haec duo *Redemptus* et *Praedestinatus*; de singulis dicit Augustinus etiam pro publica concione, *Tu es redemptus, omnes vos estis redempti...* non tamen, *Tu es praedestinatus, vos omnes estis praedestinati* ad finalem perseverantiam.

Vulgatissimum in Augustino est, quod ad excitandam fiduciam nostram unicuique specialiter ita sperandum suadeat, *quia Christus pro te*, inquit, *sanguinem dedit*; atque hac eadem ratione utatur, ut erga singulos caritatem habeamus; etc.

In eodem Serm. CLXXVI. al. X. de verb. Apost. n. 5.: *Audi psalmum* Praeveniamus faciem eius in confessione.... *Habes enim sacerdotem, per quem possis placare Deum tuum, et ipse cum Patre Deus est ad te, qui homo est propter te. Ita iubilabis in psalmis.... Veniet qui mortuus est pro te et vivificabit te.* Haec centies ac centies inculcat singulis auditoribus suis. Numquid singulis diceret, Tu es electus, Tu es praedestinatus? Tam longe est ab hac temeritate Augustinus, ut Serm. XLVII. al. Serm. de Ovibus in Tom. IX. ita terreat suos cap. X. n. 15. *Ovem te putas, hircum forte novit Deus.*

Serm. CLXXIV. contra pelagianos al. VIII. de verb. Apost. ad ea verba, *Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere etc. Unde?* interrogat Augustinus n. 8. *A peccatis eorum. Populum suum a peccatis eorum. Numquid ad istum populum non pertinent parvuli, quem salvum faciet Iesus a peccatis eorum? Pertinent plane, pertinent fratres mei. Sic habete in corde, sic credite, cum ista fide parvulos ad gratiam Christi portate, ne si hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus respondetis, lingua vestra occidatis. Prorsus, fratres, qui non cum ista fide cum parvulo cucurrerit, fingit.* Vides unicuique parentum iuberi, ut cum hac fide currat, unusquisque, qui non cum hac fide currat, reprehenditur. Numquid reprehenderetur qui timeret de praedestinatione sui parvuli? Non igitur redemptus ac praedestinatus termini sunt convertibiles. ut aiunt logici.

Tandem monendi fideles sunt, ne turbentur in re tam gravi, cuiusmodi est quaestio de morte Christi pro omnibus, quod nonnulla occurrant in Augustino ad speciem contraria, ut ex gr. aliquando reprobi dicantur redempti, aliquando non redempti. Lege Augustinum Serm. L. al. XV. de Diversis, vel XXX. inter Homilias L. n. 13. *Credo esse manifestum caritati vestrae, manichaeorum sectam non veritate sed fraude agere cum imperitis, ut Scripturas non totas totis, novas veteribus praeferant; sed sententias excerpendo quas velut adversas sibi conantur ostendere, ut decipiant imperitos. Nulla est autem de ipso novo testamento vel Apostoli epistola vel etiam liber Evangelii, de quo non possint ista fieri ut quibusdam sententiis ipse unus liber sibi videatur esse contrarius, nisi eius tota contextio diligentissima lectoris intentione tractetur.* Haec aptanda sunt libris Augustini tum in aliis, tum in hac ipsa controversia. Si tibi occurrat Sermo Augustini de symbolo ad catechumenos cap. VIII. n. 17. *Agnoscitis latus, quod pupugistis, inquit, Christus ad Iudaeos reprobos, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Quis hoc loco non agnoscat redemptionem seu mortem Christi

etiam pro reprobis? Et tamen eodem cap. VIII. et num. 15. *Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei. Discedite a me* . . . . Ecce negat reprobos redemptos sanguine suo. Ceterum *si tota contextio tractetur*, ut monet faciendum Augustinus, est clarus sensus s. Doctoris, negari redemptionem efficacem et utilem, non tamen negari ex parte Christi sufficientem. Hinc addit: *Sed illorum mors proficiat ad nostram salutem... festinet unusquisque cum vivit, ut vivit. Currat ut eius pretioso sanguine redimatur.* Num possumus currere ad obtinendam redemptionem ex parte Christi? Minime profecto, cum haec, qualiscumque et pro quibuscumque fuerit, transacta iam sit a pluribus saeculis. Laborare et contendere possumus, ut redimamur redemptione efficaci et utili nobis.

Quare de redemptione modo reprobis tributa modo negata usurpanda quae habet Augustinus in Psalm. XXVI. enarr. II. n. 1. *Ita utrumque verum est et nostram esse vocem et nostram non esse, et Spiritus Dei esse vocem et ipsius non esse.*

Cap. CXXI. Caritas finis omnium praeceptorum. 1. Tim. I. 5.

CXXI. Omnia igitur praecepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apostolus: *Finis autem praecepti est Caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Omnis itaque praecepti finis est caritas, idest, ad caritatem refertur omne praeceptum. Quod vero ita fit vel timore poenae, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Caritas quippe ista Dei est et proximi: et utique *in his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetae.* Adde Evangelium, adde Apostolos: non enim aliunde vox ista est: *Finis praecepti est caritas; et Deus Caritas est.* Quaecumque ergo mandat Deus, ex quibus unum est, *Non moechaberis:* et quaecumque non iubentur sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est, *Bonum est homini mulierem non tangere:* tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum, et in hoc saeculo, et in futuro; nunc Deum per fidem, tunc per speciem, et ipsum proximum nunc per fidem. Non enim scimus mortales corda mortalium, tunc autem *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et laus erit unicuique a Deo*, quia id laudabitur, et diligetur a proximo in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo. Minuitur autem cupiditas caritate crescente, donec veniat hic ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit: *Maiorem enim Caritatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Ibi autem quis explicet quanta caritas sit, ubi cupiditas quam vel coercendo superet, nulla erit? quoniam summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.

Matth. XXII. 40. — 1. Tim. I. 5. — 1. Io. IV. 16. — 1. Cor. VII. 1. — 1. Cor. IV. 5. — Io. XV. 12.

Cap. CXXII. Conclusio.

CXXII. Sed sit aliquando huius voluminis finis, quod ipse videris utrum Enchiridion vel appellare debeas, vel habere. Ego tamen cum spernenda tua in Christo studia non putarem, bona de te credens in adiutorio nostri Redemptoris ac sperans, teque in eius membris plurimum diligens, librum ad te, sicut valui, utinam tam commodum, quam prolixum, de fide, spe et caritate conscripsi.

Nota 1. in caput CXXI.

(Nisi referantur ad eam caritatem....) Caritas ad quam referenda sunt omnia divina praecepta est *boni cupiditas*, est amor boni, bona voluntas, dilectio et delectatio iustitiae, *Quid enim est boni cupiditas, nisi caritas?* ait Augustinus lib. II. contr. duas epist. pelagian. cap. IX. n. 21, et lib. VIII. de Trinitate cap. X.

Quid est autem dilectio, quam tantopere Scriptura divina laudat et praedicat, nisi amor boni? Libro autem de Grat. Chr. cap. XXI. *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam caritas, quam scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam, ut filii eius essemus.* In Psalm. XXXVI. Serm. II. n. 13. *Ipsa est*, ait, *caritas, quae dicitur et voluntas bona.* Et I. de Corr. et Gr. c. II. promiscue accipit agere dilectione et delectatione iustitiae et ex caritate. Quemadmodum ergo *quod fit timore poenae vel aliqua intentione carnali*, uti docet Augustinus hoc Enchiridii cap. CXXI. *non refertur ad illam caritatem, quam Spiritus Sanctus diffundit in cordibus nostris*, hoc est non refertur ad amorem et cupiditatem boni, ad bonam voluntatem, ad dilectionem et delectationem iustitiae; ita quod fit amore iustitiae et aliqua intentione spirituali, omnino, sensu Augustini, refertur ad caritatem.

Ponit Augustinus in hoc Enchiridii capite CXXI. exemplum in praecepto, *Non moechaberis.* Quoniam non officiis sed finibus distinguuntur virtutes a vitiis, uti tam saepe Augustinus contra Iulianum inculcat, non satis est ad virtutem abstinere ab adulterio et fornicatione. Haec enim abstinentia officium quoddam extrinsecum est. Audi Augustinum Quaest. LIV. in Deuteronomium. *Nam si forinsecus ea, quae Deus iubet, manibus fiant et in corde non fiant, nemo erit tam insulsus, qui praecepta arbitretur implere*, Est enim *officium*, sed deest *finis*: caret, ut ponitur, bona intentione idest corde et bona voluntate non facit, hoc est caritate non facit. Quod enim idem sit *corde facere et caritate facere* ostendit Augustinus verbis continuo sequentibus. *Porro*, inquit, *si caritas quae plenitudo est legis habitet in corde, etiamsi manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est cum hominibus bonae voluntatis.* Similia dixerat Augustinus in Psal. LXXVII. n. 10. *Directo enim corde recta sunt opera; cum autem cor directum non est, opera recta non sunt, etsi recta videantur.*

Quod hoc Enchiridii loco explicat Augustinus per *relationem ad caritatem* alibi et saepe explicat cum Paulo per emanationem ex caritate. Lib. de Grat. Chr. cap. XVIII. n. 19. *Nam et Dominus nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos: et Apostolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem. Unde si duae arbores bona et mala duo sunt homines bonus et malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonae hoc est arbor radicis bonae? Et quid est homo malus nisi voluntatis malae, hoc est arbor radicis malae? Fructus autem harum radicum atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt quae bona de voluntate bona procedunt, et mala de mala.* In quibus verbis quamvis appareat promiscue accipi caritatem et voluntatem bonam, tamen adhuc clarius paulo post n. 22., commemoratis plurimis Scripturae testimoniis de caritate concludit verbis supra recitatis: *Quasi vero aliud sit bona voluntas quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo* ... Ita Augustinus contra pelagianos.

Observabis autem hoc Enchiridii capite CXXI. opera, siquidem bona sint, et fiant *quemadmodum fieri oporteat seu recte fiant*, non dici ab Augustino esse referenda *ad caritatem Dei, sed promiscue* ad caritatem Dei et proximi, neque tantum ad caritatem Dei secundum se prout est obiectum amicitiae, sed etiam secundum quod est obiectum amoris concupiscentiae sive secundum quod est obiectum beatificans. *Propter Deum*, inquit, *et in hoc saeculo et in futuro, nunc per fidem et tunc per speciem.* Scio Iansenium lib. V. de Grat. Chr. cap. VIII. et IX. et X. docere, quod caritas gratis diligens Deum respiciat mercedem et retributionem «*non* quia hoc sibi suave vel utile vel gloriosum est vel alia quacumque consideratione redundans in se, sed quia ita est ordo creaturae sub creatore....» ita enim scribit cap. X. Sed Iansenium revincit Augustinus tum multis aliis locis, tum Serm. CLXXVII. n. 8. al. Serm. X. inter editos ex Mss. Chartusiae maioris. *Non mihi videtur dictum qui dedit nobis omnia abundanter ad fruendum nisi se ipsum. Videtur enim aliud esse uti, aliud frui. Utimur enim*

pro necessitate, fruimur pro iucunditate. Ergo ista temporalia dedit ad utendum, se ad fruendum nempe ut dixerat, *pro iucunditate.* Et lib. VIII. de Gen. ad lit. c. XI. n. 24. *Deus... ideo verus et solus est Dominus, quia non illi ad suam sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. . .* Explicans autem, quis sit iste finis nostrae utilitatis atque salutis excludit utilitatem salutemque temporalem non vero utilitatem salutemque caelestis beatitudinis. *Nec ita,* inquit, *sentiendum est quod diximus, nos illi ad utilitatem nostram salutemque servire, tamquam aliud aliquid ab illo expectemus quam eum ipsum, qui summa utilitas et salus nostra est.*

Bonum enim nostrum, ut ait lib. X. de Civ. cap. III. n. 2., *nullum est aliud quam illi cohaerere.*

Ad eum, ut paulo ante dixerat, *dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus, ideo beati, quia illo fine perfecti... Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quae ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quam beatus. Hic autem finis est adhaerere Deo.* Ubi vides omnia nobis ab Augustino describi sub respectu nostrae beatitudinis, utilitatis et felicitatis, sed de bono incommutabili.

Cum explicatum sit, quid intelligat Augustinus hoc Enchiridii capite CXXI. nomine *caritatis in Deum*, innotescit finis caritatis in proximum. Utrumque finem recte operandi ex caritate Dei et proximi breviter describit Augustinus l. X. de Civ. c. III. n. 2, ex quo aliqua paulo ante decerpsimus. *Bonum enim nostrum, de cuius fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohaerere: Cuius unius anima intellectualis in corporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur foecundaturque virtutibus.* Quibus verbis explicat Augustinus optimam rationem, quare appetere nostram caelestem beatitudinem sit actus maxime honestus, quia ita nos suavitate replet, ut etiam simul *impleat foecundetque virtutibus.*

Hoc bonum diligere, pergit Augustinus, *in toto corde, in tota anima, et in tota virtute praecipimur* (quibus verbis Augustinus praeceptum evangelicum diligendi Deum ex toto corde ... ita extendit ut complectatur dilectionem Dei ut ultimi finis et obiecti beatifici). *Ad hoc bonum debemus et a quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota lex pendet et prophetae, Diliges Dominum ... Iam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei quantum potest, commendet diligendum Deum?*

Utramque caritatem, ex cuius fine recte agimus, magis in particulari describit Augustinus lib. XIV. de Civ. c. IX. *Apud nos autem*, inquit n. 1., *iuxta Scripturas sacras, sanamque doctrinam cives sanctae civitatis Dei in huius vitae peregrinatione secundum Deum viventes metuunt cupiuntque dolent gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt poenam aeternam, cupiunt vitam aeternam, dolent in re, quia . . . . ingemiscunt... expectantes redemptionem corporis sui, gaudent in spe, quia fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Item metuunt peccare, cupiunt perseverare: dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis . . . Non solum autem*, inquit n. 2., *propter se ipsos his moventur affectibus, verum etiam propter eos quos liberari cupiunt, et ne pereant metuunt, et dolent si pereunt et gaudent si liberantur. Illum quippe ... Doctorem gentium... oculis fidei libentissime spectant gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intus timores, cupientem dissolvi et esse cum Christo...*

Hi motus, addit n. 3., *hi affectus de amore boni et de sancta caritate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea, quae vere vitia sunt virtutes vocentur. Sed cum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat appellare? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi .... adhibuit eas, ubi adhibendas esse iudicavit.*

In his omnibus observabis, ad rectitudinem horum affectuum sive in Deum

sive in proximum aliud nihil postulare Augustinum, quam ut veniant *de sancta caritate, quae sit amor boni, et rectam rationem sequantur.*

Oppones. Qui non moechatur, vult non moechari; ergo habet voluntatem bonam; cum ergo Augustinus in hoc Enchiridii cap. CXXI. agat de caritate, quae potest esse et abesse in eo qui non moechatur, inde colligendum est, quod non intelligat nomine *caritatis* voluntatem bonam.

Respondeo. Qui non moechatur, vult non moechari *voluntate facti.* Hoc quidem necessarium est. Sermo est enim de homine, qui habeat rationis usum; non tamen necesse est ut velit non moechari *voluntate operis boni.* Quam distinctionem in re simili usurpat Augustinus, qui lib. I. Retract. c. XV. n. 3. de illo agit, qui *nesciens peccavit? Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati.* Similia de eo dixeris, qui plenum habens rationis usum non moechatur; id volens omittit, ideoque *voluntate facti.* Si autem moveatur ex malo fine vel mortali, puta ut occasionem habeat furandi, vel veniali puta ob vanam gloriam, non habet voluntatem operis boni. Eadem dicas, si quamvis careat malo fine, non tamen moveatur ab ulla honestate, bonitate aut conformitate cum recta ratione seu lege aut consilio; non habebit voluntatem *operis boni*, sive dilectionem aut delectationem iustitiae: haec enim promiscue usurpantur ab Augustino. Quare lib. II. de Pece. mer. et remiss. cap. XVIII. n. 30. *Voluntas* (quo nomine Augustinus solet actum intelligere) *mirum si potest in medio quodam consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim iustitiam diligimus, et bona est, et si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est, aut si omnino non diligimus, non bona est.*

Haec disseruimus ad rite declarandam caritatem, de qua Augustinus hoc Enchiridii capite: quae eo certius procedunt, quo Augustinus non ait hoc loco, hanc caritatem diligere Deum *gratis*; cui voculae multum fidit Iansenius, quandocumque eam invenit in libris Augustini. Ceterum etiamsi hanc voculam *gratis* adderet, eaedem explicationes datae procederent; quandoquidem ea particula excludit Augustinus, ubi eam adhibet, solum respectum voluntatis ad remunerationem temporalem. Id probavimus in nota ad cap. VII. et VIII. ex Augustino in Psalm. LIII., LV., LXXVII., LXXXV., et LXXXIX.

Aliqua addamus. Serm. XXXIII. al. XVIII. de Diversis n. 3. *Omnis qui facit peccatum servus est peccati. Peccatum autem non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus, sed etiam si habeat speciem boni operis, et tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternum. Quodlibet enim quisque faciat, si hoc animo facit ut terrenum emolumentum consequatur, serviliter facit, et ideo sabbatum non observat. Gratis enim amandus est Deus.*

Serm. CCCXL. al. XXXIX. ex Sirmondianis n. 1. *Quia gratis amamus, quia oves pascimus, mercedem quaerimus. Quomodo fiet istud? Quomodo convenit, gratis amo ut pascar, et mercedem posco quia pasco? Nullo modo fieret hoc, nullo modo merces quaereretur ab eo qui gratis amatur, nisi merces esset ipse qui amatur.*

Lib. de Catechiz. rudib. cap. XXII. n. 39. *Ex Christi adventu sexta aetas agitur, ut iam spiritualis gratia quae paucis tunc patriarchis et prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus, nec quisquam Deum nisi gratis coleret, non visibilia praemia servitutis suae et praesentis vitae felicitatem, sed solam vitam aeternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans... Tunc enim et lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed caritate illius qui praecepit, fiunt quaecumque praecepit.* Habes quae sit caritas Dei praecipientis legem implens, nempe quae non fruitionem temporalium sed Dei desiderat. Haec *gratis* colit.

Eodem libro de Catechiz. rud. cap. XXVII. n. 55. *Coniungaris bonis quos inventurus es facile, si et tu talis fueris, ut simul colatis et diligatis Deum gratis, quia totum praemium nostrum ipse erit,*

ut et in illa vita bonitate eius et pulchritudine perfruamur.

Serm. XCI. al. CCXXXIV. de Temp. n. 3. *Cor...*, *quod recte petit, recte pulsat et quaerit, pium esse debet. Primo amare Deum gratis: haec est enim pietas, nec sibi extra illum ponere mercedem, quam expectet ex illo. Illo enim melius est nihil.... Quando amplius gaudere debes, cum se ipsum tibi dat, qui fecit caelum et terram! Gratis ergo amandus est Deus. Nam diabolus hoc sancto Iob obiecit dicens: numquid gratis colit Iob Deum?.... Invenitur Iob gratis colere Deum, gratis diligere, non quia aliquid dedit, sed quia se ipsum non abstulit.*

Serm. CCCXXXIV. al. XLVIII. de Sanctis n. 3. *O Domine ..... quidquid mihi dederis, vile est. Tu esto haereditas mea, amo te, totus amo te ..... Quid erit mihi, quidquid dederis mihi praeter te? Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi, praeter illum nihil sufficit tibi .... Ipse sit nobis quidquid hic sine illo desideramus.*

Ac quoniam Iansenius cap. IX. lib. V. de Grat. Christi, *Spes*, inquit, *Christiana non oritur ex amore concupiscentiae;* et cap. X. *Caritati gratis diligenti Deum non repugnat respectus mercedis aut retributionis.... Non quia hoc sibi suave vel quia utile vel gloriosum est, vel alia quacumque consideratione redundat in se:* audi quae addit Augustinus hoc ipso sermone: *Pro omnibus ipse erit nobis, quando erit Deus omnia in omnibus. Peccas in Deum ut manduces, peccas in Deum ut vestiaris, peccas in Deum ut vivas, peccas in Deum ut honoreris. Et quando omnia numerabo? Noli in Deum propter ista peccare. Propter cibum peccas in Deum? Cibus tibi aeternus erit Deus. Propter vestem peccas in Deum? Immortalitate te vestiturus est Deus. Propter honorem peccas in Deum? Honor tuus erit Deus. Propter amorem vitae temporalis peccas in Deum? Aeterna vita tibi erit. Noli propter aliquid in eum peccare. Ipsum enim debes gratis amare, qui ipse te poterit pro rebus omnibus satiare.* Similia habes serm. CLVIII. al. XVI. de verb. Apost. contra pelagianos: vide num. 9. An non autem ista sunt amor Dei et beatitudinis ut *suavis et utilis et gloriosae?*

Serm. CLXXVIII. al. XIX. de verb. Apost. n. 11. *Si hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, gratis amasti.*

Nota II, in caput CXXI. (*Quod ergo fit vel timore poenae vel aliqua intentione carnali...*, *nondum fit quemadmodum fieri oportet...*)

Fatetur Iansenius lib. V. de Grat. Chr. cap. XI., quod definitiones Arausicani et Tridentini de operibus *prout oportet;* desumptae sint ex hoc Enchiridii loco. Addit quod s. Doctor his verbis *perspicue significet, tunc fieri sicut oportet, quando fit ex caritate Dei.* Semper vero intelligit caritatem Dei ut est obiectum amoris amicitiae; nam *concupiscentiae respectu Dei amor vitiosus est*, inquit ipse lib. V. de Grat. Chr. cap. IX.

At nos probavimus male coarctari vocem caritatis in hoc loco Enchiridii, imo in aliis passim Augustini locis ad solam caritatem amicitiae. Quod confirmari amplius potest. Nam quod hoc loco Augustinus ait, *quemadmodum fieri oportet*, in lib. de Corr. et Grat. cap. II. explicat per *agere sicut agendum est*, idest *cum dilectione et delectatione* iustitiae; ibid. cap. IV. explicat per *facere ex animo cum bona voluntate.* Lib. II. Op. imperf. n. 230. explicat *ex corde hoc est ex voluntate*; lib. II. ad Bonifac. c. IX. *bene fit bonum;* Serm. CXXII. in Psalm. CXVIII. n. 7. *Bonum vere bene, hoc est boni spiritualis delectatione faciamus;* In ep. ad Gal. *fine quo liberos ea facere decet;* lib. de don. Persev. c. XVI. *Deo veraciter et suaviter obeditur;* lib. XXI. de Civ. cap. XVI. *id fit veraciter atque sinceriter verae delectatione iustitiae.* Hi omnes loquendi modi non aliud exprimunt, quam facere *ex fine honesto*, qui finis expressus per tam generales phrases non coarctatur ad unam caritatem amicitiae ac benevolentiae in Deum sed late exspatiatur per virtutes omnes et contraponitur vitioso. Quare in lib. contr. Sermon. arian. cap. XXV. *Non ergo scimus per nos ipsos quid oremus sicut oportet, sed ipse spiritus interpel-*

lat, idest interpellare nos facit quae sunt secundum Deum. Quod nisi faciat, non oramus nisi secundum istum mundum ad explendam concupiscentiam carnis et concupiscentiam oculorum et ambitionem saeculi, quae non sunt a Patre sed ex mundo sunt. Vides quod orare *secundum Deum et prout oportet* opponitur petitionibus *secundum mundum:* quare quae secundum mundum non sunt, ea sunt secundum Deum et prout oportet: secundum Deum autem et prout oportet sunt, quae secundum mundum non sunt. Igitur omne bonum atque honestum in universa sua latitudine qua late patet per virtutes omnes oppositas operibus secundum mundum, verissime *secundum Deum* dicitur et *prout oportet.* Non ergo solus modus operandi ex caritate amicitiae ac benevolentiae in Deum, imo nimis aperte falsum quod sola caritas amicitiae in Deum non sit *secundum mundum.* Pro quo apprime faciunt verba supracitata ex Augustino lib. XIV. de civ. cap. IX. *Cum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando ubi oportet adhibeantur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat appellare?*

Ea verborum contrapositio, *secundum Deum secundum mundum,* quam observavimus in lib. contr. Sermon. arrian., saepe alias usurpatur ab Augustino, ex. gr. lib. XIV. de Civ. cap. IV.: titulus est: *Quid sit secundum hominem, quidve secundum Deum vivere. Cum ergo,* inquit, *vivit homo secundum hominem, non secundum Deum, similis est diabolo.* Et infra n. 2. *Quod alii secundum carnem; alii secundum spiritum viverent, potest etiam illo modo dici, quod alii secundum hominem, alii secundum Deum vivant.* Similia repetit cap. IX. n. 6. et alibi passim. Iam autem cuius aures ferant, ut qui non agit ex motivo caritatis benevolae in Deum, licet agat ex amore beatitudinis, ex iustitia, ex gratitudine.... *is similis sit diabolo,* et *vivat secundum carnem?* Itaque agere *secundum Deum*, quemadmodum et agere *prout oportet*, explicant generalem honestatem cuiusque virtutis.

Nota III, in caput CXXI. (*Quod vero ita fit vel timore poenae vel aliqua intentione carnali, nondum fit quemadmodum fieri oportet...*)

Timor poenae, de quo hoc loco, mihi est species *intentionis carnalis*, veluti cuiusdam magni generis plures vitiosas species sub se complectentis, ac si diceretur: *Quod fit vel timore poenae vel quacumque alia intentione carnali (cuius sunt innumerae species), ut non referatur ad caritatem nondum fit quemadmodum fieri oportet.*

Imprimis itaque carnalis timor poenae est timor malorum temporalium, qui in his sistat, et aeterna non curet aut non advertat. Audi August. Serm. CLXXVIII. al. XIX. de verb. Apost. n. 9. et 10. hoc enim sermone pluries abutitur Iansenius contra attritionem ex metu gehennae (lege lib. V. de Grat. Chr. c. XXVIII. seu verius XX. et cap. XXXI. prout ibi numerantur in edit Lovan. 1640. sed est cap. XXII.). In eo itaque Augustini sermone n. 9. et 10. *Quod non tollis, timor prohibet: non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum timere malum? Magnum est non facere malum, magnum est amare bonum. Non et latro timet malum, et ubi non potest, non facit, et tamen latro est?* Sermo est de timore mali temporalis; cuius tamen timoris vitium non in eo est, quod sit timor temporalis mali; quis enim dicat malum esse timere mortem? Audi Augustinum lib. XIX. de Civ. cap. IV. *Dicant et verum dicant, hanc esse naturae primam quodammodo et maximam vocem, ut homo concilietur sibi, et propterea mortem naturaliter fugiat, ita sibi amicus ut esse se animal et in hac coniunctione corporis atque animae vivere, velit vehementerque appetat.* Vitium ergo timoris sive mortis sive alterius temporalis mali situm est in adiuncta aliqua inordinatione, cuiusmodi est ea quam saepissime insectatur Augustinus, nimirum voluntas faciendi malum culpae, si poenae temporalis malum, quod timetur, non esset. Hanc indicat Augustinus in iis verbis. *Et latro timet malum, et ubi non potest, non facit, et tamen latro est:* considera eam vitiosam animi dispositionem atque inordinationem in latrone: *ubi non possum, non facio.*

Pergit Augustinus: *Deus enim cor interrogat, non manum: Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit iugu-*

lare quaerit devorare: vigilant pastores, latrant canes; nihil potest, non aufert, non occidit, sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, et ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens, lupus est tamen et fremens. Interroga ergo te quisquis vis iudicare, et vide si tunc non facis male quando potes facere et ab homine non puniri. Tunc times Deum. Nemo est ibi, nisi tu et ille cui facit malum, et Deus qui ambos videt. Vide, ibi time.

Huc usque nihil contra attritionem ex metu gehennae; tum quia dolor, de quo Augustinus, est ex malo temporali, tum quia hic timor coniungitur cum actuali prava voluntate sive latronis sive lupi, quorum uterque suo modo dicit. *Ubi non possum non facio.*

Ceterum verba Augustini in Enchiridii hoc capite CXXI. non intelligenda sunt tantum de metu carnali seu carnalis et temporalis mali, sed etiam de timore gehennae: at de timore qui sit species *intentionis carnalis, qui non referatur ad caritatem* sive ad cupiditatem boni, nimirum de timore gehennae, qui admixtam habeat malitiam moralem, iniquitatem, cupiditatem. Lege Augustinum in Psalm. CXLIX. n. 14. *Quam multi sunt qui propterea volunt male facere quia gehennas timent, quia cruciatus timent? Nondum amant iustitiam. Si illis promitteretur impunitas et diceretur eis: Facite quod vultis securi, impunitum vobis erit; emitterent progressus libidinum suarum in quaeque nequissima, et maxime, fratres mei, maxime reges ac nobiles, quibus non facile dicitur, quid fecisti?* Abundabant igitur Augustini aetate plurimi qui vel ab omni turpi externo peccato abstinebant, vel saltem paucioribus sese sceleribus ingurgitabant sperantes quod hoc pacto Deus ipsis misericors foret et longanimis, secus vero futurum ut non diutius sustineret ea vasa irae in multa patientia. Hi omnes ita erant animo comparati teste Augustino: *Si nobis promitteretur impunitas et diceretur nobis*, Facite quod vultis securi, impunitum vobis erit; *emitteremus progressus libidinum nostrarum in quaeque nequissima.* Sive igitur nullum externum scelus sive pauciora patrarent cor habebant iniquum et immundum, eorumque timor cum hac malitia coniunctus ac commixtus erat. *Nec enim mundatur opere qui immundus est voluntate*, ut ait Augustinus Serm. XI. in Psalm. CXVIII. n. 1.

Sed audiatur Augustinus in eodem ut supra serm. CLXXVIII. sive XIX. de Verbis Apostoli in quo sermone diximus valde Iansenium confidere. Hactenus cum eo egerat Augustinus, qui timeret malum temporale et ex hoc timore abstineret ab illicito opere malum tamen animum habens: *Ubi non possum, non facio.* Huic homini dixerat Augustinus, eum timere debere malum punitionis etiam ubi Deus sine iudice humano spectat. *Vide*, dixerat Augustinus, *ibi time.* Auget iam instructionem suam s. Doctor et ait neque hoc esse satis, si timeat malum ubi Deus videt semoto humano iudice; quandoquidem non modo timere debet malum, sed et amare bonum. Atque hoc loco ea dicere videtur s. Doctor, quae propugnatores initialis caritatis pro attritione favere sibi putant, sed falso.

En verba Augustini: *Parum est quod dico*, Vide ibi time malum. *Ibi ama bonum. Nam etiamsi timore gehennae non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timore gehennae non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum esse Dei iudicium; gaudeo fidei tuae, sed adhuc timeo malitiae tuae. Quid est quod dixi?* Obiicit sibimetipsi Augustinus: tum sibi respondet: *Quia si timore gehennae non facis malum, non amore iustitiae facis bonum.*

Nempe non satis est habere timorem gehennae in corde, et in opere cavere a peccato, a latrocinio, ab adulterio... Tertium praeter ea duo requiritur, voluntas bona interior, quae nullam habeat culpae admixtionem, quae peccandi voluntatem, malamque excludat cupiditatem. eamque praecipue, quam sexcentis in locis Augustinus insectatur, qua homo scilicet *se sentit abstinere ab opere peccati nondum liber nec alienus a voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat.* Similibus pleni sunt Augustini libri.

Ratio autem seu necessitas ista inculcandi urgebat Augustinum tum propter

catholicos, tum propter pelagianos. Propter catholicos quidem, quia plurimi eorum sive ex defectu instructionis sive ex malitia habebant, teste Augustino in psalm. CXLIX., ea cordis prava desideria, etiam cum ex metu abstinebant a colluvie peccatorum externorum. Propter pelagianos, quia putabant timorem incussum a lege terrente satis esse sine ducente Spiritu ad bene operandum, quos Augustinus impugnat distinguendo illa tria, timorem in corde, abstinentiam peccati in opere, et praeterea bonam internam voluntatem sive amorem ac delectationem iustitiae, excluso omni malo desiderio. Quamvis autem tum timor poenae tum abstinentia ab opere externo pravo haberi posset sine gratia Christi et Spiritus Sancti adiutorio, voluntas illa tamen ea gratia indigebat. Inde erat Augustino necessitas ista tam saepe inculcandi.

Si dicas. Quoties sit timor in corde et abstinentia a peccato in opere, toties est etiam voluntas abstinendi ab opere peccati; quare opus cum hac voluntate tamquam unum reputanda sunt, quae ab invicem non separantur: ruet ergo fundamentum expositae doctrinae.

At respondetur, te meminisse posse, quod sicut Augustinus distinguit *voluntatem facti a voluntate peccati*, ita supra nos distinxisse voluntatem operis seu facti a voluntate operis boni seu iustitiae. Si in corde timor sit, et fuga peccati in opere, utique est voluntas fugiendi peccatum in opere. At haec est voluntas facti seu operis, non voluntas operis boni, voluntas servandi mandata, implendi legem, voluntas boni, amor et delectatio iustitiae, si admixtam habeat cordis malam cupiditatem *ut intus in affectionibus pravis praevaricator legis conspicua opera legis impleat, et ad male faciendum sic voluntate inclinetur, ut etiam faceret si posset impune committi*: quae sunt Augustini verba ex lib. I. ad Bonifac. cap. IX. Contra vero si praeter timorem cordis et abstinentiam ab externo opere pravo sit voluntas sic abstinendi non quocumque modo, sed voluntas sine mixtura malae cupiditatis, erit voluntas bona ac recta, ratione cuius homo ita operans non modo timebit malum, sed amabit bonum, non modo habebit *timorem poenae* sed *amorem iustitiae*, hoc amore operabitur et non solum timore poenae, quemadmodum vult Augustinus in sermone quem expendimus (Serm. CLXXVIII. sive XIX. de Verb. Apost.); longeque aberit ab eo, quem Augustinus reprehendit in Enchiridii cap. CXXI., *qui facit timore poenae, non referendo ad caritatem.* Imo qui sic agit, opus suum *ad caritatem refert*, nempe ad cupiditatem boni, rectamque voluntatem et amorem iustitiae; servit enim bonitati, rectitudini, iustitiae.

At quoniam non eodem prorsus modo theologi interpretantur eas Augustini reprehensiones in agentes *timore poenae*, *non amore iustitiae*, ut quantum fieri potest tricae praecidantur et difficultates, cogita hunc actum: *Timeo poenam gehennae et ideo abstineo a latrocinio, adulterio....* Duplici modo se habere voluntas potest in hoc actu eliciendo. Primus est huiusmodi. *Timeo gehennam, et ideo abstineo ab iniquis externis operibus cum voluntate interna ita bene affecta, ut parata sit ad omne peccatum fugiendum omnemque implendam iustitiam.* Hic actus in attritione includitur, qualem eius defensores propugnant sufficientem ad sacramentum poenitentiae. Clarum est autem, quod actus hic sit amor et delectatio iustitiae; quod qui hoc pacto timeat et operetur, agat non solo timore poenae sed amore iustitiae, quemadmodum Augustinus centies ac centies commendat.

Alter modus, sed per quem nos non explicamus attritionem cum sacramento sufficientem, est huiusmodi: *Timeo gehennam et ideo abstineo ab iniquis externis operibus sive aliquibus sive omnibus cum voluntate interna ita affecta, ut nullam habeat cupiditatem etiam conditionatam, si liceret impune.* Hic modus est longe imperfectior primo, nec habet illum positivum amorem universalem iustitiae, qui requiritur in attritione sacramentali, ac re ipsa idem nonnullis est cum odio ac proposito universali contra peccata. Attamen quantum satis est, actus qui non solum timet poenam, sed amat iustitiam, si attendatur tum obiectum formale motivum, tum obiectum materiale. Nam fatente Ianse-

nio l. V. de Grat. Chr. c. XXI. quod reipsa est XIII., *timor gehennae, secundum se consideratus licitus bonus ac rectus est*; est enim eius capitis titulus: *Ergo voluntas abstinendi ab opere malo, quantum est ex parte huius motivi, licita, bona ac recta est.* At etiam recta est, bona ac licita ea voluntas quantum est ex obiecto materiali. Quid enim vult? Fugam mali externi operis, a quo velle abstinere bonum est. At quoniam bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, si voluntati abstinendi ab opere malo externo adiungeretur sive admisceretur cupiditas conditionata *peccandi si liceret impune*, actus esset simpliciter malus. Ceterum non ita est; imo quemadmodum vult abstinere a malo externo ita non vult aliud quodcumque malum, ut ponimus. Igitur si inspiciatur quod vult iste actus, praeterea attendatur etiam quod non vult, tandem etiam consideretur motivum volendi, erit totus ille actus *amor boni*, *iusti*, *recti*, *honesti*, nisi dicat Iansenius, hunc actum fore malum ex defectu amoris amicitiae in Deum, qui inesse debeat omni actui; quod non pertinet ad controversiam praesentem, et praeterquam quod sine fundamento dicitur, ex superioribus evincitur falsum. Haec dixi de bonitate *actus*. Ut enim homo bonus sit, alia plura requiruntur atque inter caetera quod in loco ac tempore exerceat actus virtutum tum theologicarum tum moralium.

Sed iam redeundum ad Sermonem CLXXVIII. ex quo plura obiicit Iansenius; quae si explicentur, clara erit mens Augustini in hoc Enchiridii cap. CXXI.

Postquam s. Doctor ea dixerat: *Si timore gehennae non facis malum, non amore iustitiae facis bonum. Aliud est, timere poenam, aliud est amare iustitiam* (quae duo rite discernere curavimus), pergit Augustinus n. 11.: *Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre non coelum et terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitoresque gemmarum, sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum quia dictum est*, I. Ioan. III. 2.: Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus, scimus autem quod cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. *Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum.* Totum hoc facit, qui actum attritionis facit, excludens ex metu gehennae voluntatem peccandi cum spe veniae secundum doctrinam Tridentini. Ac visio quidem coelestis beatitudinis erit motivum agendi, si attritus moveatur ex poena gehennae, prout complectitur poenam sensus una cum poena damni, quemadmodum gehennam repraesentat Augustinus in hoc Enchiridio c. CXII. et CXIII. Sed fingamus moveri tantum a poena sensus. Adhuc tamen verum erit, quod *propter visionem Dei* facit bonum et non malum, non eo sensu quo τo *propter* significare potest motivum agendi, sed quo significare potest terminum ac finem operandi. Attritus enim ex spe veniae et gloriae, quam habet obtinendae per propria merita auxilio divinae gratiae, se ac sua ordinat ad Dei possessionem, ut scilicet hoc summum bonum acquirat.

Ipse quoque Iansenius non ita intelligit aut intelligere potest haec Augustini verba, ac si praescribant faciendum bonum ac non faciendum malum *propter* visionem tamquam *propter motivum*. Longe tutius et perfectius ipso auctore Iansenio erat facere bonum et non malum ex *solo amore amicitiae* in Deum nullo respectu beatitudinis. Superest, ut etiam ad Iansenii mentem Augustinus intelligatur nos monere ad faciendum bonum et non malum *propter visionem*, idest ordinando nostra opera ad assecutionem visionis, ad quam spes nos urget.

Ceterum quamvis attritus habeat spem veniae et gloriae, et ad horum bonorum assecutionem ordinet se ipsum et opera sua; hanc enim spem habere debet attritio ex Tridentino, siquidem sufficiens esse possit ad sacramentum poenitentiae: quamvis exercitium spei theologicae pertineat necessario ad statum hominis iusti pro tempore et loco, quo obligat spei praeceptum affirmativum: non tamen ex ipsiusmet Iansenii doctrina id necessario pertinet ad quemcumque actum in particulari distinctum ab attritione sacramentali, ita ut nullus actus esse possit *amor castus*, nisi desideret videre Deum cum

satis utique sit amor amicitiae nihil respiciens beatitudinem.

Pergit Augustinus: *Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras, ecce probat te Dominus Deus tuus quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit licitum puta: non hinc te punio, non te in gehennam mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti. Si hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit Deus tuus contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam poenam putasti, gratis amasti.*

Si poenitens rite attritus hoc pacto probetur, eum invenies, qualem vult Augustinus. Imprimis enim si movetur ex metu gehennae, qualem solent considerare catholici, prout complectitur utramque poenam damni ac sensus, clarum est quod comminante Deo, *faciem meam tibi negabo*, attriti cor contremiscet. Deinde vero etiamsi moveatur ex gehennae metu prout complectitur poenam sensus, quia tamen hoc motivum ponitur in attrito esse ita efficax, ut eum determinet ad media necessaria evadendo tanto poenae malo; media autem ista sunt universalis displicentia peccatorum lethalium cum universali proposito et spe veniae permanentis idest cum perseverantia et gloria; inde tandem fit ut etiam attritus ex solius aeternae poenae sensus timore expavescat ad eam vocem, *Faciem suam tibi negabit Deus tuus*, expavescat inquam non immediate ex eo motivo timoris, sed ex ratione et efficacia spei, quam ille timor induxit.

Hinc habes quod attritus ex solo etiam metu gehennae quantum ad poenam sensus dispositus ac paratus animo est ad abstinendum a peccato, *etsi omni modo impunitus futurus esset tum apud homines tum apud Deum.* Diximus enim quod motivum ex metu aeternae poenae sensus ita efficax est in rite attrito, ut eum determinet ad universale odium omnis peccati, et universale propositum ea in posterum fugiendi. Si hoc odium et propositum universalia sunt, ex parte obiecti extenduntur contra peccatum in omni hypothesi etiam illa in qua peccato constituta fuisset poena ignis aeterni, nec possunt componi cum voluntate conditionata: *Peccarem si impune possem;* quippe quae voluntas et ipsa est peccatum. Frustra ergo Iansenius l. V. de Gr. Chr. cap. XXVIII. al. XX. obiicit Augustini sermonem CXLV. qui olim in append. erat III. edit. ex mss. Carthus. n. 3. *Prohibet Deus adulterium, concupisti uxorem alienam, non accedis, non facis, occasio data est, habes tempus, patet locus, deest conscius, tu tamen non facis. Unde? Quia times poenam. Sed nullus sciet. Numquid nec Deus? Ita plane, quia scit Deus quod facturus es, non facis: sed et ipsum Deum minitantem tremis, non praecipientem diligis. Quare non facis? Quia si feceris, in gehennam mitteris. Ignem times. O si castitatem amares, non faceres, etsi omni modo impunitus esse deberes.*

Frustra inquam hoc Iansenius opponit. Attritus enim ita dispositus est non quidem immediate ac proxime ratione metus ignis aeterni, sed ratione odii et propositi universalis ex eo metu veluti progerminantium, ut *non faceret etiamsi omni modo impunitus excederet.* Mirandum est tamen, quod Iansenius non animadverterit, quam differat ab homine attrito is, quem hoc loco describit ac reprehendit Augustinus. Is enim habet quidem metum gehennae seu ignis aeterni: habet voluntatem abstinendi ab adulterio externo et consummato; at haec voluntas mixta est cum gravi malitia nempe cum interna deliberata concupiscentia adulterii. En verba Augustini. *Prohibet Deus adulterium, concupisti uxorem alienam... Tu autem non facis.*

Multo autem minus ea voluntas habet odium universale omnis peccati, et universale propositum cum animi dispositione ad implendam omnem iustitiam. Igitur homo ab Augustino reprehensus timebit poenam et non amabit iustitiam sed iniustitiam, timebit Deum minantem, non amabit Deum praecipientem, quem contemnit per eam internam adulterii concupiscentiam.

Eadem responsio est ad Augustini locum in Exp. Epist. ad Galatas n. 43., quem Iansenius opponit: *Et hominem si*

propterea non occidit aliquis ne et ipse occidatur, non implet praeceptum iustitiae; sed si ideo non occidat, quia iniustum est, etiamsi facere possit impune non solum apud homines sed etiam apud Deum. Patet enim ex dictis, quod hoc animo dispositus est qui attritus est cum odio et proposito universali; ac proinde etiam in hypothesi quod homicidium non puniretur poena ignis.

Ex eodem universali odio ac proposito fit, ut attritus ex metu ignis aeterni in homicidio abominetur generalem rationem iniustitiae, seu etiam peccati, offensae Dei..... Proindeque vere de eo dicas cum Augustino, in cit. Expos. epist. ad Galat. n. 43., *Ideo non occidit, quia iniustum est*. Contra vero si quis timeat aeternum ignem et ideo abstineat ab opere homicidii cum voluntate non habente universale odium ac propositum in omne peccatum, multoque magis si abstineat cum voluntate patrandi homicidium, nisi timeret et ipse occidi (huiusmodi enim est homo descriptus ab Augustino), si quis inquam ita se habeat, non abominatur in homicidio rationem iniustitiae communem tum homicidio externo tum internae voluntati homicidii etiam conditionatae. Falso proinde de hoc homine dixeris: *Ideo non occidit, quia iniustum est*. Imo si homo descriptus ab Augustino animum suum sincere explicare volet, ita diceret. Timeo et ideo non occido; nihil autem curo de iniustitia homicidii; quod adeo verum est, ut quantumcumque homicidium iniustum sit, actualem dispositionem ac voluntatem habeam illud patrandi, nisi timerem, et quamvis sciam hanc dispositionem ac voluntatem iniustam esse, eam tamen habeo nihil curans de hac interna iniustitia.

Dices: Attriti hominis actus timens ignem aeternum et ideo abstinens ab homicidio cum voluntate habente universale odium et propositum contra omne peccatum, abstinet ab homicidio *cum abominatione* iniustitiae; falso autem dices, quod abstineat *quia iniustum* est: non enim movetur ab iniustitia tamquam ab obiecto formali motivo, sed ab igne aeterno. Plus ergo vult Augustinus quam nos concedimus, nec immerito Iansenius eo capite XXX. al. XXII. maioribus litteris describit eas Augustini voces: *Ideo non occidat quia iniustum est*.

Respondeo omnes omnino, tum nos tum Iansenium in eo convenire debere, quod voculae *ideo* et *quia* non significent obiectum formale motivum in verbis Augustini. Secus enim ut quis impleat cum merito etiam superno praeceptum non occidendi minime satis esset ita agere: *Quia Deus in se summe bonus est, ex hoc obiecto formali motivo nolo facere homicidium Deo contrarium, indebitum, iniustum*. Hic enim actus non movetur ex iniustitia homicidii tamquam ex obiecto formali, ideoque non abstinet ab homicidio *quia* iniustum est, si τo *quia* et *ideo* dicant obiectum formale motivum. Quis porro dicat, eum actum non esse meritorium, qui licet non moveatur ex motivo iniustitiae, moveatur tamen ex motivo divinae bonitatis? Omnes igitur, velimus nolimus, consentire in eo debemus quod cum Augustinus docet implendum esse praeceptum fugiendo occisionem proximi *ideo quia* iniustum est, sensus sit fugiendam occisionem proximi *sub ratione iniustae* sive sub ratione culpabilis, criminosae, peccaminosae, sive aliis vocibus fugiendam occisionem proximi odio habendo et abominando in ea occisione rationem iniustitiae, culpae, et peccati.

Habes itaque 1. Augustinum hoc Enchiridii capite CXXI. non reprehendere qui simpliciter agant timore poenae, sed cum addito, *si non referatur ad caritatem*.

Habes. 2. quisnam sit ille timor poenae non relatus ad caritatem, sive qui non pertineat ad cupiditatem boni, ad voluntatem boni...

Habes 3. quo pacto attritus non sit obnoxius reprehensionibus in eos, qui agunt timore poenae non referendo ad caritatem, timore poenae non amore iustitiae: quo pacto attritus non peccet, etiam si posset *impune* quoad Deum et homines: quo pacto abstineat ab homicidio, adulterio.... *quia iniustum est*; quae sunt loca Augustini difficiliora obiecta a Iansenio.

FINIS.

Pag	Col.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
2	2	ult.	Deitate.	Deitatis
4	2	49	Tricapinius.	Tricassinius
15	1	ult.	videatur	videantur
22	2	15	infunderat	infuderat
29	2	50	Eustachio.	Eustathio
37	1	47	ακολουϑιά.	ακολουϑια
»	2	34	Serm. CLIX de Verb. Apost. Cap. VIII.	Serm. CLIX. al. XVII. de Verb. Apost. Cap. VII.
40	»	5	minus utiliora	minus utilia
42	2	7	an fructuosus	amfractuosus
47	1	34	XVI.	XVII.
89	1	16	sit.	fit
124	1	12	Tarrianum	Turrianum
126	2	14	humanae.	humanae,
129	1	50	Enchiridion.	Enchiridii
136	2	33	criminis	criminum
138	1	5	utiles.	utilis
»	2	28	iuris quod ab Apostolo. . . .	iuris ab Apostolo
145	2	37	iudicavit	indicavit
147	1	29	in vitio.	invitis
154	1	42	seculi 10.	seculi IV
156	2	6	bona.	bono
159	2	33	*divino peccamus* quod. . . .	*divino, peccamus:* quod
162	1	43	moveri.	movere
»	2	5	boni ac mali.	boni sive mali
170	2	23	iubemus	iubemur
185	1	51	qua ereipsa	quae reipsa
190	2	44	negatis.	negantis
200	»	40	Deo	Dei
202	1	35	careat	caret
206	2	40	videtur.	videntur
226	1	13	ut vivit.	ut vivat
232	1	11	facit.	facis

Chiridion de fide
(Faure ed) #1942

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

1942.